decernens, ut omnes Reges Bohemiæ ſui ſucceſſores eadem debeant Coronâ coronari, & illâ die coronationis ſuæ duntaxat uti, deinde eadem ad noſtrum in manus Decani & Sacriſtæ Pragenſ. qui ad coronationem Bohemiæ eſſe debent, reſtituere cum effectu, ſub pœna excommunicationis per Dominum Papam propter hanc cenſuram [illegible]. Item ſtatuit, & literis ſuis idem Rex firmavit, ut quilibet ſuorum ſucceſſorum, qui eadem Coronâ erit ſequuturis temporibus coronandus, teneatur ſolvere Capitulo Pragenſ. ratione [illegible] dictæ Coronæ CCC. ſexagenas Pragenſes, in utilitatem Eccleſiæ & Capituli convertendas.

Magnum eſt & illud, ac omnium facilè maximum, quod in ejusdem glorioſiſſimi Monarchæ conſtitutionibus legimus [illegible] mirum, ut *Sede vacante* &c. *per manus alterius Prælati Pragenſis Eccleſiæ, regale diadema Regi poſſit imponi.* (e) Meminimus aliquid horum etiam noſtra ætate fuiſſe factum. Cum enim in coronatione Ferd. IV. an. 1646. die 5. Auguſti, Epiſcoporum, qui aliàs Regi coronando aſſiſtere ſolent, non adeſſet unus, Præpoſitus Metrop. D. Joannes Franciſcus Raich ab Meſſenfeldt, locum ſupplevit abſentis, & in cæremonijs tunc obſervari ſolitis, Regem direxit (*f*).

Carolus ad Pontificem in Gallias proficiſcitur.

Singulare quoque illud, quod idem coævus Scriptor & Canonicus Prag. refert hiſce: *Eodem anno, [illegible] D. Imperator aſſumptis ſecum præcipuis Nobilibus Regni Bohemiæ, profectus eſt ad civitatem Avenionenſem, ad D. Urbanum Papam V. à quo cum maximo honore ſuſcipitur, & magnificè tractatur. Dominus etiam Papa ob reverentiam Imperialis dignitatis, ſervi[illegible]rum Imperatore Officium in die Pentecoſtes: qui erat indutus Imperialibus, & reſidebat in Majeſtate ſua ex oppoſito, in [illegible] contra ſedilia Papæ. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, &c. Cumque Imperator ibidem moram traheret, cupiens ipſe magnificare & exaltare Eccleſiam ſuam Pragenſem, impetravit à Domino Papa, ut Venerabilis [illegible]*

Je-

(e) [illegible]
[illegible] an. 1646.

[illegible] ArchiEpiſcopus Prag. & omnes ſui ſucceſſores, fungerentur [illegible] in ſua Provincia Prag. nec non in Ratisbonenſi, [illegible] Diœceſibus, perpetuis temporibus. Et [illegible] hujus Legationis, transmiſit Dominus Papa, præfato Domino Joanni ArchiEp. Prag. Crucem argenteam deauratam, & pileum [illegible] cappam de panno bruneto: ut illis inſignijs in [illegible] ſuæ Legationis, ipſe & ſucceſſores ſui uterentur. Quibus [illegible] D. ArchiEp. Pragenſis receptis, ſcripſit ſe amodo in litteris [illegible] Apoſtolicæ Legatus. Et viſitavit cum illis inſignijs tanquam [illegible] Provinciam ſuam, & ſupradictas civitates, & Diœceſes Legationis ſuæ. Et obediverunt eidem in omnibus illi omnes: nec [illegible] hoc factum diſpliceret. (g) Ita ille.

Anno 1368. die 15. Febr. natus eſt Carolo Imp. filius, quem ille Sigiſmundum nominavit, & in ipſis baptiſmi ſolennijs, [illegible] Canonicis Metrop. offertorij, quod in hujusmodi [illegible] dari ſolet, loco, centum marcas argenti obtulit. Altare S. Sigiſmundi auro & argento, ſacellum verò tapetibus & aulæis, filis aureis intertextis exornavit: Miſſam inſuper iſthic quotidie pro incolumitate ejusdem nati filij Deo dicandam [illegible]. (h) Bonus Imp. uti erat omnibus regijs virtutibus [illegible] per omnem ætatem ſuam, largiendo quàm plurima eidem S. Eccleſiæ, & alijs verè regijs actibus exercendis [illegible] liberalem ſeſe exhibebat ſemper & in omnibus, ut tam de ipſa Eccleſia, quam de ipſius miniſtris, publicè [illegible] benè [illegible], & cuique ad votum benè & ſatisfacere, ex conſuetudine [illegible] verteret. In archivo noſtro legimus, [illegible] *ſolitum eſſe Prælatos & Canonicos Eccleſiæ [illegible] ad petendum & accipiendum,* (i) Tales Alexandri, Severi, Conſtantini, Theodoſij, Caroli Magni aliorumque [illegible] Impp. exemplo, raro certè ſæculo hoc [illegible].

Sigiſmundus Imperator naſcitur.

Carolo IV. Patre Patriæ anno 1378. defuncto, (cui æterna vita

Carolus IV. Imp. [illegible] an. 1378 die 29 Novembr.

T 3

(g) [illegible] ad an. [illegible] (h) Idem ad an. [illegible] (i) [illegible] in [illegible] *Carolo IV.* [illegible] *Can. Prag.*

vita ſtare debuiſſet,) & in Eccleſia Metrop. ſicut vivens ipſe conſtituerat, ſolenni funebri pompâ, nec ſine planctu omnium, non ut dominum, ſed Parentem optimum juſtis lacrymis lugentium ſepulto, (cujus corpus hodiéq; incorruptum eſſe perhibetur:) (*k*) *Wenceslaus* ejus filius, primis ſuſcepti Imperij annis, paternis utcunque inſiſtens veſtigijs, etiam non pauca venerationis ac beneficentiæ ſuæ erga S. Prag. Eccleſiam edidit ſpecimina. Hoc imprimis, quòd an. 1381. atq; iterum an. 1288. conceſſa olim ab anteceſſoribos ſuis Capitulo privilegia, libertates & indulta ſanè eximia, de verbo ad verbum omnia confirmavit; additâ inſuper in transgreſſores, & alios omnes, quicunque ArchiEpiſcopum, vel Capitulares dictæ Eccleſiæ in hujusmodi libertatum uſu moleſtare vel impedire præſumerent, ſeveriſſimâ pœnâ, nempe mille marcarum argenti puri mulctâ: cujus medietas ærario regio ſive fiſco, reliqvum Eccleſiæ cederet. (*l*) Jus item regium Oſtrugne nuncupatum, ſive 50. ſſi. groſſ. Prag. quas Abbates, Præpoſiti, Abbatiſſæq; omnes, quotiescunque aliquis eorum in demortui locum ſubrogaretur, Regi Bohemiæ, in recognitionem ſui Fundatoris, ac ſupremi Defenſoris & Advocati, ſtatim poſt electionem, priusquàm confirmarentur, pendere tenebantur; Canonicis & Capitulo Prag. pro ornatu ſepulchri S. Wenceslai in perpetuum ceſſit, & ne ab ullo impedirentur, diplomate ſingulari cavit: cujus hic fragmentum, ut videamus nequaquam fuiſſe illum tam ignavum, qualem multi putant, ſcriptis nonnullorum in errorem inducti, ut cultum Sacrorum penitùs negligeret, apponere libuit: *Revolventes in animo, debitâq; deliberatione penſantes, quanto ſtudio, quantâ diligentiâ Sereniſſimus Princeps quondam Pater & Genitor noſter, D. Carolus Rom. Imp. dum viveret, in promovendis Sacroſanctæ Prag. Eccleſiæ, & glorioſiſſimorum Patronorum noſtrorum & Regni Bohemiæ commoditatibus, & honoribus verſari conſuevit, ad Eccleſiam ipſam de longinguis regionibus atq; terris,*

VVenceslaus Imp. in Eccleſiam Pragenſem liberalis & munificus, pluribus oſtenditur.

(k) *Pontan. in Boh. Pia. Balbin. in Arn. lib. 2. cap. 12.* (l) *Literæ original. in Archivo Cap. MS. Anonymi de initio regim. VVencesl. Imp. & Bohemiæ Reg. part. 1.*

ru, ſacras comparando Reliquias, ac ipſorum Patronorum noſtrorum, & præſertim S. Wenceslai Martyris tumbas, auro, argento & gemmis interlucentibus adornando; ipſius veſtigia eò quidem imitamur libentiùs, quò exinde Divinæ retributionis meritum, & temporalis conſequimur proſperitatis augmentum. Et ob hoc animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio, & de certa noſtra ſcientia, jus Regium, quod vulgariter Oſtružne *dicitur, quódque dudum ex inſtitutione legitima Illuſtrium quorundam Regum Bohemiæ prædeceſſorum noſtrorum, & de tam laudabili ac approbata conſuetudine, in electione novi Abbatis, Præpoſiti ſive Abbatiſſæ, nobis ſolvi conſuevit, præfatæ Pragenſi Eccleſiæ dedimus & donavimus, damus & donamus, & tenore præſentium gratioſiùs elargimur, ac jus ipſum noſtro, hæredum & ſucceſſorum noſtrorum Regum Bohemiæ nominibus, donatione inter vivos transferimus in eandem; taliter videlicet, ut quandocunq; & quotiescunq; in Regno noſtro Bohemiæ Abbatem, Præpoſitum ſive Abbatiſſam, qui Jus ipſum ſolvere conſuevit, mori, & alium vel aliam in locum ipſius, per electionem debitam ſubrogari contigerit, idem ſubrogatus vel ſubrogata, honorabilibus Canonicis & Capitulo Prag. quinquaginta ſexagenas groſſorum, ſine dilatione ſeu contradictione ſtudeat aſſignare. Quam quidem pecuniam iidem Canonici, non in uſus proprios aut privatos, ſed tantummodò pro decore & ornatu ſepulchri S. Wenceslai convertere finaliter tenebuntur: prout nobis idipſum per ſuas patentes literas facere promiſerunt &c. Datum Pragæ an. 1388. 7. Menſis Junij. Per Dominum Joannem Litomiſſlen. Electum. Wlaehnico de Waytmile.*

Miniſtris quoque ſeu Manſionarijs Pſalterium in choro Beatæ Virginis legentibus, annuos reditus auxit, dum ipſis 64. ſſ. groſſ. Prag. & 40. gr. cenſûs annui, â civitate Slanenſi quotannis, perpetuiſque temporibus ſolvendi deputavit, de dato 1396. die 20. Auguſti. (*w*) Anniverſaria item pro Carolo patre, Anna matre, & Joanna conthorali ſua Reginis Bohemiæ inſtituit: altaria aliquot in eadem Eccleſia, uti SS. Philippi & Jacobi, S. Materni, S. Laurentij, & alia, vel ipſe de novo dotavit, vel — VVenceslai Imp. bona opera.

(*w*) *Litera original. in Arch. Cap.*

vel dotem priorem de ſuo adauxit. (*n*) Confraternitatem Miniſtrorum Altaris, ſub titulo Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, & SS. Patronorum Regni, ac omnium Chriſti Fidelium animarum in Eccleſia Pragenſi, per Drslaum CzerninPræpoſitum ejusdem Eccleſiæ, ſingulari pietate an. 1328. inſtitutam, privilegijs multis anno 1395. atque iterum 1400. decoravit (*o*). Unum ex omnibus alijs, quod breviſſimum eſt, hic apponere lubet: *Wenceslaus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis. Quod attendentes ſingularis devotionis affectum, quem Fraternitas & miniſtri altaris Eccleſiæ Prag. ſub titulo & honore Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis glorioſæ, ac Patronorum, & Defunctorum in dicta Eccleſia Pragenſi, fundati & erecti, devoti noſtri dilecti, ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, & ejus Genitricis habere noſcuntur, in progenitorum noſtrorum, & noſtræ, animarum remedium ſalutare, eidem Fraternitati animo deliberato, & de certa noſtra ſcientia benignè indulſimus, & ad hoc conſenſum noſtrum regium adhibuimus, & tenore præſentium authoritate regiâ Bohemiæ glorioſiùs conſentimus, ut ipſi pro eorum & dicti altaris Beatæ Virginis uſibus, viginti ſexagenas groſſorum annui & perpetui cenſus, in & ſuper bonis liberis quibuscunq;, feudalibus duntaxat exceptis, per totum Regnum Bohemiæ, in quibuscunq; conſiſtant, emere & comparare poſſint & valeant; quem quidem viginti ſexagenarum cenſum quomodocunq; per eos comparatum, ipſis miniſtris Fraternitatis, eorum ſucceſſoribus, & prædicto Altari, ex nunc prout ex tunc, in perpetuum incorporamus, inviſceramus, & virtute præſentium authoritate regiâ Bohemiæ glorioſè annectimus & unimus, per ipſos & ſucceſſores eorum habendum, tenendum, utifruendum, & ad inſtar aliorum bonorum ſpiritualium, ſub libertate Eccleſiaſtica perpetuis in antea temporibus pacificè poſſidendum. Mandantes univerſis & ſingulis Officialibus, Burggravijs, ſubditis & fidelibus noſtris dilectis, præſentibus & futuris, firmiter & diſtrictè quate-*

Nova Confraternitas Miniſtrorum in Eccleſia Pragenſi inſtituta anno 1328.

(o) *MS. Codex, ſub tit.* Fundationes Altar. in Eccleſia Prag. *fol.* 36. (p) *MS. Codex membran. ſub titul.* Liber Fraternitatis, *in bib. toth. Veteris Eccl: Prag fol.* 1. & 2.

quatenus præfatam firmitatem, & miniſtros dicti altaris, tam in comparatione, quàm uſu fruitione & poſſeſſione prædictarum viginti ſexagenarum cenſus, in bonis liberis, ut præmittitur, ubicunq; comparandarum nequaquam impediant, aut ſinant per quempiam quomodolibet impediri: quin potiùs ipſos circa eundem cenſum noſtro nomine manuteneant, protegant & defendant. Injungentes nihilominus Urzednikonibus Pragenſibus, & Notarijs Tabularum Terræ Bohemiæ, fidelibus noſtris dilectis, firmiter & diſtrictè præſentibus & futuris: quatenus præfatum viginti ſexagenarum cenſum per dictam firmitatem, ut præmittitur, comparandum, quandocumque comparatus fuerit ſimul vel ſucceſſivè, terræ Tabulis annotent & inſcribant; niſi indignationem noſtram graviſſimam voluerint evitare. Præſentium ſub regiæ noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Pragæ Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo, die Decima Novembris, Regnorum noſtrorum Anno Bohemiæ Trigeſimo Octavo; Romanorum verò Vigeſimo Quinto.

Idem Imperator & Rex meretur apud nos inſigne præconium etiam exinde, quòd Privilegiorum Eccleſiæ noſtræ vindex & propugnator erat acérrimus. Accidit anno 1396. quod Crucigeri cum Rubea Stella, ad pedem pontis Pragæ, neſcio quid negotij & moleſtiarum faceſſierint Wolframo novo tunc ArchiEpiſcopo, in bonis ipſius ArchiEpiſcopalibus, circa villam Suppanovicz, idq; contra libertatem Pragenſis Eccleſiæ, ac deſuper conceſſa indulta regia; proinde mox edicto regio, condemnati ſunt, ad ſupra memoratam mille marcarum argenti puri mulctam deponendam. Juvat hic referre ipſa edicti regij verba.

Et quia intelleximus, quòd religioſi Magiſter & Conventus Hoſpitalis cum ſtella, in pede pontis Pragenſis, regij noſtri transgreſſores mandati, non ſolum libertates prædictas infringere, verùm etiam dictam Pragenſem Eccleſiam in bonis ſuis, & ſignanter in littore prope villam Suppanovicz, cum ſuis in hac parte complicibus non ſunt veriti damnificare, in noſtræ Majeſtatis dedecus, nec non Venerabilis Wolframi Prag. ArchiEpiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, Principis, Conſiliarij devoti noſtri dilecti, & ſuæ Prag. Eccleſiæ

V Venceslaus Imp. jurium Eccleſiæ Prag. acerrimus defenſor.

 præ-

præjudicium non modicum & jacturam. Propter quod ipſos Magiſtrum & Conventum in pœnam ſupradictam condemnatum fuiſſe. Nos inſpectis gratis & fidelibus obſequiis, per fidelem noſtrum dilectum Wenceslaum de Skworecz nobis dudum impenſis, & imposterum eo quidem ſollicitiùs impendendis, animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio, regiâ authoritate Bohemiæ, & de certa noſtra ſcientia, ſibi ſupradictam pœnam dedimus & donavimus, & præſentium virtute gratioſiùs damus & donamus: taliter videlicet, ut idem Wenceslaus hujusmodi pœnam à præfatis Magiſtro & Conventu exigere, percipere, & in uſus ſuos convertere valeat atq; poſſit. Mandamus itaq; Magiſtro & Conventui Monaſterij ſupradicti, favoris Regij ſub obtentu, quatenus eidem Wenceslao de pœna prædicta reſpondeant, aut deſuper cum eo ſtudeant finaliter concordare. Mandamus etiam Burggravio Pragenſi qui nunc eſt, vel pro tempore fuerit, præſentibus firmiter & diſtrictè, quatenus prædicto Wenceslao pro hujusmodi pœna aſſequenda aſſiſtere ac cooperari, ac ſibi adverſùs præfatos Magiſtrum & Conventum Monaſterij prædicti, facere debeat juſtitiam expeditam, ſi gravem indignationis noſtræ offenſam voluerit arctius evitare, præſentium ſub regio noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Pragæ, anno Domini 1396. die 15. Decembris. Regnorum noſtrorum, Bohemi anno 34. Romani verò 21. per D. Joannem Epiſcopum Lubecenſ Wlachnico de Weytmile.

[Adverte hic, VVenceslaum de Skvvorecz cognatum fuiſſe VVolframi ArchiEp. & fortaſſe fratrem. Joannem Epiſcop. Lubecenſem, ejus nominis VI. cognomento de Dulmen, antea ejusdem Eccleſiæ Scholaſticum, Decretorum Doctorem, & Sacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditorem, VVlachniconem de VVeytmile, Canonicum Pragenſem.]

Et ut alia de Wenceslao prætercam: an non manifeſtè oſtenderit ſuum ſpecialem, ac verè magnum in exornanda Baſilica Metropol. zelum, vel in eo, quod cùm Chorus, ipſo quoq; diligenti ſtudio adnitente, jam exſtaret perfectus, à Joanne III. ArchiEp. Prag. an. 1385. die 1. Octobr. in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & S. Viti conſecratus, (o) ut poſteriùs quo-

(o) *MS. Archiſ. Capit. MS. aliud Anonymi de regim. VVenceslai Imp. par* [illegible] *1385. MS. Cathal. Epiſc. & ArchiEp. Prag. in Joan. de Genſtein, habet* [illegible]

quoque pars, quam Navim templi vocamus, magnificentiâ & operis ſtructurâ pari, Choro reſponderet, animum adjecit, ac in ipſo Feſto Pentecoſt. an. 1392. poſt peracta Veſperarum ſolennia, lapidem fundamentalem jecit. Teſtis hujus eſt publica *Inſcriptio*, quam hodiéque in pariete templi marmori inciſam legimus: *Anno Domini 1392. in Feſto Pentecoſtes, horâ Veſperarum, poſitus eſt lapis Fundamenti Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ, per Sereniſſimos Principes, Dominos Dominos VVenceslaum I. Romanorum Regem & Bohemiæ Regem, & Dominum Joannem Gorlicenſem Ducem, Marchionem Brandeburgenſem, natos Sereniſs. Principis Domini Caroli Romanorum Imp. Benefactoris præcipui Eccleſiæ Pragen. ac Reverendiſſimum Patrem Dominum Joannem Archi-Ep. Pragen. III. cum nonnullis aliis Patribus, Epiſcopis & Prælatis: ac vice & nomine Sereniſſimi Principis Domini Sigismundi Hungariæ & Dalmatiæ Regis, nati Domini Imperatoris præfati: nec non vice & nomine Sereniſsimarum Principiſſarum & Dominarum, Eliſabeth Romanorum Imperatricis, Annæ Reginæ Angliæ, Margarethæ conſortis Domini Burggravij Norimbergenſis, filiarum Domini Imperatoris præfati: in honore Viſitationis Mariæ, & SS. Wenceslai, Viti, Adalberti, Sigismundi, & aliorum Bohemiæ Patronorum, ſub directore fabricæ Pragenſis Wenceslao de Radecz Canonico Pragenſi, & Petro de Gemund fabricæ præfatæ magiſtro.*

Fundatio novæ Eccleſiæ Pragenſis, vel potius poſterioris partis templi, quam Navim vocamus.

Quod opus tamen non perfecit, intervenientibus paulo poſt ingentibus, circa Religionem & alia, ſeditionibus ac turbis, quæ ſubitò exortæ, tantam in pejus & deterius rerum omnium mutationem attulerunt, ut Regnum paulo ante celeberrimum, ac viris, armis, opibus florentiſſimum, vix non cum gente tota in ruinam inclinârit. Pollutis námque per impiam Viclefi hæreſim, antiquæ & ſynceræ Religionis placitis, corruptáque per contemptam Magiſtratus auctoritatem omni civili diſciplinâ, ac vitiatis moribus, eò res tandem creſcente per impunitatem audaciâ venit, ut nemo jam hominum, nemo Dei immortalis verecundiam haberet. Non edicta Principum, non Magiſtratuum, neque eorum, qui Religioni præerant, præcepta atque inſtituta, amplius obſervabantur. Vagi homines

Huſſiticarum Seditionum principia

ex peſſimo ſerviliq; genere, ac fæce hominum collecti, ideóque licentiâ effrenes (Taboritæ poſtea dicti) ac omnium mortalium flagitioſiſſimi, juſſu, injuſſu, ubi voluiſſent, ubi libuiſſet, impunè vim libidinémque exercebant ſuam, fluminum more, quæ perruptis aggeribus, cæco impetu, nullo boni malive diſcrimine, in obvia ſæviunt. Ipſa imprimis plebs effera Pragenſis, neglectâ civilis ordinis ac concordiæ curâ, harpiarum inſtar ab Orco emiſſarum, Nicolao Huſſinecio primùm, deinde Joanne Ziskâ, viro nobili quidem genere, ſed moribus inculto & truci, ducibus, clauſtra Religioſorum, facto in Triurbe nefandi ſacrilegij principio invaſit, expilavit, domos & templa diruit & ſuccendit; monachos quos non fuga ſervavit, indignis modis tractavit, & vel igni, vel ferro, vel aquâ necavit, trucidavit, ita ut non religione, non moribus, non pietate, ab ullis barbaris, & vel crudeliſſimis hominibus differre viderentur. Denique turmatim omnes, ſpretis bonorum monitis, nullâque juſti honeſtique ratione habitâ, ſed exutâ penitus humanitate omni, in cædes, furta, rapinas, incendia, & alia malorum genera, quæ dici aut excogitari poſſunt, incredibili impietate proni ibant. Evenitq; ut in ea Urbe, in qua paulo ante, pietate vigente, omni virtutum genere certatum erat, tunc certaretur ſceleribus; optimúsque ſibi videretur, qui fuerat peſſimus: (p) Rege Wenceslao inter hæc apoplexiâ extincto, an. 1319. die 16. Aug. Et jam prope erat, ut etiam Baſilica S. Viti ab hoc maleficentiſſimo facinoroſiſſimóque hominum genere, vim ſupremam b[illegible] diverſis vicibus minitantium, in ruinam pari cum alijs Regularium templis ſorte, concideret: niſi quorundam bonorum civium è veteri Urbe Prag. opportunè accurrentium an. 1420. (q) minæ, viq; oppoſita vis: & anno ſequenti rurſum Illuſtrium quorundam virorum (inter quos leguntur (r) fuiſſe Jaro-

WVenceslaus Imp. moritur, an. 1419. die 16. Aug.

[illegible]

(p) Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 35. & ſeq. Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 1. & [illegible] in Hiſt. Boh. lib. 24. & 26. Hagec. Theobald. Kuchn. WVeleslav. MS. [illegible] Prag. incerti Auth. MS. Barthol[illegible] de Dr[illegible] Bohemi. MS. [illegible] tempore WVenc. Reg. authore M[illegible] Laud[illegible] Hagek [illegible] Hagek cit. MS. memorabil. Capit. Prag. A.3. Capitum tempore [illegible] 1421.

Ianus & Nicolaus ab Hazmburg, defuncti Zbinkonis ArchiEp. germani fratres, Plichta & Jaroslaus fratres de Zierotin, Slavata de Chlum, Nicolaus de Lobkowicz, Wilhelmus Beneda, [illegible] Haſska Malovecius, Hlas de Duba Baro Mraczkianæ ſive Odrziſlauſeæ gentis, Alſſo de Sternberg aliàs de Holicz, Tobiaſlaus Hrzan de Klomin, qui erat apud Pragenſes multæ authoritatis, & Joannes Leskowecz Subcamerarius,) preces non intercedent, & dextera imprimis Divini Numinis; quæ, uti referemus fuſius Radio VI. locum hunc cultui ſuo, & per ſemetipſum dicatum, â ruina & interitu, ſingulari virtute protexit. Nihilominùs â ſeditioſis, Joanne monacho, illo apud ſcriptores Bohemos apoſtata famoſiſſimo, incentore & duce, die 10. Junij, anno, ut dixi ſequenti, qui erat, 1421. expilatam, omnique penitus ornatu & ſupellectili, quæ inveniri poterat, deſpoliatam: imò quod amplius & execrabilius erat, everſis aris, & imaginibus Sanctorum, tum ipſius Salvatoris noſtri Dei, illuſis, mutilatis & confractis, fœdè pollutam ſe & deturpatam ſatis ſupérque ſenſit, & ingemuit. (s)

Templum S. Viti à ſeditioſorum vi & injuria defenditur, an. 1420. poſtea tamen anno ſequenti expilatur, die 10. Junij.

Id porrò ſingulari Divini Numinis providentiâ & benignitate accidiſſe creditur, quòd priusquàm hi atrociſſimi motus humana Divinis confundentes, & omnia ſurſum atque deorſum miſcentes, invaluiſſent, jam potior Eccleſiæ theſaurus, ac imprimis Reliquiæ Sanctorum in tutiora, nempe Karlſteinam, arcem pro illo ſeculo ab hoſtium vi ſatis ſecuram, fuerint deportata. Nam (ut in libro quodam Archivi Capitularis, veteri ſtylo & vix legibili notatum invenio: [t]) *Anno 1411. Feria IV. in die S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ante Portam Latinam, Wenceslaus noſter Rex venit ad Hradczanam, in domum Magiſtri [illegible], & ibi convocatis aliquibus Canonicis, videlicet Scholaſtico, Præpoſito Myſnenſi, & Welislao &c. equitavit cum eis ad Eccleſiam Pragenſem, & aperuit omnes theſauros Eccleſiæ. Et conſideranter invenerunt omnia illæſa: Rex autem videns omnia inte-*

Theſaurus Eccleſiæ, & SS. Reliquiæ in tutiora maturè deportantur.

K 3 gra

(s) [illegible] Pontan. in Bohem. Pia, lib. 1. Cruger. in Sacr. memor. ad diem [illegible] ad an. 1421. MS. Acta Capit. MS. Matt. Laudæ. MS. Laurentij [illegible] MS. Liber memorabil. Capitul. Pragenſ.

gra & illæſa, equitat de Caſtro Pragam, & reliquum commiſit Kunſſoni Purgravio de Carlſtain, & civibus civitatum antiquæ, novæ & minoris Prag. qui ſero & in nocte foderunt, exquirentes & ſcrutantes ſecreta Eccleſiæ; & effodientes, invenerunt in ſecreto loco, quatuor teſtudines, in quibus nihil penitus fuit. Deinde receperunt omnes theſauros Eccleſiæ S. Pragenſis, cæteras Reliquias unà cum tumba glorioſiſſimi Martyris Beati Wenceslai Patroni Bohemorum, & in craſtino feria V. in Vigilia S. Stanislai, here ibi deduxerunt in Carlſtain, ſit Nomen Domini benedictum. Reſidua porrò de ſacris donarijs, rebusque aureis & argenteis, quæ à pijs mortalibus ad uſum Divinorum miniſteriorum antiquitùs data erant, Sigismundus Imp. an. 1420. ut haberet, quo ſtipendium militi exſolveret, majori ex parte abſtulit (quod etiam in Carlſtain feciſſe, & auream S. Wenceslai tumbam, quam pater ejus Carolus curaverat, aliáque, neceſſitatis publicæ prætextu, abſtuliſſe fertur.) (a) & in nummos conflatum in ſtipendia militaria convertit; de quo ſuo loco. An verò id permiſſu & auctoritate ArchiEpiſcopi Prag. Conradi, ut extra omnem piaculi noxam eſſet, vel proprio duntaxat motu, vel denique ſuorum inſtinctu ſupremam Reipub. neceſſitatem obtendentium, incertum: illud conſtat, quod deinceps faventem belli fortunam habuerit nullam, ſed ex eo tempore, quò ſacros hosce theſauros, quocunque tandem prætextu, involaverat, ſuere omnia & in deterius ferri cum ipſo cæpêre, ut non niſi quinto decimo anno poſt, fuſis fugatisque interea aliquoties ipſius exercitibus, in Regni poſſeſſionem venire potuerit: adeò pecunias & theſauros Eccleſiarum nunquam feliciter in bellum impendi, vel ex domeſticis exemplis certum eſt. Bona ſimiliter ac ditiones ejusdem Eccleſiæ, tam ArchiEpiſcopales, quàm Capitulares, vel jam antea ab ArchiEpiſcopo Conrado, non ſine explabili piorum Fundatorum, qui eas in uſum Miniſtrorum Eccleſiæ dederant, injuriâ, hinc inde diſtractas & oppignoratas approbavit. vel reſiduas ipſemet, abalienavit, certisq; ſuis clientu-

cujus partem Sigismundus in præſentis belli neceſſitatem impendit, ſed

infelici eventu.

(a) *Cornelius in Hiſt. Huſſitar. lib. 5. MS. [illegible] conſignatio ablatorum per Sigiſm. ex Prag. [illegible].*

[illegible] ac ſtipendiarijs, ob navatam ſibi in præſenti bello ſtrenuam operam, fruendas & poſſidendas tranſcripſit. (x) *Sic pagos [illegible] & Klobauky ſimul cum omnibus proventibus, utilitatibus & [illegible] ipſorum, cum pleno Dominio, nihil inde excipiendo, [illegible] & Jaroslao de Zierotin, pro 390. ſſ3. groſſ. Bohem. ipſis [illegible] ſervitiorum, per ipſos cum triginta armatis equeſtribus, in conſervatione caſtri Pragen. præſtitorum debitis, tranſcripſit: de dato [illegible] in feſto SS. Simonis & Judæ an. 1420. tam diu poſſidendos, donec ipſis, vel hæredibus eorum de præſcripta pecuniæ ſumma ſatisfieret.* Sic etiam Radauſs, Bikoſs, Rpety & Launin, pagos in diſtrictu Podbrdſcenſi, Joan. Stiepanowecz de Wrtby: ſic Kleneczium, Libkowicze & Podlnsky, Joanni de Smirzicz: Kozolupy, Nicolao de Lidicz: Radoſſovicze & Loket, Johankoni de Chotiewicz: Mirowicze, Zaryby & Howorzowicze Wankoni [illegible] Pchery & Lidicze Peſſikoni de Blahoticz: & alios [illegible]. Brevi tamen hæc omnia, tanquam illicitè facta revocata, nulliusque valoris eſſe diplomate ſolenni Normbergæ dato, an. 1422. declaravit. Apponere hic illud placet: *Sigiſmundus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis, quòd licèt aliàs quâdam arduâ neceſſitate conſtricti, ad reſiſtendum perverſis conatibus & machinamentis hæreticorum in Bohemia validè conſurgentium, qui etiam ſua immanitatis rabie, fideles Dei Chriſticolas, tam morti tradentes atrociter, quam in bonis funditus ſpoliantes, Eccleſiam Dei demolientes, a [illegible] ſunt, & adhuc in ſua pertinacia perdurantes, nomen Chriſtianum etiam hodie conantur extinguere penitus, non parcentes ſexui vel ætati; bona Eccleſiaſtica, tam Prag. Eccleſiæ, quam etiam aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum & Parochialium, cujuscunq. etiam conditionis exiſtant, tunc certis perſonis tranſcripſerimus & dederimus poſſidenda; ſicut etiam bona Divæ Pragen. [illegible] nos feciſſe præterito tempore memoramur. Nos attendentes hujuſmodi tranſcriptionem, & alienationem bonorum Eccle-*

Sigiſmundus Bona Eccleſiæ Prag. abalienat,

reſipiſcit, & abalienationes factas reprobat:

(x) *MS. [illegible] ſupra cit. Epiſtola Joan. de Kralowicz Decani Prag. ad Joan. [illegible] Olom. & Litomiſl.*

cleſiaſticorum in perſonas ſæculares, quàcunq; occaſione ſeu condi-tione factas, tam a legibus, quàm Canonibus fore irritas & inanes, nec debere ſubſiſtere ſeu valere; non per errorem aut improvidè, ſed animo deliberato, maturo omnium Electorum Sacri Rom. Imp. & aliorum multorum Principum, Comitum & communitatum Imperij Sacri, & Regni Bohemiæ communicato conſilio, præfatam tran-ſcriptionem, & alienationem de poſſeſſionibus Eccleſiæ Prag. præfa-tæ, quibuscunq; perſonis, quàcunq; occaſione, conditione ſeu colore factas, authoritate Romana & Bohemiæ Regia, tenore præ-ſentium, revocavimus, irritavimus, annulavimus, revocamus, irritamus, annulamus, & nullius dicimus, pronunciamus & de-claramus debere eſſe roboris vel vigoris; decernentes & vo-lentes, quòd honorabiles Præpoſitus, Decanus totúmque Capitu-lum Eccleſiæ Pragenſis, & etiam ſingulares perſonæ, etiam authori-tate noſtrâ & ſua propria, aſſumptis ſibi ad hoc, ſi opus fuerit, ſuis fautoribus & amicis, ſe de eisdem bonis Prag. Eccleſiæ omnibus & ſingulis, ubicunq; etiam fuerint conſtituta, debeant & poſſint, in-tromittere, tenere, uti, frui, abſq; impedimentis cujuscunq; & quo-rumcunq;, etiam noſtras literas habentis, ſeu alias cum violentia poſſidentis & poßidentium; ac etiam ſibi pro recuperatione eorun-dem bonorum tutores, defenſores & adjutores eligere & recipere, pro ſuo commodo, quotiens eis, & cuilibet eorum viſum fuerit ex-pedire, præſentium ſub noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio litera-rum. Datum Normbergæ, anno Domini 1422. die Dominico pro-ximo ante Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli. Regnorum noſtrorum anno Hungariæ 36. Romanorum 12. & Bohemiæ 3. Ad mandatum Domini Regis, Domino G. Epiſcopo Pataviensi Cancellario. referen-te, Franciſcus Præpoſitus Strigonienſis.

Canonicos ab exilio revocat, iisque de reditibus regiis ſuſtentationem aſſignat:

Sopitis deinde turbis, cùm ad Regni Bohemici clavum, anno 1436. admiſſus eſſet, Prælatos & Canonicos, cæteroſque Metropolitanæ Eccleſiæ Miniſtros per varia diſperſos, ab exi-lio revocavit, & ut haberent unde ſuſtentarentur (Bona ſiqui-dem illorum omnia fuere à profanis hominibus occupata) de reditibus ſuis regijs ipſis, pro conditione cujuſque certam pecu-niam hebdomadatim pendendam aſſignavit; ita ut Decanus, Ar-

Archidiaconus, Scholaſticus, & quinque Canonici præbendati, atque alij quinque medij præbendati, Vicarij item novem, Chorales quindecim, Manſionarij tredecim, Pſalteriſtæ ſex, tumbarius S. Wenceslai, tumbarius S. Adalberti, Sacriſta, Capellarij quatuor, Miniſtrans unus, thuribularij duo, ceroferarij duo, campanatores duo, congruè ſuſtentari potuerint. (y) Æneas Sylvius Cardinalis, poſtea Pontifex Maximus Pius II. qui in balneis Puteolanis, paucis diebus ante Pontificatum, Hiſtoriam Bohemorum ſcripſit, id refert, hiſce: (z) *Reſtituti ſunt etiam Cathedralis Eccleſiæ Canonici, ac Vicarij & Manſionarij, ornamenta altaribus reddita, Divinum Officium inſtauratum: Legati Baſileam miſſi, qui declarationem ſuper articulo Communionis expeterent: quùmq; nulli eſſent Eccleſiæ redditus, ex quibus ali templorum miniſtri poſſent, juſſit Imperator ex fiſco Regio, per ſingula Canonicorum capita, hebdomadatim aureum nummum diſtribui, minoribus clericis dimidium dari. Ea res annuè aureorum ſex millia apud Eccleſiam Cathedralem abſumpſit.*

Ejus quoque authoritate interveniente factum, quod pagi Pticz, Prziezowy Luh, Borek, Tymachow, Rabinie, Czachow, medietas in Hoholicka, & quidam alij Capitulo fuerint reſtituti. *Inſuper privilegia omnia & ſingula, literas, gratias, libertates, immunitates, conceſſiones, jura, fevda, bona, poſſeſſiones, prædia & conſuetudines Eccleſiæ & Capitulo, à primæva ipſius Eccleſiæ fundatione, uſq; in præſentiarum à Regibus & Ducibus data & conceſſa, aut quovis alio titulo, emptionis, donationis, conceſſionis, permutationis, aut quæ ex legatis & teſtamentis obtinuiſſent, in omnibus ſuis punctis, clauſulis, articulis, verborum expreſſionibus, prout ſcripta vel ſcriptæ eſſent, ſingulari diplomate anno 1437 die 15. Junij Pragæ dato confirmavit, ſupplendo etiam de Imperialis & Regalis plenitudine poteſtatis omnes defectus, ſi qui obſcuritate verborum, ſententiarum, aut ſolennitatis ommiſſæ comperti eſſent,*

Privilegia Eccleſiæ & Capituli confirmat.

L. Op-

(y) *MS. Regeſt. Diviſionum inter Prælat. Canon. aliósq; Miniſtros Eccl. Prag. ad an. 1437. 1438. & ſeq.* (z) *Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 52. Cochl. in Hiſt. Huſsitar. lib. 8. MS. Acta Capituli tempore exilij, & poſt. Pontan. in Boh. Pia, lib. 2. in Sigiſm. Daubrav. lib. 27.*

Alberti ejus Succeſſoris par in Eccleſiam Prag. & Capitulum liberalitas.

Optimus Imp. collapſam in Bohemia Religionem, ſicut & priſtinum Eccleſiæ Metrop. decus, reſtauraturus credebatur, & boni omnes id aſſiduis votis exoptabant; cùm inter hæc moriens anno ætatis 70. & Chriſti 1437. has omnes de ſe conceptas ſpes abrupit. Quod idem accidit ſucceſſori ejus Alberto Auſtriæ Archi-Duci, qui non dum ſecundo ab accepta Regni Bohemiæ corona completo anno, nempe 1439. cum ſumma omnis de virtutibus ejus eſſet expectatio, in ipſo ætatis flore repentè deceſſit. Idem Albertus non ſolùm ea omnia, quæ Anteceſſor ipſius in ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ dari conſtituerat, approbavit, verùm etiam telonium, quod eſt in læta Curia, & domos ibidem, ſicut etiam telonij partem & decimas ſub Wiſſehrado, vulgò na Wertonj, Capitulo & Eccleſiæ reſtituit. Trecentas inſuper ſexagenas Bohemicas Capitulo poſt coronationem Regis dari ſolitas, peractâ ſua coronatione, in feſto SS. Petri & Pauli, anno 1438. Capitularibus enumerari juſſit. *(a)*

Ladislaus Rex naſcitur an. 1440. die 22. Febr.

Reliquit Albertus viduam, Sigiſmundi Imp. filiam Eliſabetham, utero gravem, quæ non multo poſt puerum peperit, quem in honorem memoriámque S. Ladislai quondam Hungariæ Regis glorioſi, Ladislaum nominavit. Eo itáque poſt multa â factioſis quibusdam in contrarium per fas nefáſque agitata, in Regem Bohemiæ deſignato, neceſſe erat Gubernatores Reipub. domi foriſque adminiſtrandæ, interea de Procerum corpore, æquatâ poteſtate deligi, donec is adoleſceret, ferendæque Reipublicæ idoneus redderetur. Hi erant Meynhardus de Nova domo, & Hynko Ptaczek â Pirkſtein aliàs de Lippa; ille Catholicorum, hic Huſſiticorum caput partium. Hynkone demum an. 1444. nephritide extincto, ſumma rei penes ſolum Meynhardum ſtetit, quem Eccleſia Metrop. magnum certè fautorem, & Benefactorem in multis experta fuit; in eo potiſſimum, quod ipſo adnitente, duas domos, unam in Hradczano,

Meynhardus de Nova Domo magnus fautor Eccleſiæ Prag.

(a) *Regeſt. ſupra cit. ad an. 1438. & ſequ. MS. Epiſtola Joan. Papauſek Canonici Prag. de coronat. Alberti, data ad Jodocum de Roſemberg ſuum quondam Diſcipulum, poſtea etiam Canon. & Præpoſitum Prag.*

no, alteram in arce; villas item Duſſnik, Przilepy & Trzebjz atque iterum Launin & Radauſs, poſtliminio recepit, receptura haud dubiè plures, ſi vitam illi fata prorogatam diutiùs faviſſent. Cùm enim indiès magnis rebus pro Patria, ac imprimis pro religione Orthodoxa, geſtis floreret, lateque per univerſas Regni Provincias nominis famam & gloriam propagâſſet, invidiâ ac obtrectatione, communi dignitatis malo, nequaquam vitato, à conjuratis, quorum Georgius Baro à Kunſtat & Podiebrad evaſerat facilè princeps, improviſo impetu Pragæ circumventus eſt, nullásque ſuſpectans inſidias, captus & Podiebradam in carcerem abductus, vir clariſſimus, & eâ calamitate prorſus indignus: ubi non ſine veneni ſuſpicione, quod hæretici propinâſſent, in lethalem morbum incidit, dimiſſúsque, dum Karlſteinam curandæ valetudinis ſtudio properaret, ex itinere Rziczanam divertens, migravit è vivis, (*b*) an. 1449. 3 Febr. magno herclè omnium Catholicorum, præcipue verò Capitularium Pragenſium dolore, qui inſignem Patronum, tam properantibus fatis, ſibi & Eccleſiæ eripi, moleſtiſſimè ferebant. Sed exhilaravit triſtes, & rurſum per varia afflictos, quadriennio poſt, præſentia Ladislai, coronâ regiâ in Eccleſia Metrop. feſta cum gratulatione redimiti; qui omni exhibitâ cùm honoris, (quod in tanto & tam juvene Principe haud parum mireris) tum liberalitatis teſtificatione, ipſos deinceps meliora ſperare juſſit, ac pro more majorum, veſtem Regiam ſive trabeam talarem auro pictam coloris phœnicei, quâ in coronationis ſuæ ſolennijs indutus fuerat, ſicut & trecentas ſexagenas groſſ. Pragenſium, quæ poſt coronationem Regum Capitulo, ex inſtituto Caroli IV. uti ſupra docuimus, pendi ſolent, dari mandavit. Inſuper author fuit, ut Capitulo ſupra memoratæ villæ, Klobauky & Zlonicze à Jaroslao Plichta de Zerotin; item Rzeſuty à Georgio Podiebradio, Lahovice à Jacobo Wrzeſovecio, Wo-

abHuſſitis circumvenitur, incarceratur, & veneno tollitur.

Ladislai coronatio Pragæ an. 1453. die 28 Octobr.

(b) *Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 58. Daubrav. lib. 28. Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 9. Hagec. ad an 1440. Kuthen. VVeleslav. Lupac. MS. Liber memorat. Capit. ſupra cit. MS. VVen. eslai de Krumlow. Can. Prag. (poſtea etiam Decani) Oratio panegyrica de Meynb. Barone inclyto Novodomæo.*

Wokovicze à Martino de Podolſſan, reſtituerentur; bona verò ArchiEp. Tyna Horeſſy, & caſtrum Horſtein, redimi poſſent. (*c*) Quàm porrò infenſus fuerit peſtifero Wiglefiſtarum dogmati, ejúsque ſectatoribus; & ex adverſo, quo mentis & cordis affectu proſequutus Catholicorum ſacra, quâ obſervatione & cultu veneratus illorum templa, præſertim S. Metrop. Eccleſiam, quam quotidie penè ex antiqua Urbe, ubi in veteri Ducum Regúmque Aula reſidebat, adire non gravabatur, & quam ne minimâ quidem peſtilentis illius doctrinæ vel rivos maculâ, pollutam voluiſſet, cùm id quoque ad non medinare ejusdem Eccleſiæ decus faciat, Pium II. aliquid de hoc recenſentem audiamus: *Manſit ibi* (Pragæ) *non parvo tempore Ladislaus, nec unquam hæreticorum Eccleſias, quamvis ſæpe rogatus, intravit, necq; ſacris eorum interfuit. Presbyter quidam ex factione Rochezana, in ſacello arcis rem divinam facturus, ſacerdotali veſte ornatus ad altare conſcenderat. Rex eo in loco ſacra, quibus intereſſet, celebrare juſſerat. At ubi hæreticum id muneris occupâſſe, nec velle alteri locum facere didicit, miſſo magiſtro militum, prophanum Sacerdotem, niſi abiret, rapi extra ſacellum, & de proxima rupe præcipitari juſſit. Illi charior vita, quam contumacia fuit.* (*d*) Idem Rex ampliſſimam poteſtatem dedit Capitulo abalienata bona redimendi: *Notum facimus univerſis, Majeſtatem noſtram deſiderare, auxilio eſſe majori Eccleſiæ Pragenſi, quæ olim ſplendidiſſima, & omnibus bonis referta, nunc magnis afflictionibus conturbata inops, & nimis egena facta eſt. Igitur deliberato, & ſano noſtrorum Procerum, & Fidelium accedente conſilio, de certa noſtra ſcientia, ac de Regia Bohemiæ, honorabili Capitulo præfatæ Eccleſiæ, damus & concedimus licentiam, facultatem omnémq; poteſtatem, reluendi & redimendi bona, & res quaslibet Capituli prædicti, quocunq; nomine nuncupentur, cujuscunq; loco, Collegio vel perſonæ obligata ſeu alienata, obligatæ ſeu alienatæ exiſtant &c. Bona verò & res Capituli præfati, quæ à quocunque loco*

Ladislai Regis pietas, & Zelus.

Capitulo Prag. dat poteſtatem redimendi bona abalienata.

(c) *MS. Acta Capitul. tempore Ladislai Reg. Item, Acta VVenceslai de Krumlov Decani Prag.* (d) *Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 62. MS. Narratio de coronat. Ladisl. in Archivo Capit.*

lo e, Collegio vel perſona, ſine juſto titulo, aut noſtrorum Anteceſſorum inſcriptione tenentur, ipſi Capitulo, vel alteri, cui ipſum Capitulum mandaverit, volumus ſine contradictione & mora reſtitui. Mandamus itaq; &c. Nolumúsq; deinceps bona ſeu res Capituli prædicti, per Nos, aut noſtros ſucceſſores, alienari, inſcribi, aut ad longum brevéve tempus cuiquam elocari. Si quid verò in contrarium per inanimadvertentiam, petentium importunitate, vel alio quovis modo fieret, id ex nunc, prout ex tunc anullamus, irritamus, & nullius validitatis aut roboris eſſe declaramus &c. Datum Viennæ die 13. Menſ. Novemb. anno Domini 1455. Regnorum noſtrorum, Hungariæ XVI. Bohemiæ verò II. &c.

Decano item Wenceslao de Krumlow, & ipſius collegæ, Adminiſtratoribus ArchiEpiſcopatûs Prag. vacante Sede à Capitulo deputatis, ſimiliter: (e) *Volentes ArchiEpiſcopatui Pragenſi damnis graviſſimis affecto, ejúsq; bonis, ne in totum collabantur, conſulere, deliberatè, & ſano noſtrorum Procerum & fidelium accedente conſilio, ac de certa noſtra ſcientia, authoritate Regiâ Bohemiæ, honorabilibus Adminiſtratoribus in ſpiritualibus & temporalibus ipſius ArchiEpiſcopatus Sede vacante, devotis noſtris dilectis, damus & concedimus, licentiam & facultatem, omnémq; poteſtatem reluendi & redimendi bona, & res quaslibet ArchiEpiſcopatûs prædicti, quocunq; nomine nuncupentur, cuicunq; perſonæ, Collegio, aut loco obligatæ, ſeu alienatæ exiſtant &c. Datum Viennæ die 6. Auguſt. anno Domini 1457. Regnorum noſtrorum, Hungariæ &c. XVIII Bohemiæ verò quarto &c.* Addi hic placet ejusdem Regis epiſtolam ad Capitulum, vacantis Beneficij altaris S. Wenceslai, in Eccleſia B. V. Aquisgrani cauſâ datam: (*f*) *Honorabilibus Decano & Capitulo Sanctæ Eccleſiæ Pragenſis, devotis nobis dilectis. Honorabiles, devoti Dilecti. Vacat in præſentiarum altare Beati Wenceslai in Eccleſia regali S. Mariæ Aquenſis, Leodienſis Diœceſis, cujus jus Patronatûs ad nos, ut Regem Bohemiæ pertinet; ad quod, ut debemus, vellemus præſentare aliquem idoneum Presbyterum, ſcientem idioma Bohemicum, qui peregri-*

Altare S. VVenceslai M. in templo B. V. Mariæ Aquisgrani.

L 3 *nan-*

(e) *Archiv. Capituli Metrop. Prag. Acta Decani VVencesl. de Kruml.* (f) *Litteræ in Archivo Cap. origin. Acta Decani VVencesl.*

nantium ibidem Bohemorum poſſet confeſſiones audire; nam ob eam rem ſereniſſimus Carolus Imp. noſter proavus chariſſimus prædictum altare fundavit. Injungimus devotionibus veſtris, ut unum Presbyterum, qui altari præfato idoneè velit & valeat deſervire, quàm citiùs poteſtis, transmittere Majeſtati noſtræ curetis; ut valeamus tempore congruo præſentationem facere, cujus dilatio, ſine altaris & noſtri juris præjudicio, eſſe non poſſet. Mittimus vobis etiam litteras Capituli prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ, quibus cognoſcetis quantum rogamur pro hac præſentatione; velitis in hoc eſſe diligentes, quia Serenitati noſtræ complacentiam exhibebitis banc gratam. Datum Viennæ, feria IV. poſt feſtum S. Joannis Baptiſtæ, Regnorum noſtrorum anno Hungariæ &c. 16. Bohemiæ ſecundo.

Natus ad erigendam collapſam Eccleſiæ Metrop. Majeſtatem & gloriam, Rex iſte videbatur: Sed, ùt ſunt res mortalium incertæ, & caducum omne, quidquid humanitati ſuo pondere in caſum properanti innititur, has ſpes pulcherrimas, immatura ipſius mors ac repentina interrupit. Mortuus in ipſo nuptiarum apparatu, & ætatis flore, Pragæ, anno vitæ ſuæ vigeſimo, Salutis noſtræ 1457. die 23. Novembr. & in Eccleſia Metrop. quam unicè deamabat, & cui moriens etiam, ut refert Pius II. *Omnia regia ſua ornamenta legavit, ſepultus.* Sic plerumque nobiſcum fit, ut nihil præclarum diu apud nos maneat. Narrat Pontanus Eccleſiæ noſtræ Prag. Decanus, & poſtea Præpoſitus, vidiſſe ſe an. 1590, *in ſepulchro regio corpus ejus integrum, & ex omni parte incorruptum, etiam quoad veſtimenta ſacra, quibus indutus erat.* Idem confirmat M. Daniel Adamus à Weleslavina, teſtis quoque oculatus. (g)

Ladislaus Rex moritur: ejus corpus hodiéque incorruptum.

Ejus ſucceſſor Georgius à Podiebrad, tametſi Huſſitis, Rokiczani parochi Teynenſis in veteri Urbe Prag. cui multum tribuere erat ſolitus, pernicioſis conſilijs depravatus, magis afficeretur, quàm Catholicis; Metropolitana tamen Eccleſia, non pau-

GeorgiusBaro de Podiebrad fit Bohemiæ Rex:

(g) *Pontan. in Bohem. Pia, lib. 2. in Ladislao, VVeleslab. in geneal. Duc. & Reg. Boh.*

pauca ab eo beneficia tulit; inter alia, quòd privilegiorum ſuorum, non tantùm recentium à Ladislao Rege collatorum, ſed omnium etiam veterum, confirmationem accepit. Liceat quædam de diplomate ipſius ſuper ijs dato hic delibare: *Etſi cunctas venerari Eccleſias ſanctiſſima Patrum auctoritas ſanxerit; ipſa tamen ſuadet ratio, ut Matrem Eccleſiarum Sanctam Pragenſem Metrop. inprimis honoremus. Etenim Regni noſtri ſceptrum ex ea recepimus, ubi in Chriſto renaſcimur, & digniſſimis in ſacramentorum doctrinis reficimur epulis: in ea quoq; ad pedes Sanctorum cum prædeceſſoribus noſtris requieturi, regnum præſtolabimur ſempiternum. Hanc igitur Almam Sedem prædeceſſores noſtri imitanda proſecuti devotione, diverſis olim adornaverunt modis, copioſis dotaverunt facultatibus & gratijs, libertatibúsq; ampliſſimis privilegiavere. Noſtræ igitur Majeſtati ex parte Venerabilis Wenceslai, ſacri Pallatij Apoſtolici auditoris, Decani & Adminiſtratoris, totiúsq; Capituli ejusdem Eccleſiæ Prag. humiliter extitit ſupplicatum; quatenus prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, dignaremur, eis approbare, innovare, ratificare & confirmare, omnes litteras, gratias, immunitates, libertates, conſuetudines, donationes, conceſſiones, indulta, ſtatuta, privilegia & jura univerſa dictis, Decano & Capitulo, à Divis prædeceſſoribus noſtris, Regibus & Principibus Bohemiæ data & conceſſa, & præſertim tres litteras Sereniſſimi Regis Ladislai prædeceſſoris noſtri, quarum tenores ſunt iſti:* Et primò primæ littere;

Privilegia Eccleſiæ & Capituli Prag. confirmat.

Ladislaus Dei Gratia Bohemorum Rex, Hungariæ &c. Notum facimus univerſis, Majeſtatem noſtram deſiderare auxilio eſſe majori Eccleſiæ Pragenſi &c. Secundæ litteræ tenor talis eſt.

Ladislaus Dei Gratia Bohemorum Rex, Hungariæ Dalmatiæ &c. Notum facimus univerſis &c. Honorabilibus Præpoſito, Decano, & Capitulo Pragenſis Eccleſiæ, Devotis noſtris dilectis. Deliberato & ſano noſtrorum conſilio, &c. Tertiæ verò litteræ tenor eſt iſta:

Ladislaus Dei Gratia, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, &c. Notum facimus univerſis &c. Volentes Archiepiſcopatui Prag. graviſſimis damnis affecto, ejúsq; bonis, ne in totum collabantur, conſulere, &c. *Nos*

Nos conſervationis & augmenti, Almæ noſtræ Metropolis cupidi, ut poſt triſtia, in dies ſerenos ſub noſtra pace reſpiret, dicti Decani, & Capituli precibus gratiosè annuimus. Igitur non per errorem aut improvidè, ſed cum matura animi deliberatione, ſanóq; noſtrorum Procerum & fidelium accedente conſilio, de certa noſtra ſcientia, authoritate regia, ſupra ſcriptas tres litteras Divi Ladislai prædeceſſoris noſtri, prout de verbo ad verbum deſcriptæ & expreſſæ ſunt; & alias omnes litteras, gratias, immunitates, libertates, conſuetudines, donationes, conceſſiones, indulta, ſtatuta, privilegia & jura univerſa, à prædeceſſoribus meis data & conceſſa, ipſi Eccleſiæ Pragenſi, approbamus, ratificamus, acceptamus, roboramus, confirmamus, & de novo concedimus, cum omnibus punctis, articulis, clauſulis, ſententijs & tenoribus ſuis, ac ſi earum eorumque tenores præſentibus noſtris de verbo ad verbum ſpecifice incluſi eſſent, & extenſi. Decernimúsq; ea omnia perpetuum, plenum, firmum & inviolabile robur obtinere; & ut Alma Mater noſtra alma filiorum in ſenecta uberi foveatur, ipſam Pragenſem Eccleſiam, & omnem Clerum ipſius, cum omnibus rebus & juribus, in noſtra protectionis gratiam accipimus ſpecialem; ſupplentes etiam de plenitudine regiæ poteſtatis omnem defectum, qui his noſtris litteris in defectu verborum, clauſularum, articulorum & ſententiarum, de jure, conſuetudine, vel de facto obſiſtere poſſit. Decernimus inſuper, ut omnes litteræ, aut donationes contrariæ, quæ contra hanc noſtram approbationem & confirmationem, per quemlibet, per importunitatem petentium, aut alio quocunq; modo datæ, aut impetratæ forent, nullam penitus obtineant roboris firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram innovationis, approbationis, confirmationis, conceſſionis, decreti, receptionis, ſuppletionisq; paginam quoquo modo infringere, aut eidem auſu quolibet temerario contraire. Si quis autem contrarium fecerit, cum indignatione noſtra graviſſima, pœnam noſtro arbitrio, ſtrictiſſimè reſervatam ſe noverit incurſurum. In quorum omnium &c. Datum Pragæ XXIII. Januarij Anno Domini 1459. Regni noſtri &c. (h)

Quæ

(h) *Litera original. in Archivo Capit. & apud Pontan. in Bohem. Pia lib. j.*

Quæ poſtmodùm calamitoſo illo, Catholicorum procerum contra Georgium, civili bello, accidêre eidem Eccleſiæ hoſtilia & adverſa: nimirum, acti in exilium primarij Prælati & Canonici, bona & prædia non pauca rurſum abalienata, & prophanis hominibus tranſcripta (de quibus Radio ſequenti) ea præmemorato hæreſiarchæ Rokiczano, homini peſſimo, & Capitularibus Metropolitanis, quod in Denominationem ipſius pro ArchiEpiſcopo Prag. aſſentiri nollent, vel maximè infenſo, ideoque hoſti capitaliſſimo, magis, quàm Regi eſſe imputanda exiſtimo. Patet id vel ex eo, quod cùm tandem ultimo regiminis ſui anno, peſtiferis dictis & monitis illius auſcultare deſiſſet, extemplò quoque mitior omnibus, & Capitularibus imprimis faventior reddi cæpit; quos Plſnà ab exilio revocavit, animo ſupplici, & ad pænitendum compoſito, ipſis omnem ſatisfactionem, ac deinceps tutelam & gratiam, Sedi verò Apoſtolicæ debitam reverentiam, & obſequium regio verbo promittens. Atq; hinc etiam factum, quòd mortui corpus in eadem D. Viti Eccleſia in conditorijs Regum ſepeliri meruit. (*i*)

Acti in exilium Capitulares

Rokiczano authore.

Georgius excuſatur,

moritur anno 1471. & in templo Metropol. ſepelitur.

Wladislaus, qui in ejus locum ſucceſſerat, Cazymiri III. Poloniæ Regis filius, & Cazymiri Sancti, cujus dies feſtus IV. Non. Martij in Eccleſia colitur, germanus frater; primis quidem annis, ut imperium, quod non usque adeò concordibus omnium votis ſuſceperat, ſibi tutiùs firmaret, tantò liberaliùs Bona quædam Eccleſiæ proceribus, fiduciæ nomine, poſſidenda conceſſit: uti Przibramum, Cheynovium, Tynam Bechinenſem, & alia minoris gentium: nonnulla verò penitùs abalienavit, dum illa novis poſſeſſoribus in hæreditatem tranſcripſit, nunquam ampliùs redimenda; inter quæ erant: Rozmitalum, Helfenburgum, Wlaſſimiū, Hoſpozinū, Stierboholy, Kyge, Zwolenewesium, & alia cùm ArchiEpiſcopi tùm Capituli Bona: hortus item ArchiEpiſc: cum deſerta domo, in minori Urbe Prag. prope pontem, & domus inſignis Præpoſiti, in eadem Vrbe, ad portam Strahov. & quædam alia. Verùm quia id magis neceſſitate, quàm

M pro-

(*i*) *M. Acta Capitul temp. Georgij Reg. Daubr. l. 30. Hagek ad an. 1470. Cochl. in Hiſt. Huß. lib. 12. Florimund. Ræm. in Hiſt. de ortu & progreſſu hæreſ. l. 4. c. 4.*

VVladislaus Rex bona Eccleſiæ Prag. abalienari deinceps prohibet.

propriæ voluntatis motu ſe feciſſe probè meminerat, brevi conceſſiones hujusmodi reprobavit, atq; ſingulari diplomate, dato an.1472. die XXIV. Dec. cavit, ut *deinceps bona & poſſeſſiones prædictæ Eccleſ. Prælator. Canonicor. totiusq; Cleri ejusdem, per nos, ad ſucceſſores noſtros Bohemiæ Reges, non debeant inſcribi, oppignorari, obligari, aut cuipiam ad longum brevéve tempus locari. Quod ſi ſecus per inadvertentiam, aut importunitatem petentium, aut per oblivionem, aut quocunq; caſu alio contingeret, illud ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, eadem authoritate Regia annullamus, caſſamus, deſtruimus, irritamus, & penitus nullius roboris, ſeu firmitatis eſſe decernimus, perpetuis temporibus in futurum.* Quod etiam Conſtitutionibus Regni, ut inſtar legis eſſet, inſeri juſſit. (*k*) De eodem Rege refert Pontanús lib. 2. pag. 31. *Coronatur poſtea Rex Hungariæ, & reverſus Pragam magno applauſu excipitur, eoq; magis, quia abſente illo, omnia tam ſacra, quam prophana miſcebantur: Rex in arce nullum priùs, quam templi D. Wenceslai tectum ſubijt; Deo gratias agens, tanquam ſalutis ſuæ*

VVladislai Regis pietas,

proſperitatisq; authori. Mox ad referendam gratiam deflexus, multam veſtem ſacram pretioſam, multa tapetia varijs coloribus picta, vim præterea magnam auri & argenti templo dedicavit, accitis artificibus, qui Divorum Reliquias, ac præcipuè Sanctorum Patronorum capita, thecis vilioribus involuta, cælato argento includerent, & deſuper inaurarent. Et ut cultus quoq; divinus in templo adaugeretur, Chorales XV. inſtituit: qui in templo hymnos die noctúq; pſallerent, atq; utroq; tempore, dum per otium licuit, libenter illis interfuit.

Idem Crugerius in ſuis ſacris Memorijs Bohemicis memorat hiſce: (*l*) *Anno Domini 1497. Wladiſlaus Bohemiæ & Ungariæ*

erga Metropol. Eccleſ.am,

Rex quindecim Miniſtros Chorales, duodecim videlicet ſcholares, & tres Sacerdotes, pro officio divino diu ac noctu horarum Canonicarum decantando, in Metrop. Pragenſi inſtituit, proviſione pro ipſis facta è regia depoſitionis domo, quam vulgari vocabulo in Veteri Praga Ungelt *compellamus, ut Sacerdotibus XV. Cantoribus XI.*

ris-

(k) *Conſtitut. Regn. Bohem. Q. XI. Literæ Reg. VVlad. in Archivo Capituli original.* (l) *Cruger. ad diem 6. July Pontan. in Boh. Pia lib. 2.*

reliquis Scholaribus ſingulis X. ſexagena groſſorum darentur. Subinde Rex idem, pretio aliquot millium eandem Metrop. Eccleſiam pretioſis tapetijs, & ſacris veſtibus ornavit ac donavit. Capita verò Sanctorum Regni Patronorum, aliisq; Divorum Reliquias, ad eandem Eccleſiam ſuperſtites poſt Huſſitica diſturbia, gemmis & auro, decoravit. Inſuper duos centenarios ceræ pro candelis, & duo vaſa vini, in uſum Miſſæ Sacrificiorum quotannis è reditibus regijs pendenda, eidem Eccleſiæ contulit. Jus item illud regium, Oſtrujne dictum, à Wenceslao Rege, ut meminimus ſupra, Eccleſiæ & Capitulo conceſſum, & injuriâ temporum intermiſſum, reſtituit, de dato Hunno Brodæ in Moravia an. 1511. Dominicâ poſt Natalem Domini *(m)*. Et, ut in templo Metrop. cultus divinus pluralitate Miniſtrorum magis augeretur, Eccleſiam Collegiatam S. Apollynaris, in nova Civitate Pragenſi, cum ſuis omnibus proventibus, eidem tanquam filialem adjunxit an. 1503. ita ut qui eſſent Canonici Eccleſiæ Pragenſis, cenſerentur eo ipſo etiam Eccleſiæ S. Apollynaris: fructúsque inde perciperent, ſecundùm Capituli diſpoſitionem. *(n)* Ne item ipſe, nec ſui ſucceſſores, bona, villas, fundos, ſubditos, vineas, reditus & reliqua, quocunque nomine illa nuncupentur, ad S. Apollynarem pertinentia, ullo modo abalienare, vel quocunque titulo alijs tranſcribere poſſint, ſe ipſum & ſucceſſores Bohemiæ Reges in perpetuum obligavit, anno 1515. cum addito, ſi quid contra hoc regium ſancitum, ſeu per ipſum, ſeu per aliquem futurum Regem Bohemiæ, errore, oblivione, vel denique moleſtiâ & importunitate petentium, fieret, nullius valoris eſſet, ſed totum irritum maneret, Regésque ſucceſſores ad ſatisfaciendum Capitulo tenerentur. Quæ omnia Ludovicus Rex pientiſſimi Patris ſequutus veſtigia, non tantùm rata habuit, ſed ſingulari ſtudio etiam promovit, anno 1522. 1524. & ſequen. Et quia Abbates & Præpoſiti, qui adhuc poſt tot vaſtitates & ruinas Monaſteriorum ſupererant, jus Oſtrujne, de quo dixi-

& liberalitas.

Collegiata S. Apollynaris Eccleſia Metropolitanæ Pragenſi adjungitur, an. 1503.

Ludovicus Rex

M 2

(m) Diploma VVladislai Regis dat. in Arce Prag. 1497. die 6. Julij, propriâ manu ejus & Ludovici Regis ſubſcriptum. (n) *Literæ Regis VVladisl. originales in Archivo Capit.*

diximus, pendere detrectabant, varia in contrarium cauſali, poteſtatem Capitularibus fecit, eos coram competenti Judice conveniendi, & penſionem ſibi debitam jure ab ijs extorquendi; de dato ſub caſtro Wiſſehrado in Hung. an. 1526. Feriâ III. poſt Dominicam: *Quaſi modo geniti* &c. (o)

Ferdinandus I, Rex.

Ad Ferdinandum Primum, & ex Domo Auſtriaca Regem Bohemiæ IV. jam veniamus, cujus in Eccleſia Metrop. merita, eiq; collata beneficia ſunt profectò magna ac memorabilia. Inter alia, quòd poſt illud terribile incendium an. 1541. die 2. Junij, quo arx Pragenſis, unà cum ædibus ſacris & profanis, Hradczanum, & plus quàm media minoris Urbis pars, miſerabiliter tota conflagravit, templum D. Viti, vel potiùs chorum templi, qui ſolus cum turri nova, & duobus penes illam ſacellis reparabilis ſupererat, reliquâ parte templi, quod vetuſtioribus muris conſtaret (hæc enim à Wenceslao Imp. ædificari cæpta, ob intervenientes ſubitò perniitioſos illos circa Religionem motus abſolvi ita, ut in fabricæ ſtructura choro par eſſet, non potuit) à furentibus vaſtiſſimâ ſtrage incendijs, extremè corrupta, ſuis ſumptibus reſtauravit, & in illum ſtatum, quo illam hodieque videmus, reduxit.

Templum S. Viti poſt incendium ſuis ſumptibus reparari curat.

Multum verò incitamenti ei fuit pientiſſima conjux Anna, Wladislai Regis filia, Ludovici ſoror, quæ Eccleſiam hanc uſque adeò dilexit, ut vivens non alibi, niſi in illa tumulum, in ſepulchro Abavorum Atavorúmque ſuorum, ſibi deſignavit. Quod Rex pari devotione ac pietate præſtans, non tantùm comprobavit, ſed eodem quoque tumulo, ubi vivere deſijſſet, componi voluit. Hinc utriusque in reſtauranda, & magnis rurſum ſplendidisq; operibus exornanda eadem Eccleſia, tam ardens ſtudium; Rex ut Ædem ſacram ab incendio deſtructam, aras Sanctorum, & ſepulchra Divorum Patriæ Tutelarium priſtino decori reſtitueret, turrim à nimia ignis violentia ſupernè collapſam renovaret, campanas novas fundi juberet; Regina verò, ut de ſacro apparatu, calicibus, velis, & alia ad uſum ſacrorum neceſſaria ſupellectili proſpiceret quam

Annæ Reginæ Pietas.

(o) *Liter. Ludov. Regis ad Capitul. Prag. & alia ad Subcamer. Regni. mandat, ut Capitulo aſſiſtat.*

quàm potiſſimùm veſtibus Sacerdotum, & quibusdam propria manu contextis, phrygióque opere elaboratis, quàm munificentiſſimè auxit (*p*)

Sed & reſiduam, nempe poſticam templi partem, quæ tota penitus, unà cum veteri turri Aquiloni obverſa corruit, ne ullis quidem parietinis ſuperſtantibus, inſtauraturus erat Ferdinandus, (ſic in MS. Archivi noſtri notatum invenio) [*q*]) niſi graviſſimo & diuturno bello Turcico impeditus fuiſſet: quod plerumque improſperè geſtum, & multis incommodis acceptis, multóque detrimento & periculo, toto ferè imperij ſui tempore, (ſi modò quinquennes inducias an. 1545, pactas excipias; quas tamen aliud bellum non minùs periculoſum, excepit, quod nonnulli Principes Germaniæ, ac liberæ civitates, prætextu religionis, ut quandóque fit, adverſùs Carolum V. Cæſarem, ejúsque fratrem Ferdinandum Rom. Hung. & Bohemiæ Regem, graviſſimum & formidoloſiſſimum ſuſceperant, quódque a Germanis Smalcaldicum, ob conjunctionem diu quidem occultatam, ſed Smalcaldiæ apertè initam, vocatur) ab infenſiſſimis hoſtibus illatum ſuſtinuit. Ideòque poſt tot amiſſas Urbes validas, imò Regna integra & Provincias, cûm illudens malignè fortuna, vel occulta potiùs quædam fati neceſſitas & vis, vel irata denique ſceleribus mortalium cæleſtia numina, ſperatos ſucceſſus omnes eriperent, ad pacem tandem quibuscunque rationibus parandam ſtudium omne convertit, tranquillitati per hoc populorum ſuorum conſulendum cupiens; ſcilicet, ut ij poſt tot tantásque clades, parto ocio aliquantùm reſpirarent, nec eum dira rerum omnium conturbatione funditus ſubverterentur. Hàc demum an. 1562. ad octennium fæderata, commodam Regni Bohemici Maximiliano filio de manu tradendi, ſimulq; ea, quæ pro decore Metrop. Eccleſiæ Pragenſis, ac religionis Catholicæ emolumento, jam pridem conſti-

Bellum Ferdinandi cum Turcis,

cũ Proteſtantibus Germanis,

Induciæ cum Turcis octennales.

M 3

(p) *MS. Commentarius VVenceslai Decani Prag. ad an. 1541. & ſequ. MS. Acta Henrici Scribonij Prapoſ. & Adminiſtrat. ArchiEp. Prag. Vacante Sede. Pontan. in Boh. Pia, lib. 2. in Ferd.* (q) *MS. Acta Henric. Scrib. Epiſtola ejusd. ad Joachim. de Nova Domo an. 1548.*

ſtituiſſet, in effectum quantocyùs perducendi facultatem ſe na-ctum exiſtimans, Pragam venit. Jam enim optimus Princeps ætate gravis, & quanquàm adhuc aliquantùm vigens, ſed tamen indiès viribus deficientibus haud modicè affectus, extremum vitæ tempus non procul abeſſe ſentiebat; ideóque tum de ſucceſſore Regni tempeſtivè proſpectum, tum Eccleſiæ D. Viti, quæ oſſa ipſius in ſinum ſuum receptura eſſet, reſumenda inde in die Judicij, in ijs potiſſimùm, quæ ad priſtinam ejus gloriam reducendam facerent, in tempore proviſum unicè deſiderabat.

Archi Epiſcopalis Sedes reſtituitur anno 1561.

Reſtituerat jam anno præterito Sedem ArchiEpiſcopalem Pragen. (r) aſſentientibus publico in conventu Regni Ordinibus, licèt aliquorum non ſatis promptis ſuffragijs & votis, & Antonium Viennenſem Epiſcopum, Pragenſem ArchiEpiſcopum nominavit: quem poſtea initio anni 1562. ad Concilium, quod erat â Summo Pontifice Pio IV. in urbem Tridentinam indictum, ſuo, quâ Cæſaris & Bohemiæ Regis, juxtà ac Pragenſis Eccleſiæ nomine, miſit. (s) Augere etiam in majus Divini cultus incrementum,

Ferdinandi Imp piæ, circa Canonicorum in Eccleſia Prag. augendorum numerum cogitationes,

voluit, majorem Canonicorum, & aliorum ejusdem Eccleſiæ miniſtrorum numerum: jámque reditus pro ijs ſuſtentandis è proventibus regijs quotannis pendendos aſſignavit, Bullâ aureâ ſuper ijs ſolemni ſcripto conditâ, die 26. Septembr. an. 1562. quâ inter alia Canonicorum, quot quot pro novis à ſe inſtituendis præbendis, ſive Beneficijs, ſuſcipiendi forent, denominationem ſibi, & ſucceſſoribus ſuis Regibus Bohemiæ reſervabat: & alia quædam, quæ videantur apud Pontanum in Bohemia Pia; (t) *Effectus autem* (inquit ultimò Pontanus, poſtquàm omnia recenſuiſſet) *horum omnium & ſingulorum propter abſentiam* (nam confectis circa coronationem Ma-

(r) *Paproc. in Diadocho Duc. Rep. Epiſcop. & ArchiEp. Bohem in Ferd. I. Rege & Anton. ArchiEp. MS. Acta Henrici Scribenij VVeleslab. in Calend. Hiſtor. ad d. 12. Jan.* (s) *VVeleslab. in Calend. ad d. 4. Jan* [illegible] *de reb. Hung. lib. 20. ad fin. MS. Acta Henrici Scribonij, ad an. 1559. &* [illegible] (t) *Pontan. in Boh. Pia lib. 2. in Ferd. MS. Acta Henr. Scrib. MS.* [illegible] *de Decani Comment.*

Maximiliani filij Pragæ ex animi ſententia rebus, Francofurtum cum eodem filio, novo Bohemorum Rege, brevi etiam diademate ſceptriſque Imperij ſolemni ritu decorando; inde verò anno ſequente, Poſonium diſceſſit: (*& mortem ejusdem Regis pyiſſimi)* an. 1564. die 25. Julij defuncti (*nec in minimo ſecutus eſt. (u)* Pecunia pro erectione novorum Canonicorum non tantùm data nunquam, ſed illa inſuper ſex millia ſexagenarum Miſnenſium pro menſa ArchiEpiſcopi aſſignata, evanuêre: ita ut niſi ArchiEpiſcopus, præter hoſpitalis Crucigerorum cum rubea Stella, ac totiùs ejusdem Ordinis, cui ſupremi Magiſtri officio ac dignitate præerat, haud contemnendorum proventuum ſubſidia, Monaſterij Oſecani Ord. Ciſtercienſium, ditionem utcunque amplam, indulgente Pio IV. Pontifice Max. pro ſuis uſibus conceſſa habuiſſet (Suietecianum, quod à prima fundatione Crucigeris ſacri Sepulchri datum erat, poſteriùs Gregorij XIII. Pontificis Max. permiſſione acceſſit) Sedes ArchiEpiſcopalis mox primis reſtitutionis ſuæ principijs, ex defectu ſufficientis ac debitæ ſuſtentationis ArchiEpiſcopi, miniſtrorúmque ejus, leviter ſatis deſijſſet. Extant horum omnium in archivo Capituli documenta.

ſed abſque effectu.

Alia, quæ idem pijſſimæ memoriæ Imp. pro uberiori Eccleſiæ Metrop. commodo, & in majus Divini cultûs in ea aſſiduè peragendi augmentum, inſtituit, aut fecit, erant; privilegia à prædeceſſoribus ſuis Regibus, & Principibus Bohemiæ omnia, in omnibus & ſingulis eorum contentis confirmata; id verò potiſſimùm, & pro illo rerum ſtatu valdè opportunum ac neceſſarium; ne deinceps bona Capituli, ullo modo, ſive venditionis, ſive oppignorationis titulo abalienari poſſint. (x) Quod etiam in publicis Regni Comitijs, quibus initio anni 1558. ipſemet præſens aderat, à Statibus ratum haberi, ac in perpetuam rei memoriam, Actis Comitiorum inſeri voluit. Similiter illa omnia, quæ Eccleſiæ & miniſtris ejus Rex Wladislaus, è reditibus regijs dari conſtituit, approbavit; & ut ſtatis temporibus,

Alia Ferdinandi Eccleſiæ Divi Viti, & Capitulo collata beneficia.

(u) *Henr. Scrib. in Epiſt. ad D. Joach. de Nova Domo Supr. Cancell. Regni.*
(x) *Privileg. Ferdin. I. Eccl. Prag. conceſſ. an. 1546. 1557.*

ribus, abſque omni tergiverſatione, & ſummâ fide integrè perſolverentur, diligenter curavit; imò ſupra hæc quædam adhuc pro ſua conſueta liberalitate adjecit. Hoſpitale â Joanne II. ArchiEp. Prag. in honorem S. Antonini, & S. Eliſabethæ in Hradczano an. 1375. pro infirmis, vel ætate fractis Sacerdotibus & Clericis erectum, & deinde temporum injuriâ deſolatum, ſuis ſumptibus reſtauravit; & ut præter alios octodecim, cujuscunque ætatis vel ſexûs pauperes, alij adhuc duodecim Eccleſiæ & Scholæ miniſtri, infirmi aut ſenes alerentur, deſignatâ ijs in ſuperiori ejusdem domus hoſpitalis parte habitatione, decrevit: curámque illius primariam Decano & Capitulo Eccleſiæ Metrop. Prag. commiſit. Quotidianam Miſſam â Vicarijs Eccleſiæ, ſolenni ritu, cum Diacono & Subdiacono cantatam, pro remedio animæ ſuæ, Reginæque Annæ, & omnibus ex eadem Auguſta Familia fidelibus defunctis inſtituit; & ut veſtimenta Sacerdotalia in hujusmodi Divini Officij munijs adhiberi ſolita, non ex fabrica ſeu ærario Eccleſiæ, ſed ex reditibus Cameræ regiæ, nunc & in futurum procurarentur juſſit. (y) Sed hoc imprimis in Optimo Imp. obſervatu memoratúque dignum cenſendum eſt: quòd ſciens ſe ſuósque prædeceſſores bona multa tam Eccleſiæ Metrop. quàm aliorum, cùm venditionis, tum oppignorationis titulo abalienâſſe; & quædam â prædeceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus oppignorata ad certum duntaxat tempus, in hæreditatem poſſeſſoribus tranſcripſiſſe; alia ita oppignorâſſe, ut vix aut ſerò redimi poſſent: ad reſtitutionem quocunque tandem modo faciendam, tenerrimæ conſcientiæ Princeps, ſemetipſum condemnabat. Quia verò incertum erat, quid vel quantum eſſet illud, ad quod reſtituendum obligaretur, ſucceſſores ſuos Bohemiæ Reges ad pleniorem ſatisfactionem obligatos eſſe voluit; ita ut, ſi ipſe non omnibus ſatisfaceret, quòd fortaſſe quantùm cuique Eccleſiæ deberet, ignoraret; & futuris primò temporibus plus debuiſſe cognoſceretur, ſucceſſores id pro ſe, & anteceſſoribus ſuis, quorum nimi â

Hoſpitale Hradczanenſe reſtauratur.

Quotidiana Miſſa cantata pro defunctis in Eccleſia D. Viti inſtituitur.

Ferd. I. Imp. tenerrimæ conſcientiæ Princeps.

(y) *Pontan. cit. lib. 2. VVeleslaw. & Cruger. in Ephemerid. ad d. 25. July MS. Acta Henr. Scrib. MS. Petri Lindæ comment.*

nimiâ indulgentiâ, & illaudabili (utpotè non de corio ſuo, ſed de alieno) liberalitate, hæc accidiſſent, reſtituere, aut quomodocunque reſarciri tenerentur. (z) Obijt, Viennæ, anno, ut dixi, 1564. die XXV. menſis Quintilis ſeu Julij, qui Divo Jacobo Apoſtolo dicatus eſt; die mortis ſuæ confeſſario ſuo Matthiæ Sitardo Dominicani inſtituti monacho, tribus menſibus antè, nominato; ætatis verò anno ſexageſimo ſecundo. Corpus anno ſequenti Pragam allatum, & in Metropolitana D. Viti Eccleſia, Annæ conjugi Wladislai filiæ, cum qua per 26. annos conjunctiſſimè vixerat, appoſitum.

De ſucceſſoribus ejus, Maximiliano II. filio, Rudolpho II. & Matthia Impp. nepotibus, pauca invenio, quæ hic recenſeam; niſi quod duo primi (unde aliquam ſaltèm illorum erga hanc S. Eccleſiam Metrop. venerationem advertas) in ea poſt obitum componi voluerunt: ubi Rudolphus amoto veteri Regum atque Impp. monumento, novum ſingulari artificio, magnificentiſſimóque ſumptu, ex alabaſtro Mauſolæum extrui fecit: Organum quoque, quod etiamnum in Eccleſia ſpectamus, inſigne opus, cui non facilè invenitur par, Rudolphi munificentiæ debemus. Matthiæ id unicum, ſed æquè præſtans; quòd vetus Eccleſiæ & Capituli jus (trecentas ſexagenas groſſorum Bohemicorum â Regibus poſt coronationem, ex Caroli IV. inſtituto, in templi ſarta tecta, aliáque neceſſaria pendi ſolitas) ab anteceſſoribus ſuis, imò â ſemet ipſo etiam anno 1611. neglectum, anno poſtmodùm 1616. in coronatione Annæ Reginæ, atque iterum ſequenti in Ferdinandi II. inauguratione reſtitui voluerit. (a)

Rudolphi II. & Matthiæ Impp. beneficia Eccleſiæ Divi Viti præſtita.

Exorto demum, prætextu religionis (ita plerumque fieri ſupra dixi) civili bello, quo nihil unquam atrocius & Patriæ funeſtius, pernicioſiùsq; accidere potuiſſet; eo námque priſtinum gentis noſtræ decus, ac quicquid adhuc avitæ libertatis nos habuiſſe exiſtimabamus, uno veluti ictu proſtratum amiſimus: cùm impia hæreſis formidabilibus ſumptis armis, huma-

Nova Pragæ Religionis cauſâ ſeditio an. 1618.

(z) Diplom. Vien. dat. an. 1564. 1. May. Teſtament. Ferd. I. (a) MS. Caſparis Arnoſti de Radbuza Decani Eccl. Prag. commentar.

na divinis confundendo, omnia ſurſum atque deorſum miſceret, Eccleſia Metrop. ingentem calamitatem tulit. Prælati & Canonici alijq; miniſtri, non ſolùm templo, ſed arce totâ abire juſſi, (an. 1619. die 15. Octobr.) bonisque terreſtribus omnibus exuti, templum ipſum ab hæreticis occupatum, profanatum, altaria diruta, Reliquiæ SS. conculcatæ, imagines confractæ &c. (*b*)

Templum D. Viti ab hæreticis profanatum.

Ne tamen ſibi omnia licere impietas gloriaretur, brevi, & non dum integrè, à cæpta hac loci ſacerrimi abominatione, evoluto anno, glorioſiſſimus Imp. & Bohemiæ Rex Ferdinandus II. ſingulari Divini Numinis benignitate, obtentâ de Friderico Palatino Regni Bohemici incubatore, & de hæreſi ipſa, in Albo Monte prope Pragam memorabili victoriâ, malis ſuis omnibus, cœlo ampliùs minimè tolerandis, non tantum modum impoſuit, ſed finem: à Deo ipſo, ut eventu patuit, deſtinatus Orthodoxæ in Bohemia Religionis Vindex. Nam tertiâ poſt Victoriam die, quæ erat 10. Novembr. an. 1620. cùm jam etiam vetus & nova Urbs Pragenſis, exemplo arcis & minoris Urbis, quæ ſtatim die obtentæ Victoriæ primo, nempe 8. Novemb. poſt Friderici in antiquam Urbem tranſitum, ſeſe victoribus ſubmiſerunt, deditionem feciſſent; Prælati & Canonici Metrop. in poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ poſtliminiò rediêre. A divinis tamen officijs in ea peragendis, quòd acatholicorum ſacris, vel potiùs ſuperſtitionibus polluta eſſet, abſtinuerunt tantiſper, donec etiam ipſe ArchiEp. Prag. Joannes, ejus nominis III. ab exilio redux, eam ſolito in Eccleſia Catholica ritu, priſtinæ dignitati reſtituiſſet: quod factum 1621. die 28. Februarij.

Ferd. II. Imp. in albo monte celebris Victoria.

Templum S. Viti Canonicis reſtitutum.

Interea 24. Novembr. exijt à Carolo Principe de Lichtenſtein Regni gubernatore, & quaſi Prorege, ab Imperatore ſuprema cum poteſtate conſtituto, edictum, ut bona omnia, quæ ab exorta præſentis belli civilis tempeſtate, Eccleſiæ & Capitulo

(b) *Anno 1619. 21. Decembr. Infra, Kad. III. & VI. MS. Caſpar.* [illegible] *an. 1619. & ſequ. Kapihorzsky in Hiſt. monaſt. Sedlecenſ.* [illegible] *an. eund.*

tota Metrop. quomodocunque & à quibuscunque abſtracta, abalienata & occupata fuerant, abſque ulla tergiverſatione, & ſub pœna obſtinatæ perduellionis, quamprimùm reſtituerentur: Dataque eſt poteſtas Capitularibus ſua repetendi; & ſi ex iniquis poſſeſſoribus aliqui ferociores, in contumacia perſiſterent, refragarique vellent, eos apud tribunal Principis denunciandi. Hinc factum, ut ſpatio temporis brevi, pagi ad Dominos redierint ſuos; filia quoque Collegiata S. Apollinaris an. 1597. â Novo-Pragenſibus, Cæſare Rudolpho (ex mala informatione) permittente, erigendi S. Eliſabethæ Hoſpitalis prætextû, cum ſuis omnibus pertinentijs abſtracta, ad matrem ſuam S. Metrop. ditio item Wolynenſis ad Præpoſitum.

Bona item aliqua abalienata, &

Eccleſia S. Apollinaris cum ſuis appertinentijs.

Ultimò illa duntaxat reſtituenda ſupererant (ſed potiora & plurima) quæ olim ſub primis Huſſiticarum ſeditionum annis, & deinceps graſſante hæreſi, Regibus Bohemiæ conniventibus, vel impedire non auſis, abalienata eſſe conſtabat. Quia verò tantâ temporis diuturnitate, videlicet ab anno 1410. circiter, quo ſacra profanis miſceri, ac ſúsque déque agi cæpêre, bona illa hinc inde diſtracta, & ſucceſſivè in alias poſt alias manus devoluta, varijsq; titulis, ab his vel majoribus ipſorum emptione, ab alijs commutatione, comparata, in eum tandem ſtatum devenerunt, ut in præſentiarum â poſſeſſoribus bonæ fidei teneri cenſerentur, neque ipſis ſine gravis injuriæ nota auferri poſſent: quæ autem Camera regia fecerat ſua, uti Lætæ Curiæ ampliſſimos proventus (vulgò in *Ungelt* dicimus) â pijs Bohemiæ Regibus, ut ſuprà meminimus, Eccleſiæ & Capitulo regiâ ſanè liberalitate donatos; & alia, quòd jam pridem ab Eccleſiæ & Capituli uſu abſtracta, in Regum commodum, & poſt tanti temporis, duorum penè ſæculorum decurſum, in ipſum directum ac plenum eorundem Dominium tranſijſſent, adeóque ob hujusmodi protenſas præſcriptiones, & neſcio quas exceptiones evictionesque, reſtitutioni obnoxia, è quorundam Juriſperitorum conſulto, minimè putarentur: glorioſiſſimus Imp. juxtà ac piiſſimus Rex Ferd. II. ut pro ſua innata bonitate, difficultati huic remedium ferret, & poſſeſſorum bona illa & fructus tenen-

Circa ſatisfactionem pro bonis Capitularium quondam alienatis, & jam quaſi irrecuperabilibus,

Ferdinandi II. piiſſimæ intentiones,

nentium quieti certâ ſecuritate proſpiceret, alia eorum loco, Eccleſiæ Metropolitanæ, & primò quidem ArchiEpiſcopali, quæ 24. millia, Capitulo verò 18. millia ſexagenarum Miſnenſium inferrent annuè, dare ac in perpetuum annectere conſtituit. Quam benigniſſimam mentem ſuam, cùm an. 1624. Comitijs Ratisbonenſibus feliciter terminatis, Pragam veniſſet, per Guilhelmum Slavatam Comitem, ipſis Dominicæ Reſurrectionis ſolennijs, Decano Eccleſiæ Caſparo Arſenio (adnotatum hoc diligenter, in archivo Capituli hodiéque legimus) referri juſſit.

Jámque ArchiEpiſcopus Arneſtus ab Harrach, qui Joanni III. pijſſimæ memoriæ Præſuli an.1623. ſucceſſerat, Dominiorum Rubro Rzeczicenſis, Novo Richnowienſis, Rosmitalenſis & Tynenſis ad Wltavam, quondam etiam,dum res integræ eſſent, ArchiEpiſcopalium poſſeſſione gaudebat, ex quibus fortaſſe medium, de aſſignata 24000. ſumma fructuum capere potuiſſet. Ubi verò gentium manſit reliquum? (Oſſecanam enim & Suietecianam Ditionem, quas huc usque ArchiEpiſcopus tenebat, pijsſimus Imperator ſuo quoque Ordini, hanc Cruciferis SS. Sepulchri, illam Ciſtercienſibus reddi voluiſſet) ubi Tribramum civitas, & ditio cum quadraginta quinque pagis? ubi Raudnicenſe, Pelhrzimovtenſe,Helfenburgenſe,Herſteinenſe, Stiepanowienſe,Kriwſaudovienſe,Chegnowiéſe,Heraleccenſe, Supihorenſe, Wiskitnenſe, Zierecenſe,Kyge, Dominia ampliſſima? ubi Bohemo-Broda, Rokicana, Hoſſtka, civitates, ut de Cogetino & ejus appertinentijs in Moravia, taceam, & alijs quàm plurimis, de quibus Radio VII? Maximè autem Tyna Horesſij, ArchiEpiſcopalium quondam bonorum nobiliſſima portio; quæ tunc à Guilhelmo ſeniore de Lobkowicz lege Juliæ Majeſtatis reo, in fiſcum regium devoluta, ad priſtinum Dominum facilè omnino redire potuiſſet, cur non acceſſerit? vel, per quos ſtetit, quòd Capitulum eorum, quæ Cæſarea Majeſtas piâ liberalitate conſtituerat, nihil penitùs acceperit? dicere, hic, nec placet, nec expedit. Poſterita s hac inparte, ùt ſperamus, futurâ liberior, tutiùs & audaciùs hæc deſcribet; neque cum-

ſed absq; effectu.

contenta deſcribere, *amicos* (ſic enim quandoque tales appellari ſolent (c) quorum conſilijs hæc accidêre, ordine quemque nominabit: ſunt enim, & manent ad perpetuam rei memoriam, hæc omnia ſuis locis accuratè notata. *Veritatem* (ait Seneca) (d) *aperit dies.*

Interea tamen eſt laudanda voluntas pijſſimi Imperatoris *Voluiſſe ſat eſt*: culpa maneat penes illos, qui ſuis conſilijs, optimum Principem & Sanctiſſimum à tam pijs cogitatis averterunt.

Actum deinde ſtudio per quàm diligenti, ſi quo modo pro bonis, tum Eccleſiæ Metrop. tum alijs omnibus, ac univerſo Ordini ſacro per Bohemiam, quocunque tandem prætextu ablatis, abalienatisq; ſatisfieri poſſet: Delectique ſunt, ita jubentibus Vrbano VIII. & Ferd. II. Imp. arbitri, tractando huic negotio, utrinque viri graves, & experientiæ ſingularis; qui poſt multa, ultro citróque agitata, ultimò in hanc ſententiam convenerunt an. 1630. die 8. Martij, ut Cæſarea Majeſtas, quâ Rex Bohemiæ, ceſſerit penſionem perpetuam 15. cruciferorum, ſive quartæ partis floreni Rhenenſis, ſuper qualibet cupa ſalis, qui in Bohemiam advehitur, vel ſi quis aliquando in Bohemia effoderetur, aut quomodolibet conficeretur, â Statu Eccleſiaſtico in ſuum uſum & commodum deinceps ſemper, ac futuris omnibus temporibus exigendam, (e)

Viciſſim ſtatus Eccleſiaſticus, vigore hujusce conventionis (reſervatis tamen certis conditionibus & pactis) ceſſit jus omne, quod haberet, vel habere poſſet, ſuper bonis cujuscunque Eccleſiæ vel Ordinis, (Ordine ſolùm Crucigerorum Melitenſium ſive Hoſpital. excepto) in eodem Regno, quocunque modo & tempore, ante regimen glorioſæ memoriæ Rudolphi II. Imp. abalienatis, ita ut non ampliùs quicquam ex ijs uſurpare ſibi, vel repetere, poſſit ac valeat in perpetuum. Sicq; prætenſionibus omnibus & controverſijs, adverſùs incolas Regni, bona

Tranſactio ſuper Bonis Eccleſiaſticorum ſub primis Huſſiticæ pravitatis motibus, & deinceps graſſante in Regno hæreſi, diver ſimodè alienatis, quæ vulgo dicitur;

(c) *D. Hieron. in Prologo Gall.* (d) *Seneca lib. 2. de Ira cap. 28.* (e) *Cauſa in Germ. Sacra reſtaur. pag. 399.*

bona Eccleſiaſtica poſſidentes, de & ſuper eorundem bonorum diverſimodè abalienatorum recuperatione, & tam illorum, quàm fructuum perceptorum reſtitutione, finis eſt impoſitus, perpetuúmque ſilentium. Proteſtari primùm contra cæpit Pragenſe Capitulum, datis Viennámque miſſis, ad ſupremum Regni Bohemiæ Cancellarium, eundem cujus ſupra meminimus, Guilhelmum Comitem Slavatam 6. Januarij an. 1630. literis, & penes illa, anno 1623. ut paulo ante diximus, ſibi oblata ſatisfactionis media manere petijt: ſed invanum. Non abs re, nec fortaſſe ingratum lectoribus, me facturum exiſtimarem, ſi tranſactionem illam, inter Urbanum VIII. & Ferd. II. Imp. ſuper reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, graſſante hæreſi, in Bohemia diverſimodè alienatorum an. 1630. initam, quam vulgò *Contractum Salis* vocamus, hic per modum diverticuli proponerem: verùm quia prolixitate ſuâ mihi multas paginas faceret, ſummam ipſius tantùm, inſtar indicis paucioribus comprehenſam, ita tamen ut è potioribus nihil omittatur, attingam.

CONTRACTUS SALIS; qui hic ſummatim explicatur.

I. *Contractum hunc iniverunt, per plenipotentiarios & mandatarios ad hoc ſpecialiter deputatos, Papa Urbanus VIII. nomine ſuo, & S. Sedis Apoſtolicæ, nec non totius Cleri, tam ſæcularis, quàm regularis; & Ferd. II. Imp. nomine ſuo, ſuorúmq; in Regno Bohemiæ hæredum, & ſucceſſorum Catholicorum, legitimè intervenientium, ſicuti & eorum, quibus ipſe Ferdinandus, & ejus in Regno Bohemia anteceſſores, aliquid de bonis Eccleſiaſticis, graſſante in dicto Regno hæreſi, diverſimodè alienatis, dederunt.*

II. *Plenipotentiarij & mandatarij pro parte Sanctiſſimi, fuerunt Eminentiſſimi S. R. Eccl. Cardinales, Dominus Erneſtus Adalbertus ab Harrach ArchiEp Pragenſis, & Dominus Joannes Baptiſta Palottus ArchiEpiſcopus Theſſalonicenſis, ac ſuæ Sanctitatis & S. Sedis Apoſtolicæ, per Germaniam, Hungariam, Bohemiam & univerſúmq; Imperij diſtrictum, cum facultate Legati de Latere Nuntius. Pro parte verò Ferd. II. Rom. Imp. tanquàm Bohemiæ Regis, Maximilianus Comes de Trauttmansdorff, Guilhelmus Comes*

Slavata, ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius, & Otto Liber Baro de Noſtitz, ejusdem Regni Vice-Cancellarius.

III. *Contractus iſte eò unicè ſpectabat, & referebatur, ut per illum in perpetuum extinguerentur, & eliderentur omnes prætenſiones & controverſiæ, quæ adverſus* Reges Bohemiæ, & Cameram dicti Regni, nec non ejusdem Regni Duces, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles, civitates, communitates & alios quoscunque ſubditos Regni, bona Eccleſiaſtica in dicto Regno poſſidentes, de & ſuper eorundem bonorum *ad Eccleſias & Monaſteria, tam virorum, quàm mulierum, aliáq; Beneficia Eccleſiaſtica, tam ſæcularia, quàm regularia, ſpectantium, & graſſante hæreſi in dicto Regno diverſimodè alienatorum recuperatione, ac illorum, & fructuum perceptorum reſtitutione, rebúsq; alijs, motæ & deductæ fuerunt, & in futurum moveri, & deduci poſſent. Item ad conſulendum conſcientijs, talia bona poſſidentium, & procurandum bonum publicum pacis & quietis, inter Eccleſiaſticos & Laicos præfati Regni Bohemiæ incolas.*

IV. In hunc finem plenipotentiarij Cæſarei ceſſerunt in perpetuum Sanctiſſimo, & Sedi Apoſtolicæ *in Beneficium Eccleſiæ, Religionis Catholicæ, & univerſi Cleri Bohemiæ, annuum perpetuum redditum, 15. cruciferorum, ſuper quolibet modio ſalis, quem ſuo vocant, magnam cupam, in Regnum Bohemiæ ex quacunq; parte introducendi, vel in ipſo Regno Bohemiæ effodiendi, vel excoquendi, vel quomodolibet conficiendi.* Quam ceſſionem Domini plenipotentiarij Sanctiſſimi acceptârunt, additis nonnullis conditionibus, videlicet.

1. *Ut aſſignatio præfati annui redditûs ſalis, mutari ſeu revocari non poſſit, neq; per eundem Imperatorem, neq; per ejus in Regno Bohemiæ heredes, & ſucceſſores quosvis in perpetuum, nec per ejusdem Regni Status, quovis prætextu, vel cauſa, niſi prius cum S. Sedis ac Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis, authoritate & approbatione, eorundémq; Eccleſiaſticorum conſenſu assignatis tot alijs bonis immobilibus frugiferis, uberius, nulliq; oneri aut ſervituti ſubjectis, in dicto Regno conſiſtentibus, quæ annuatim tantum reddant, quantum præfata aſſignatio quindecim cruciferorum, ſuper quolibet*

bet modio ſalis, ut ſupra, in Regnum introducendi, aut aliàs quomodo libet effodiendi, excoquendi, aut conficiendi redderent, florente Regno. 2. Ut redditus annuus præfatus ex ſale habendus in favorem dictorum Eccleſiaſticorum, modò eis benè viſo, non abſque ad manus Officialium regiorum, deveniat, & devenire debeat, eorundemque jus ſit inquirendi, & providendi, ne quid in fraudem dicti annui redditûs unquam fiat. 3. Ut præfatus redditus ſalis in favorem Eccleſiaſticorum, ut præfertur, aſſignatus, intelligatur eſſe, & ſit merus Eccleſiaſticus; & ijs privilegijs, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus & prærogativis potiatur, & gaudeat, quibus de jure, vel conſuetudine, vel aliàs quomodolibet bona merè Eccleſiaſtica potiuntur & gaudent.

V, Viciſſim Domini plenipotentiarij Sanctiſſimi Domini Papæ Urbani VIII. ceſſerunt in perpetuum & ſine *Onere* ullius *Evictionis*, Auguſtiſſimo Imp. & ejus in Regno Bohemiæ legitimis hæredibus ac ſucceſſoribus, *omnibus bonis, decimis, præstijs, rebus, juribus, actionibus, annuis præſtationibus, cenſibus, ad quoscunque Eccleſiaſticos Regni Bohemiæ (non tamen ad Hoſpitale S. Joannis Hieroſolymitani) quomodolibet ſpectantibus; cujuscunque qualitatis, quantitatis, & valoris fuerint, & quocunque prætextu, vel cauſa, graſſante in Regno Bohemiæ hæreſi, occupata, alienata & uſurpata ſint, ac detineantur. Ita ut quæ taliter alienata, vel occupata ſunt, ante regimen Rudolphi II. (ſive Camera teneatur de eorum evictione, ſive non) poſſeſſoribus eorundem pleno jure, & irrevocabiliter permaneant.* Quæ verò alienata vel occupata ſunt *poſt regimen Rudolphi II. ea non cenſeantur incluſa* huic contractui, niſi fuerint ejusmodi, *ut eorum poſſeſſores habeant actionem de evictione contra Cameram regiam Bohemicam, ſeu Regni Bohemiæ.* Quam ſi habuerint, idem fore de illis, quod de bonis *ante Rudolphi II. regimen alienatis & occupatis*, intelligendum.

VI. Reſervârunt nihilominùs præfati Domini Papales plenipotentiarij Eccleſiaſticis. Primò, omnia jura, privilegia, immunitates & prærogativas non attingentes *bona immobilia, annuas præſtationes, decimas, cenſus, libellos, emphyteuſes & alias*

rei

res Eccleſiaſticae durante hæreſi alienatas, vel occupatas; ita ut his juribus per hujusmodi ceſſionem ſeu transactionem *nullum fiat, aut factum cenſeatur quocunq; modo præjudicium.* Reſervârunt ſecundò, *jura & actiones, quæ Eccleſiaſticis quomodolibet competunt, vel competere poſſunt aut poterunt, ſuper bonis quocunq; tempore, etiam ante Rudolphi II. regimen oppignoratis, dummodo poſſeſſores non habeant contra Reges Bohemiæ, vel regiam Cameram actionem de evictione; vel ſi illam habuerint, poſſint Eccleſiaſtici ipſi, ſolutâ pecunia ob quam fuerunt oppignorata, ſuſceptisq; in ſe moleſtijs, illa liberè recuperare.*

VII. Vi hujus contractûs abſolvuntur, & declarantur *Reges Bohemiæ, & quicunq; alij ejusdem Regni Duces, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles, civitates, communitates, & quicunq; alij Regni ſubditi, bona Eccleſiaſtica in dicto Regno poſſidentes, in utroq; foro tam externo, quàm interno, liberi, tuti, & ſecuri, ab omni eorundem, & fructuum ex ipſis perceptorum reſtitutione; prohibenturq; Reges Bohemiæ dictorum bonorum poſſeſſoribus, ſi Catholici fuerint, ſuper ijs, & eorum poſſeſſione aliquas inferre moleſtias.*

VIII. Ne verò Eccleſiaſtici contra poſſeſſores bonorum, de quibus inter utrosque plenipotentiarios transactum eſt, poſſent ſe tueri aliquo jure, in favorem bonorum Eccleſiaſticorum condito, Sanctiſſimus Dominus Papa Urbanus VIII. in hoc contractu expreſſè derogavit, & ex tunc derogatum eſſe voluit, *omnibus juribus, conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, privilegijs, indultis, & literis Apoſtolicis, quæ contra hanc bonorum Eccleſiaſticorum ceſſionem facere, aut ejus effectum impedire, vel labefactare poſſent; illis alioquin in ſuo robore permanſuris.*

IX. Ad majus hujus contractûs robur & firmitatem, voluerunt Domini plenipotentiarij Sanctiſſimi, ut conventio, aſſignatio aliáque omnia in Inſtrumento præſentis contractûs contenta, *inſerantur in Tabulas* (ut vocant) *dicti Regni; juxta ejusdem Regni ſtylum & uſum.* Utque hujusmodi conventio

pro non facta habeatur, caſu quo Imperator, vel ejus in Regno Bohemiæ hæredes & ſucceſſores, vel quilibet eorum, vel etiam ejusdem Regni Status, in totum vel in parte, eidem conventioni, vel aliquibus in Inſtrumento præſentis contractûs contentis, contrafecerint, aut contra illam, & illa venerint; ſit nihilominùs in eo caſu in Sanctæ Sedis Apoſtolicæ electione; vel eandem conventionem & in ea, ac in Inſtrumento præſentis contractûs contento, nullam declarare, vel ut ad illius & illorum implementum agant, Eccleſiaſticis jubere.

X. His inter Dominos plenipotentiarios Pontificios & Cæſareos, coram *duobus Notarijs juratis*, ultro citróque transactis, utrique Domini plenipotentiarij jurârunt tactis ſcripturis, ad S. Dei Evangelia, *de omnibus & ſingulis, in hoc contractu contentis, firmiter & inviolabiliter tenendis & adimplendis.*

Ex hoc contractu *ſequitur* I. Contra & adverſùs Reges, aut Cameram Regni Bohemiæ, & alios quoscunque ſubditos ejusdem Regni, poſſidentes bona Eccleſiaſtica occupata, uſurpata, vel alienata, ante regimen Rudolphi II. nullam prorſus cuiquam ſupereſſe, dari, vel competere actionem ſuper eorundem bonorum recuperatione, vel fructuum perceptorum reſtitutione, ſive Reges Bohemiæ, aut Camera Regni, teneantur poſſeſſoribus de *evictione*, ſive non.

Sequitur II. Idem intelligendum eſſe de bonis Eccleſiaſticis, alienatis poſt regimen Rudolphi II. ſuper quibus Camera regia, aut Reges Bohemiæ, tenerentur poſſeſſoribus præſtare *evictionem*.

Sequitur III. Vi hujus contractûs, tria tantùmmodò jura fuiſſe reſervata Eccleſiaſticis, reſpectu bonorum alienatorum. I. Jus in bona alienata poſt regimen Rudolphi II. quorum poſſeſſoribus Reges Bohemiæ, vel Camera Regni, non tenentur de *evictione*. II. Jura & actiones ſuper bonis quocunque tempore (etiam ante Rudolphi II. regimen) oppignoratis, dummodò poſſeſſores non habeant contra eosdem Reges Bohemiæ, vel Ca-

Cameram regiam, actionem de *evictione*, vel ſi illam habuerint, Eccleſiaſtici ipſi ſolutâ pecuniâ, ob quam fuerunt oppignorata, ſuſceptisque in ſe moleſtijs, poſſint illa liberè recuperare. III. Jura, immunitates, prærogativæ & privilegia, *perſonalia vel quaſi perſonalia*, non attinentia *bona Eccleſiaſtica immobilia, annuas præſtationes, decimas, cenſus, emphyteuſes, & alias res ſimiles*.

Sequitur IV. Sub nomine bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus in hoc contractu transactum eſt, comprehendi, quidquid ſpectabat ad Eccleſias, Capitula, Monaſteria, tam virorum, quàm mulierum, Beneficia Eccleſiaſtica tam curata, quàm ſimplicia, hoſpitalia, orphanotrophia & ſimilia; ijs ſolis exceptis, quæ quomodolibet ſpectant ad Hoſpitale S. Joannis Hieroſolimitani. Comprehendi item ſpeciatim decimas, primitias, annuas præſtationes, cenſus, res, jura & actiones, ad quoscunque Eccleſiaſticos Regni Bohemiæ (non tamen Hoſpitale S. Joannis Hieroſolymitani) pertinentes, cujuscunque qualitatis, quantitatis & valoris fuerint, & quocunque prætextu vel cauſâ, occupata & uſurpata ſint ac detineantur.

Sequitur V. Poſſeſſores bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus transactum eſt, non teneri ad ulla onera realia, cauſas pias concernentia, & eisdem bonis, ante ipſorum occupationem inhærentia: quia in hoc contractu expreſſè dicitur; ceſsionem bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus transactum eſt, eſſe intelligendum de juribus & actionibus, quæ prædictis Eccleſiaſticis competunt, reſpectu bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, annuarum præſtationum, decimarum, cenſuum, & aliarum rerum ſimilium.

Sequitur VI. Sub nomine bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus transactum eſt, non comprehendi ea, quæ ſpectabant ad Eccleſias, hoſpitalia, ſcholas, parochias, aut alia Beneficia erecta, & fundata ab hæreticis, & in uſum hæreticorum; quia ſunt bona purè ſæcularia, quæ nunquam tranſiverunt in jus

Eccleſiæ; nec poſſunt dici bona, graſſante hæreſi, alienata ab Eccleſia; de quibus loquitur contractus ſalis.

Sequitur VII. Poſſeſſores bonorum pertinentium ad parochias aut hoſpitalia, puta agrorum, pratorum, piſcinarum, ſylvarum &c. non teneri illa reſtituere; neque decimas, aut annuas præſtationes ſolvere.

Sequitur VIII, Poſſeſſores bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus transactum eſt, non teneri ad reſtaurandas de ſuo parochias, Eccleſias, hoſpitalia &c. quæ per eiusmodi bonorum occupationem, aut alienationem everſæ, profanatæ vel potius deſtructæ ſunt: ſed id videri faciendum eſſe ex redditibus annuis ſalis, utpote à Ferdinando II. in beneficium Eccleſiæ Catholicæ Religionis, & univerſi Cleri Regni Bohemiæ, traditis & aſſignatis.

Sequitur IX. Bona Eccleſiaſtica, de quibus in contractu ſalis transactum eſt, deſijſſe eſſe Eccleſiaſtica, & tranſiviſſe in ſortem bonorum ſæcularium; adeóque poſſe eorum poſſeſſores, & Reges Bohemiæ eodem jure de illis diſponere, & eodem jure frui, quo fruuntur, & poſſunt diſponere circa bona, quæ nunquam fuerunt Eccleſiaſtica, vel ad aliquam piam cauſam ſpectantia.

Sequitur X. Annuum redditum ſalis, non poſſe à Regibus Bohemiæ, vel Camera regia mutari in bona immobilia, ſine expreſſo conſenſu Sedis Apoſtolicæ. Bona autem immobilia debere eſſe talia, ut annuatim reddant tantum, quantum inferret aſsignatio quindecim cruciferorum, ſuper quolibet modio ſalis, florente Regno.

Sequitur deniq;. Reges Bohemiæ teneri poſſeſſores bonorum Eccleſiaſticorum, de quibus transactum eſt, contra quoscunq; aggreſſores, aut moleſtatores in pacifica poſſeſsione manutenere, & protegere, & actores in contrarium à limine judicij repellere.

Hunc in modum contractu iſto finito, ac utrinque tabulis

bulis ſolenniſſimè firmato, Capitularibus noſtris, ultra proteſtandi, aut quocunque modo contradicendi, præciſa eſt facultas omnis.

Aſſignatum etiam, quantum Ordines Regularium, ex collecta illa pecunia ſalis, quotannis percipere debeant; Benedictini duo millia ſexagenarum Miſnenſium; Ciſtercienſes totidem; Præmonſtratenſes totidem: Abbas Carlovienſis Canon. cor. Regul. S. Auguſtini in nova Civitate Pragenſi, mille florenos. Capitulum Metrop. nihil penitus: ſicut nec Litomerzicenſe, Wiſſehradenſe, Omnium Sanctorum in arce Prag. Boleslavienſe; ut mirari ſatis nequeam, quâ ratione, quâ cauſâ, quo denique authore, vel cujus culpâ id accidere potuerit, quòd Ordo Eccleſiaſticus *non habuerit tunc hominem*, qui partes ejus pro jure ac debito tuendas promovendáſque ſuſcepiſſet? *O tempora!*

Qui Regulares gaudent quotannis penſionibus de pecunia Salis?

Decennio poſt, ipſa tandem Sedes Apoſtolica Capituli noſtri miſerta, viginti quinque millia florenorum, de dicta pecunia ſalis jam in notabili quanto collecta ei aſſignavit: ex quibus, tria millia cum ſtatim in procuranda templi neceſſaria fuerunt converſa, aſſentiente ArchiEpiſcopo ErneſtoCardinali ab Harrach; reſiduum in quæſtura Cameræ regiæ manet, ex quo ordinarius cenſus annuus nobis penditur: ducentos florenos Eccleſia pro neceſſarijs accipit, reliquum Decanus &Canonici, ad quos vigore primæ ordinationis pertinet, inter ſe dividunt. Adeóque beneficium hoc Capitulares immediatè Sedi Apoſtolicæ debent, â qua ſuo tempore adhuc aliquid plus ſeſe obtenturos ſperant & credunt; quò tandem Eccleſia noſtra quondam glorioſiſſima, majore miniſtrorum aucta numero, ſi non in priſtinum, ſaltèm in quale quale reſtituatur decus.

Sedes Apoſtolica, Capitulo aſſignat de pecunia Salis, viginti quinque millia florenor. an. 1640.

Porrò decreti Romani ſuper eo lati copia ſic habet: *Decretum Sacræ Congregationis de propaganda Fide habitum, die 2. Aprilis 1640. coram Eminentiſſimis. Referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Spada, litteras D. Cardinalis ab Harrach, ad inſtantiam Capituli & Canonicorum Eccleſiæ Metrop. Pragenſis, ut*

cis

eis aliqua portio Datij ſalis Regni Bohemiæ, in recompenſationem damnorum paſſorum, prout factum fuit cum Regularibus ejuſdem Regni, aſſignaretur.

Sacra Congregatio primò cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, præfatis Capitulo & Canonicis poſſe aſſignari viginti duo millia florenorum, ex redditibus ejuſdem Datij hactenus exactis, qui, ut fertur, in ærario Sac. Cæſ. Majeſtatis reperiuntur; & inſuper alia tria millia florenorum, ex eiſdem redditibus hactenus exactis; quæ cum prætactis viginti duobus millibus, ſummam faciunt florenorum viginti quinque.

Secundò, cenſuit, ſi pariter eidem Sanctiſſimo placuerit, ſummam prædictam viginti quinq; millium florenorum, inveſtiendam eſſe, in tot bonis ſtabilibus, tutis ac ſecuris, & ab omni & quacunque obligatione, reſponſione, livello, cenſu, aut alijs gravaminibus quocunq; nomine nuncupentur liberis, & exemptis, arbitrio ejuſdem D. Cardinalis ab Harrach.

Tertiò, cenſuit bona prætacta, cum dictis viginti quinq; millibus florenorum acquiſita, menſæ Capitulari eſſe perpetuò uniendа, & incorporanda: ac eidem D. Cardinali ab Harrach facultatem concedendam eſſe aſſignandi, & diſtribuendi ac dividendi fructus ex dictis bonis percipiendos, prout ei videbitur; habitâ tamen ratione majoris utilitatis, decoris, ac ſervitij præfatæ Metrop. Pragenſis. Eodem die Sanctiſſimus Dominus Noſter Sac. Congregationis probavit, & præfato Domino Cardinali de Harrach facultates neceſſarias conceſſit, prædictum decretum exequendi, juxta illius tenorem, & continentiam; non obſtantibus &c.

Ferdinandi II. collata Eccleſiæ S. Viti Beneficia.

Cæterùm Baſilica Pragen. non parum debet Ferdinando II. qui eam multis ornamentis, uti Aram principem imagine illâ, artis pictoriæ ſingularis, quam Rudolphus II. Imp. rerum hujusmodi magnus æſtimator, argento pretioſiorem ducebat; ſepulchra Divorum patriæ Tutelarium ſericeis tegumentis, ac ſupernè appenſis argenteis lampadibus perpetuum lumen foventibus; parietes ab imo ad fornicem usque, quin & ipſum fornicem, varij generis picturis, præcipuè verò ſupernè in Choro,

ro, Domûs Auſtriacæ inſignijs; pavimentum denique albo rubróque marmore ſtratum, & alia; aſſignatis in hæc omnia, de Cameræ ſuæ redditibus, quindecim florenorum millibus, regiâ profectò liberalitate, illuſtravit: per quod ſatis apertum, ſui in hanc Sanctam Eccleſiam amoris monimentum & pignus reliquit. Nec minus Capitulum habet, quod in glorioſiſſimo Principe prædicet ac commendet: qui privilegia ipſius omnia & ſingula, gratias, libertates, immunitates, prærogativas, conſuetudines, ſtatuta, bona & poſſeſſiones, indulta & jura univerſa, tam â Sede Apoſtolica, quàm à prædeceſſoribus ſuis olim Rom. Impp. & Bohemiæ Regibus, Ducibúsque data & conceſſa, ratificavit, approbavit, innovavit & confirmavit; de dato Viennæ anno 1626. IX. Calend. April.

Accedit & illud, quod cum in comitijs an. 1627. Pragæ habitis, Statum Eccleſiaſticum in priſtinum, eúmque inter Politicos Ordines primum reſtituiſſet gradum, ArchiEpiſcopum Primatem Regni conſtituit: (*f*) Capitulares verò Metrop. hanc prærogativam, ut in Conventibus Regni publicis, poſt Archi-Epiſcopum, Epiſcopos, & Magnum Melitenſium Priorem, alios omnes Prælatos, cùm ſeſſione, tùm voce ſeu jure ſuffragij antecederent, in perpetuum habere juſſit. Neque hoc intermitti debet, quod Arſenius Decanus in ſuo diario, ad an. 1627. diligenter adnotavit. *Poſt coronationem, Eleonora Imperatrix Auguſta, donavit Eccleſiæ noſtræ, pro veteri Regum conſuetudine, veſtem ſuam, in qua coronata fuit.* Et paulo poſt: *Ferdinandus Tertius donavit quoq; veſtem ſuam regalem, in qua regium diadema ſuſcepit. Ex quibus facta ſunt duo pluvialia. Petiimus etiam trecentas ſexagenas Pragenſes, à Regibus Bohemiæ ante hac ſemper poſt coronationem, Eccleſiæ noſtræ pendi ſolitas. Et ſua Majeſtas Ferdinandus II. non erat contrarius, ſed aliqui impediverunt, &c.* Qui illi fuerunt, ordine recenſet ipſe, ego nominibus parco, ne deteſtandam apud nos illorum ſanguini nepotibúsque memoriam, ſtatuere videar.

Ferd II. Statum Eccleſiaſticum in priſtinam inter Politicos Ordines dignitatem reſtituit.

Anno

(*f*) *Carol. Caraf. Nunc. Apoſtol. in Germania Sacra reſtaur. pag. 381.*

Anno 1628. 28. Maij Eccleſiam S. Apollinaris à Rudolpho Imp. abalienatam, & novæ Civitati Pragenſi, uti docuimus ſupra, ad malam informationem Miniſtrorum, datam, Capitulo Metrop. Pragenſi reſtituit: ad quam eodem anno, 30. Junij, D. Arſenius Decanus Metrop. induxit primum Decanum, D. Eliam Kolbium Canonicum Eccleſiæ Pragenſis.

Anno 1629. in comitijs, voluiſſe quoſdam Statum Eccleſiaſticum, vix dum in priſtinum intra Ordines Regni gradum receptum, â quibusdam publicis Regni Officijs, ut â ſuprema Quæſtura, & alijs, invenio; ſed Ferdinandus II. probare hæc minimè voluit. (*g*)

Ferdinand. III. Eccleſiæ Metrop. Pragenſis eximius cultor & amator.

Hujus filius, & Regnorum ſucceſſor Ferdinandus III. amator quoque noſtræ S. Eccleſiæ & cultor extitit ſingularis, quam idcirco ſpeciali affectu proſequebatur, & dum Pragæ eſſet, occultâ quâdam animi inclinatione quaſi impellente, libenter frequentabat; ajebatq; (prout ab ijs, qui ei â familiarioribus miniſterijs proximi eſſe ſolebant, audivimus) mirâ animi ſuavitate ſe teneri, dum in ea orationibus, vel alijs pietatis officijs vacaret. Hunc porrò amorem, donarijs non paucis, potiſſimùm verò veſte ſacrâ, divite auro argentóque lucente, uti etiam aulæis pretioſis, pro parietibus Chori diebus ſólemnioribus integendis, liberaliſſimè cumulavit. Auditus etiam fuit, cùm anno 1652. Pragæ moraretur, velle ſe, reducta jam feliciter, poſt tot tantásque bellorum calamitates in Regnum Bohemiæ pace, ubi tantùm præſentes circa Ferd. IV. majorem natu filium â Septemviris Imperij in Regem Romanorum eligendum, curas ad votum expectationémque ſuam terminâſſet, proſpicere de medijs, ut poſterior quoq; Metropolitanæ S. Viti pars (Navim templi vocamus) a Wenceslao Imp. an. 1392. ædificari quidem cœpta, ſed propter Huſſiticos motus, qui intervenerant, minimè perfecta, ac demum an. 1541. uti recenſuimus ſuprà, horribili incendio penitus ferè conſumpta, in-ſtau-

Ejusdem circa eandem pijſſimæ cogitationes.

(g) *MS. Broſij Prapoſ. & Suffragan. Deputati tunc à Statu Eccleſiaſtico ad ſtatus ſeculares Referendarij.*

ſtaurari, & anteriori Choro, videlicet à Carolo IV. magnificentiſſimè extructo, par reddi poſſit. Sed optimas has cogitationes, quò minùs ſuum ſortirentur effectum, interturbavit mors inopina Ferd. IV. jam Regis Romanorum coronati, an. 1654. die 9. Julij defuncti; & ſubſequens luctus, novâque circa ſtabiliendum in Auguſtiſſima ſua Domo Imperialis regiminis decus, ſolicitudo. Bellum deinde Suedicum per Poloniam longè lateque flagrans, & jam jam grave jugum, & extrema quæque nobiliſſimæ ac præpotenti Polonorum genti, gentium Slavonicarum verè principi minitans; novæq; ex inde enatæ curæ, extinguendi præſens incendium, priusquàm invaleſceret; ac ferendum in tempore oppreſſis auxilium, antequàm hoſtis rebus ſecundis inſolens, omnia vel ſibi ſubijceret, vel funditùs everteret, operosè urgentes. Mors tandem & ipſius Ferd. III. Imp. Eccleſiæ noſtræ, cui tam benè voluiſſet, nunquam ſatis deploranda. *O ſævæ nimiùm gravésq; parcæ*, quæ hunc, ſicut etiam filium, tantæ ſpei Principem, Bohemiæ, heu nimis citò, abſtuliſtis! Obdormivit placidâ defunctus morte, Princeps hic, pijſſima anima, an: 1657. die 2. Aprilis.

Mors præmatura Ferdinandi IV.

Bellum Suecorum in Polonia

Mors Ferdinandi III.

A Succeſſore ejus LEOPOLDO, filio ſecundo genito, Hungariæ &c. primò, deinde Bohemiæ Rege, ac tandem Romanorum Cæſare, habet Eccleſia noſtra hodiéque, quod ſperet, quod expectet: pro quo, quotiescunque in Eccleſia noſtra vota nuncupamus, (nuncupamus autem certis horis & precibus quotidie) toties nos, pro noſtra, & totius Regni felicitate, nuncupare credimus. Atque utinam ille in animum induceret ſuum, glorioſiſſimi Parentis circa reſtaurationem Baſilicæ Divi Viti, piè cogitata opere exequi, & hac in parte Salomonem imitari! Quandoquidem ab ipſius in integrum reſtitutione dependet grande, & toti Reipubl. Chriſtianæ unicè deſiderabile bonum. Extat námque vaticinium: *illum Principem* (verbis non loquor meis) *Eccleſiam S. Sophiæ Conſtantinopoli recuperaturum*

Vaticinium notatu dignū.

turum, & Orientis Imperium Occidentali adjuncturum, qui Pragenſem Eccleſiam ſplendori ſuo eſt reſtituturus. (h)

Illuſtres Bohemorum Familiæ de Eccleſia D. Viti præ cæteris benè meritæ, quarum memoria ſit in *Benedictionibus.*

Locus hic fortaſſè poſtularet, recenſere etiam Illuſtrium quorundam Virorum, non minùs vetuſtate Familiarum, quàm nobiliſſimis in Patriam meritis inſignium; uti Roſenſium (ſub quorum nomine omnes Roſarum gerulos intelligo; quales fuerunt olim, Roſenbergici, Novodomæi, Landſteinij, Strazæi, Sezymæ ab Auſti; hodieque ſunt Rozdrazovij & Schleinicij, &c.) Slavatarum, Swihowskiorum, Czerninorum, Guttenſteinorum Wrtbæorúmque, Hazmburgorum & Leonum à Rozmital (*omnes iſti de veterum Ducum & Regum Bohemiæ illuſtri ſanguine,*) Lobkoviciorum, Martinicziorum & Talmbergorum, Sternbergorum, Kolowrateorum, Wartmbergorum, Waldſteinorúmq;, Berkarum & Lippæorum, Plichtarum à Zierotin, Wlaſsimæorum Genſtainiorúmq;, Pardubiciorũ Maloveciorúmq;, Wratislavorum, Wrzeſoveciorum, Draziciorum, Lazanskiorum, Leskoveciorum, Benedarum, Chanovskiorum, Woraczickiorum, Kaplirziorum, VValkaunorum, Korzenskiorum, & permultorum aliorum, noſtræ Eccleſiæ collata beneficia: unde oſtendi poſſet, etiam illorum erga hanc S. Eccleſiam ſingularis amor, veneratio & cultus; verùm quia talia ſunt, & tot, ut non paginam utramque tantùm, ſed juſtum volumen ſibi vendicent, nos verò brevitatis inſtitutum admonet, Authori ſuo, cujus, ùt dixi, prodromum tantùm hic agimus, ea prolixiori ſtylo deſcribenda relinquimus: interea hic à nobis eorum in genere duntaxat meminiſſe ſufficiat.

(h) *Author libelli de Judicio gravi à Domo Dei, editi Typis Univerſit. Prag. an. 1670.*

Ra-

RADIUS III.

Gloriæ S. Metropol. Pragenſis Eccleſiæ,

â

FIDELITATE CAPITULI,

DEO, Eccleſiæ, Sedi Apoſtolicæ, legitimis Regibus atq; Patriæ, conſtantiſſimè ſervata, Promicans.

NUtat & mutat faciem ut plurimùm *Fides* in adverſis: quia nempè *Inconſtantis* Deæ, vel ſoror germana, vel ſocia, in hoc unico ſibi ſimilis atq; conſtans eſt, quòd *Inconſtans*: & virum tu mihi certè, in tam ſolidæ virtutis fundatum baſi, difficulter reperias, qui *Fidem* non mutet cum *Fortuna*. Quod ipſum ſapientiſsimi omnium Principis Regisq; effato, multò veriùs quàm Delphico Apollinis oraculo, jam pridem absq; omni dubitatione habemus confirmatum, in Eccleſiaſtico ſic aſſerentis: *Multi homines miſericordes vocantur, virum autem Fidelem quis inveniet?* * Adcò profectò hunc virum tàm fortem atque robuſtum, vir iſte ſapiens eminenter, inventu eſſe cenſuit difficilem; ut illum cum illius pretio mulieris, quæ *Fortis* etiam eſt, procul & in ultimis terrarum finibus requiras, vix tamen reperias, ut hæc paucula effari poſsis, *Hic Vir, hic eſt.* * Sic etiam

Rarò quis fidelis alteri in adverſis.

* *Proverb. 30.*

* *Æneid. 6.*

mor-

mortalium plerique â natura comparati ſunt, & hoc vitio Inconſtantiæ laborare ſolent animi hominum, quòd modò has, modò alias ſequantur partes; illas nimirum, quas lenes Zephyri & Favonij comitantur Fortunæ: ſi quæ autem Aquilonis aut Boreæ, fæda & horrida ſuper ingruat tempeſtas, fluxæ Fidei hanc ipſam, cum Fortuna novercante & aſpera, immutant. Hinc, ſi equidem, ut placet quibusdam, ipſa rerum ſubſtantia, vel ut non nemini arridet affirmanti, *quod à raritate pretia veniunt,* ipſa raritas, rebus pretium & valorem imponit: Sanctam Pragenſem Metrop. Eccleſiam, hâc tàm rarâ omnino Fidei illibatæ Gloriâ & decore ſemper effulſiſſe, notorium eſt, palámque toti Orbi Bohemico & Germanico, imò toti Europæ conſtat: quæ maximis in Fide Divina, ab heterodoxis agitata tumultibus & preſſuris, decumanis vexata impiorum procellis, tam præcipuè in Fide Sacra Romana Catholica & Apoſtolica, cum invicta conſtantia inexpugnabilis nunquam non ſtetit, quàm etiam in polytica ſeu civili Regum ac Cæſarum ſuorum ſemel ab ſeſe data Fide, quaſi cautes Marpeſia, in fluctuum violentis aſſultibus, duravit inconcuſſa. Dignam igitur non tantùm Gloriæ, ſed etiam Vitæ, ac perpetuitatis æternæ, Coronâ, Pragenſem eſſe Eccleſiam, juxta illud: *eſto Fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi Coronam Vitæ*, * nemo ignoret, minus dubitet. Id quod ſpecificè hìc documentis omni exceptione majoribus aliquanto prolixiùs oſtendemus, ſi tamen prius de Ortu & progreſſu Religionis Chriſtianæ in Bohemia, ad usque tempus illud, quo Eccleſia S. Viti in Cathedralem erecta fuit, paucis diſſeruerimus.

Capituli Metrop. Prag. Fidelitas.

Apocal. cap. 2.

Bohemi, præpotens quondam & fortiſſima, totáque Europâ celebratiſſima Slavorum progenies, cùm jam diu multúmque, ad usque ſeculum Reparationis Humanæ octingentiſſimum & ampliùs, vanis numinum commentis faſcinati, in profano quem â majoribus acceperant ſuorum Deaſtrorum, vel cacodæmonum potiùs cultu, priſcisque gentilismi tenebris hæſiſſent: noviſſimè illuceſcente Evangelij luce, ac legitimo unius ſolius veri Dei cultu cognito, turpiſſimis illiusmodi ſuper-

per-

perſtitionibus patrijs omnibus renunciàrunt, religionémque Chriſtianam amplexi ſunt. Et primò quidem dederunt Chriſto Deo nomen ex parte duntaxat (uti ſunt parva rerum, præſertim in Religionum mutationibus, initia) aliqui: deinde, cùm temporis progreſſu gentiliſmus magis ac magis exoleſceret, gens univerſa.

Initium porrò factum ab ijs, qui cum Germanis viciniș frequentiores eſſe, commerciáque habere conſueverunt, à quibus revertentes, religionem Chriſtianam domum referebant, connivente Hoſtivito Bohemorúm tum Duce; qui anno 840. cum Ludovico Pio Imp. paulo poſt mortuo, fædus amicitiæ Francofurti inijt, certáque pactorum lege, Imperij ſocius factus eſt; (i) ideóque ne in ullo Germanis Principibus deeſſe obſequio videretur, ijs qui Chriſtianam Religionem in Bohemia nuper amplexi erant, eámque non modò palam profitebantur, verùm etiam plantare in provincia ſingulari ſtudio contendebant, moleſtus eſſe noluit, Princeps ſuapte etiam naturâ ad puriora caſtæ pietatis exercitia proclivis, & fortè in occulto, exemplo Philippi Romanorum Imp. Chriſtianus.

Prima religionis Chriſtianæ apud Bohemos principia.

Unde in Annalibus Francor. legimus, operâ Ludovici cognomento Germanici, qui erat jam memorati Ludovici Pij Imp. filius ſecundo genitus, Lotharij Imp. frater, quatuordecim Bohemorum Duces, (malim ego illuſtriores dynaſtas, uti Klatovienſes, Studynecios, Plznenſes Radauſſij poſteros, Teplenſes, ſeu ùt Weleslavinus nominat, Warenſes, Kadanenſes, & alios Bavariæ & Franconiæ viciniores) Chriſtianæ diſciplinæ ſacris inſtitutos, atque ipſâ die ſolemni, quam in Eccleſia menſe Januario celebrantes Octavam Epiphaniæ vocamus, unà cum familitijs an. 845. vel ut alij volunt 846. aquâ ſalutari fuiſſe tinctos, ſuſcipiente eorum curam paſtoralem, & ulteriùs quoque in plantandis in ea gente Eccleſijs, animabúſque Chriſto

(i) Stransky Reipubl. Boh. cap. 8. §. 8. habet an. 840. Adhelm. in Annal. Francor. ad an. 822. VVeleslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. ad an. 823. Balbin. in Epitom. rer. Bohem. in Notis ad cap. 10. lib. 1.

lucrandis ſtudium, Bathurico Ratisbonenſi Præſule: (*k*) cujus diligentiâ dexteritatéque, Chriſtiana Religio longè majora ſucceſſu temporis incrementa ſumpſiſſet, ni bellum atrox Bohemos inter & Germanos Principes interveniſſet, cujus potiſſimùm Slavata Princeps, Wratislai Zatecenſis quondam Ducis minor natu filius, & Wlaſtislai Zatecij dominantis germanus frater, Przemisli & Libuſſæ Bohemiæ Ducum atnepos, (*de quo Rudolphus Monachus Fuldenſ. ſcriptor coævus in Annal. Franc. ad an. 857. mentionem facit; Aventinus item, Bruner. Spangenb. MS. Nicolai Artemiſij Zatecenſ. & alij*) & Radislaus Moravorum Rex homo inquies, & ultra ſortem temerarius & audax, præbuerunt cauſam: de quo in Moravographia, & Marte Moravico fuſiùs & ex inſtituto egimus. (*l*) Atque ita ab Occidente primùm, adnitentibus Germanis Principibus, lumen Chriſtianæ Religionis Bohemis illuxit; ut vel hinc agnoſcere liceat, quid inclytæ nationi Germanicæ, præſertim Francis Bavarísque debeamus, qui nobis ambulantibus in tenebris, primam Lucis æternæ viam aperuerunt, veriq; Dei cultu commonſtrato, barbariem generi noſtro deterſerunt.

Nova ejusdem incrementa.

Quamvis autem lumen hoc intervenientibus, uti diximus, bellorum procellis & tempeſtatibus obſcurari neceſſe fuerit, annis tamen quadraginta pôſt, ſingulari Divini numinis benignitate, aliud longè præſtantius Veritatis æternæ Sydus, ab Oriente nobis affulſit; dum Borzivogius Bohemorum Dux, apud Radislaum Moravorum Regem, jam tunc Chriſtiani nominis Principem, à SS. Cyrillo & Metudio, quos ipſi petenti Michael Imperator Conſtantinopol. anno 856. miſerat, in Fide probè inſtructum, (*m*) Welehradi, in Moraviæ Metropoli hoſpes, anno Chriſti 864. Chriſtianam religionem ſuſcepit. Immi-

(k) *Rudolph. Fuld. in Annal. Franc. ad an. 845. Adhelm. in Annal. Franc. an. eod. Aimoin. in Hiſt. Franc. lib. 4. Sigebert. Gemblac. in Chronogr. ab. an. 846. Andreas Presb. Ratisb. in Chron. Bavar. ad an. 846.* (l) *Moravograph. lib. 1. cap. 4. Marte Morav. lib. 2. cap. 3.* (m) *MS. Francisci, Dub. & plures alij Scriptores apud Joan. Bolandum in Actis Sanctor. ad diem 14. Martij in Feſto SS. Cyrilli & Metudij.*

Imminebat tunc Radislao (quem aliàs exteri Scriptores Raſlicen vocant) à Ludovico defuncti Ludovici Pij Imp. filio, grave bellum, *(n)* cujus ipſemet arrogantiâ ſuâ cauſam dederat, homo, ùt dixi, inſolens & protervus. Ideóque Borzivogium Bohemiæ Ducem Hoſtiviti an. 856. defuncti filium, Welehradium peramanter invitatum, in ſuſcipiendi vel ſuſtinendi potiùs hujus belli ſocietatem, modis omnibus pellicere nitebatur. Sed fruſtra, quòd ille Patris veſtigia ſequutus, pacem & amicitiam cum Ludovico recentibus pactorum legibus confirmâſſet, quam integrâ fide violare non liceret.

Borzivogio tamen, ac toti Bohemorum genti adventus ille in Moraviam, accidit, ùt jam innuimus, apprimè ſalutaris; quandoquidem ex frequentioribus cum DD. Cyrillo ac Metudio, & Suatopluco regio nepote, ac Regni hærede jam deſignato, juvene promovendæ religionis Chriſtianæ ſtudioſiſſimo, colloquijs, Deo ſic ordinante, in Chriſtianæ religionis cognitione probè inſtructus, atque cum comitatu ſuo omni, die qui Natalem S. Joannis Baptiſtæ præcedit, & qui tunc erat Dominicus, luſtrali fonte, Suatopluco pro ipſo Fidejubente, à S. Cyrillo expiatus, domum Chriſtianus reverſus eſt: quem honoris gratiâ Suatoplucus ad confinia Bohemiæ, Suitaviam usq; (uti refert Hagecius *(o)* oppidum in confinijs Moraviæ & Bohemiæ, Litomislio duobus tantùm milliaribus diſtans, comitari non dubitavit. Cyrillus verò Kaichum Sacerdotem ei adjunxit; breviq; etiam ipſemet, ſive ut calamitates belli jam jam impendētis vitaret, ſive, ut occaſione hâc gentē quoq; Bohemam ad veri Dei cultum perduceret, Pragam venit, corpus S. Clementis unà ferens: in cujus honorem quacunque iter per Bohemiam tenuit, potiſſimùm verò, ubi divertens aliquandiu ſubſtitit, Ædium Sacrarum ſub ejusdem Divi nomine, aliqua principia jecit: uti Litomislij, in ipſa corte Principum, quæ poſtmodùm à Brzetislao Suatopluci Ducis ac Interregis Bohemiæ filio, So-

Borzivogius Primus è Bohemis Ducibus Chriſtianus anno 864.

S. Cyrillus VVelehradenſis in Moravia ArchiEp. corpus S. Clementis in Bohemiam adfert. Primum templum S. Clement. in Bohemia Litomislij,

(n) Rudolph. in Annal. Franc. ad an. 864. Lamb. Schaffnab. an. eod. Spangenberg. an. eod. Brunner. Annal. Bojor. Parte 2. lib. 6. §. 10. (o) *Hagec. ad an. 894. ſed debet eſſe 864. Cruger. in Sacr. Mem. ad diem 23. Juny.*

alterum Hradecij.

Sobieslai tunc imperantis permiſſu, in Cœnobium Montis Oliveti Ord. Præmoſtr. tranſijt: (*p*) item Hradecij, Saczkæ priusquàm templum majus Sancto Apollinari dicatum, & à Borzivogio II. conditum acceſſiſſet; demum Wiſſehradi regiâ Borzivogij I. Ducis Sede, & in caſtello Hradecz, uno atque medio infra Pragam milliari, in arduo colle ſupra Wltavam, quod nunc eſt ditionis Monaſterij Sancti-Monialium D. Georgij in Arce Pragenſi (*Caſtelli hujus rudera hodièq; ſpectantur, in quorum medio templum S. Clementis ſtat adhuc integrum, more veteri in forma rotunda extructum: quod caſtellum erat Borzivogio in primis familiare, inſtar alicujus privati ſeceſſus; ſicut Przemyslo erat Przemyſſleni, Nezamyslo Sedeſſin, Mnatæ Oſtromecz, Krzezomyslo Radoſtin, & alijs alia*).

Innuit de hoc caſtello *Hradecz*, etiam ſupra nominatus Anonymus. (*q*) in Vita S. Lidumilæ hiſce: *Quiq; reverſi ad ſua in caſtellum, cui vocabulum erat Hradecz ſupra Multaviam, ſtatuunt ibi Sacerdotem, fundantes Eccleſiam in honorem Beati Clementis.* Idem memorat Chriſtannus in Vita S. Wenceslai. (*r*)

Tertio poſtea anno, gliſcentibus, & ad ſeditionem usque erumpentibus contra Borzivogium, domeſticorum propter Religionem turbis, Cyrillus corpus ſacrum, Romam Nicolao I. Pontifice, (prout habetur in Breviario Romano [*s*]) anno videlicet 867. quo deinde in Novembri, die 13. idem Pontifex piè in Domino obijt, detulit. Non ſum neſcius, aliter hæc ab alijs referri; quorum nonnulli viginti, alij triginta annis poſterius Borzivogium Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſe memorant: quos aliquando nos in Prodromo Moravographiæ ſequuti fuimus:

S. Cyrillus Romam cum corpore S. Clemētis abit.

(p) *MS. Archiv. Litomiſſl. Diploma Fundat Brzetiſlai Ducis an. 1152. Item VVladislai Reg. an. 1167.* (q) *MS. Anon. in Vita S. Lidum. ex Biblioth. manuſcriptor. Collegij Clement. Soc. JESU Pragæ Codex num. 469.* (r) *MS. Codex in Archiv. Capitul. Prag. in quo inter alia eſt Vita S. VVenceſl. conſcripta à Chriſtiano Monacho Ord. S. Bened. qui erat filius tertio genitus Bolesl. Savi.* (s) *In Feſto S. Clem. lect. 6. Breviar. Pragen. in Feſto SS. Cyrill & Metud lect. 4. Ranulphus lib. 5. c. 32. in Polychronico. Antoninus tit. 16. cap. 1. §. 9. apud Beyerlinck Theatr. Vit. Hum. Tom. III. lit. E pag. 180.*

mus: ſed jam melioris ac certioris notæ documentis innixi, non aliter ac tutius, quàm modò dicimus, ſentire & aſſerere poſſumus; id quod etiam in ipſo Opere Moravographiæ ſuo loco corrigere non prætermiſimus.

Cum igitur Borzivogius, pro zelo pietatis ſuæ, ad propagandam Religionem Chriſtianam per Bohemiam animum converttiſſet, ardua primò conatibus ſuis multa experiebatur, usq; adeò, ut ſeditioni tandem ab efferata multitudine plebis, quæ patrios Sacrorum ritus abjectos dolebat, adverſùm ſe concitatæ, neceſſariò cedere, & Hradecium primò, deinde cùm neque ibi ſatis in tuto eſſet, in Moraviam ad Suatoplucum Brunæ tunc agentem, exul ſeſe recipere cogeretur. Revocatus tamen triennio, vel ut alij volunt, (t) decem menſibus poſt, & dignitati priſtinæ reſtitutus, â promovendæ Religionis Chriſtianæ ſtudio, nec quicquam deſtitit: id potiſſimùm agens, ut excitatas per abſentiam ſuam, cùm domi, tum foris turbas, quantocyùs componeret, quò demum faciliùs commodiúsque procuratâ publicâ tranquillitate, Provinciam totam Chriſtianorum Sacris imbueret.

Borzivogius propter Religionem Chriſtianam Regno pellitur:

Revocatus Chriſtiana ſacra magis promovet.

Exinde majora indiès ſumebat incrementa Chriſtiana Religio: præſertim, ubi D. Metudius, finito in Moravia bello illo funeſto admodùm & cruento, quo etiam poſt captivitatem Radislai, per triennium ferè, inter Ludovicum II. Imp. & Suatoplucum, acerrimè fuerat dimicatum, (u) ad petitionem Borzivogij Welehradio excurrens, ei promovendæ ſubſidio acceſſiſſet, Ordinis ſacri virorum coronâ ſtipatus frequenti, anno 876. Tum Lidumila recèns nupta Ducis Conjunx, lectiſſima fœmina, traditæ ſemel ſanctis in Religione puritatis tenax; tum genitor quoque ipſe Conjugis, Slavibor Comes de Bſſow, aliàs de Melnik, cum Lidoslava conjuge & filio Hauſek, totáque Illuſtriſſima gente, tum adhuc catechumena, alijq; ſenſim de proceribus & plebe, numero non pauci, ſacrum Baptiſma ſuſcipiunt:

Metudius Pragam venit an. 876.

Q

(t) *Dubravius Hiſt. Bohem. lib. 4.* (u) *VValafrid. Strabo Scriptor coæv. monachus. Fuld. in cont. Annal. Franc. ad an. 871. & ſeqq. Aventin. in Annal. Bojor. lib. 4.*

Templum in honorem B. Virginis Mariæ, vulgò, in Teyn.

piunt: Templum honori & nomini Divæ Deiparæ Virginis à Borzivogio ex voto nuncupatum, in majori Urbe Prag. propè vetus Krzezomysli Ducis palatium, Læta Curia poſtea dictum, vulgò in Teyn, & aliud SS. Petri & Pauli in vicino colle Zderaz, aliáque eriguntur. Scholæ etiam pro inſtruenda in ſacris, & alijs honeſtioribus diſciplinis juventute Pragæ, & Budeczij oppido tribus à Praga milliaribus diſſito, loco jam antea, ſed improbarum magicæ divinationis artium exercitio celebri, & ab ipſo quondam Przemislo Libuſſáque diſcendi cauſâ frequentato, conſtituuntur: Duce ipſo, omnes alios, ad Dei cultum ſingulari pietatis exemplo incitante, ſacrisque tum promovendis, tum obeundis ita dedito, ut à proceribus nonnullis licentioſioribus, tanquàm procurandæ duntaxat Religioni, quàm Provinciæ adminiſtrandæ aptior, in privatis circulis & colloquijs, & quandoque etiam palam rideretur.

Hunc in modum, cùm pijſſimus Princeps diu ſatisque in promovenda Religione Chriſtiana operam magno cum profectu, nec tamen adhuc ſine contradictione multorum, dediſſet, ultimò ætate in ſenium inclinatâ, ut ſaltèm reſiduum vitæ, privato in ocio, quò commodiùs pietatis ſtudio vacare poſſet, tranſigeret, cedere imperio conſtituit.

Borzivogius Regno ultrò cedit.

Igitur an. 905. indicto conventu, & concione advocatâ, poſtquàm ad religionis recèns ſuſceptæ, ac unicè ſalutaris conſtantiam, mutuam quoque caritatem, pacem & concordiam univerſos commonuiſſet, commendâſſetq; filios ſuos Spitihnevum & Wratislaum procerum primoribus, ultro regimine ceſſit, & in arcem Tetinenſem à Tetka Libuſſæ ſorore quondam conditam & denominatam, cum Ludmila conjuge ſe contulit.

Spitihnevi filij,

Interea ipſo adhuc Wiſſehradi præſente, Principatus habenas ſuſcipit natu major filius Spitihnevus, princeps quamdiu Chriſtianorum procerum, ac imprimis Mireſsij & Dietonis, quibus pater moderatores conſtituerat, conſilijs innitebatur, probus ac integer: verùm ubi à paternis veſtigijs in religione Chriſtiana promovenda deflectere cæpiſſet, illorum ut plurimum, qui in gentili ſuperſtitione obſtinaciùs perſiſtebant, & quos ad publicas

blicas dignitates, familiarioráque circa ſe miniſteria admovere ſolebat, arbitrio cuncta gerens, fidei incertæ, & Chriſtiano nomini non parum gravis. Monitus â pijſſimis Parentibus, ut Chriſtianis æquior eſſe vellet, reſpondit; Ethnicos Bohemos æque ac Chriſtianos ſuos ſubditos eſſe. Quo reſponſo oſtendit, quo circa religionem animi habitu eſſet. Nec multo poſt pæna Dei è veſtigio penè ſequente, infirmari cæpit, ita graviter ut intra octiduum (non tamen ſine pænitentia, & malè ante dictorum & factorum dolore) vivere deſierit, in templo Bmæ. Virginis ante Lætam Curiam, è Bohemorum Principibus primus Chriſtiano ritu ſepultus, ad finem anni 906. Ita raptus ille, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius (*Sapien. 4.*) perbreve regimen: cui defuncto

Ab ejus deceſſu deferebatur regimen iterum Borzivogio cunctorum votis. Sed is privatam, quam elegiſſet vitam, imperij dignitati ſceptríſque antè habuit; nec amplius rerum humanarum ancipites caſus ſubeundos exiſtimans, divinis tantùm, uti cæperat inſiſtendo, vitam deſiderato termino traducere decrevit. Ne tamen vel conſilio Reipublicæ deeſſe videretur, filium alterum inſignis ſpei adoleſcentem proceribus commendavit. VVratislaus frater ſuccedit. Hic ſuſceptis provinciæ gubernaculis, paternisq; auſcultans monitis, nihil antiquius habuit, quàm ut rem Chriſtianam promoveret, eâ tamen dexteritate uſus, ut ab omnibus tam Chriſtianis, quam ſuperſtitibus adhuc paganis amaretur; quod præſtantiſſimum in Principibus eſt, dum cunctis optatibus & vivunt & imperant.

Venerat ſub id tempus Pragam relictâ Moraviâ, Metudius ArchiEp. à Suatobogio Rege graviter deſpectus, & ad Sacras Aras tantùm non trucidatus. Metudius ArchiEp. VVelehradenſis à Suatobogo Rege Moravorum deſpectus Pragam venit: Æneam Sylvium S. R. E. Cardinalem, & paulo poſt Pontificem Maximum, Pium II. de hoc ſcribentem audiamus; *qui* (nempe Suatobog.) *venationem facturus, ArchiEpiſcopo Methodio imperavit, ne ante ſuum reditum divina perageret. Expectavit Methodius ad meridiem usq;, tandem negligi rem divinam veritus, Deo ſacrificium cæpit offerre. Interea reverſus Princeps, ubi ſe neglectum animadvertit, ſacram ingreſ-*

greſſus ædem, multitudinem canum intromiſit, tubáſq; clangere jubens, ad altare uſq; progreſſus, convitia multa ingerens, vix manus à violatione Sacerdotis abſtinuit. Ob quam rem paucis poſt diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regem extra Eccleſiam fecit, regnoq; ſacra interdixit. Quo facto, non ſolùm ArchiEpiſcopalis ſedes in Moravia defecit, ſed in ſe ipſo quoq; regnum extinctum eſt. Mortuo námq; paulò poſt excommunicato rege, imperij Moravorum partem Theutones ac Bohemi, partem Poloni atq; Hungari diripuerunt. Methodius in Bohemia aliquandiu moratus texit; deinde Romam ſe contulit. Hujus ſanctiſſimi viri Pragam adventu, quòd ei magnus Sacerdotum numerus ſeſe adjunxiſſet, facta eſt Urbs & vicinia tota, cùm copia cleri, Christianique prædicantium multitudine locupletior, tum in capiendis Christianæ religionis myſterijs inſtructior. Eccleſia imprimis S. Clementis in Wiſſehrado, & Bmæ. Virginis in Teyn; hæc novo literarum ludo, illa novo presbyterio, & Epiſcopali Cathedrâ à Metudio conſtitutâ, & à Sede Apoſtolica, nî interveniſſet Metudij mors, & poſtea Drahomiræ, de qua paulo poſt, tyrannis cuncta hæc diſſipans, certò confirmanda, inclareſcere cœperunt.

Romam abit.

Anno regiminis ſui primo, Wratiſlaus de conſilio procerum uxorem accepit, de qua jam ſermo erat, Drahomiram, Brzoſlavi Luticenſis dynaſtæ filiam, contradicentibus primò Parentibus, quod virgo profanis gentilium ſuperſtitionibus imbuta, & Chriſtianorum ſacris non dum initiata eſſet, ſed deinde cùm illa ſe Chriſtianam fore promitteret, aſſentientibus. Ex hac demum anno 908. natus eſt Wenceslaus, quem Metudius in Eccleſia S. Clementis in arce Wiſſehradenſi ſacro baptiſmate abluit: Mater verò partu filij multo magis, quam antea inſolens, fidem in ſuſcipienda religione Chriſtiana penitus illuſit, doctrinámque Metudij, qui eam ad meliorem frugem deducere omni ſtudio contendebat, non modò ſuperbè contempſit, verùm etiam ſe à Dijs patrijs, quos Majorum exemplo colendos ſuſcepiſſet, non receſſuram ad mortem uſque palam, jure jurando quoque addito, profiteri auſa fuit: ægerrimè id ferente Wratislao, nec minùs Borziwogio & Ludmila.

S. VVenceslaus naſcitur an. 908.

milia, qui prolem recens natam ab infideli matre lactari ſummopere dolebant.

Anno 909. Ivanus Geſtimuli Regis Dalmatarum & Croatarum à Lothario ejus nominis I, Imp. an. 845. prælio occiſi filius, Bohemis innotuit. Hic contemptis Mundi delicijs, ipſaque regnandi gloriâ, ac deſiderio ſolitudinis, in qua commodius Deo ſervire & orationibus vacare poſſet, tactus, clam Regiâ exceſſit, & in vicinas ſylvas abijt: diuque per avia deviáq; oberrans, in Pannoniam tandem ſuperiorem, ac inde, bono Angelo duce, trajecto Danubio, in Bohemiam venit, locúmq; vocationi ſuæ, & optatæ ſolitudini ſanè convenientiſſimum, in ea parte regionis, quæ modò Podbrcenſi diſtrictu continetur, inter horrida montium antra & ſaxa delegit. Vbi per annos quadraginta duos, & noviſſimos quatuordecim, in quadam ſpecu, quæ noſtra adhuc ætate viſitur, Cænobio Ord. S. Benedicti nobilitata, medio fortaſſe milliari ab arce Tetinenſi, à cerva, mirabili Dei providentiâ lacte nutritus, ac ſolis Cœlitibus notus, nec unquam in lucem prodiens, vitam ſolitariam, ſed rerum cœleſtium meditatione, & affluentiâ divinæ conſolationis ſuavem, traduxit. Contigit autem, ut hoc anno Borzivogius animi laxandi gratiâ cum ſuis venatum egrediens, in cervam hanc ipſam incideret; quæ jaculo trajecta, ſed tamen adhuc pedibus valens, ac ſeſe verſùs familiarem ſpecum, eo quo poterat curſu proripiens, cûm canes & famuli Principis è veſtigio inſequerentur fugientem, Ivano egrediendi è ſpecu, & Borzivogio ejúſque comitibus innoteſcendi, cauſam præbuit. Fusè de eo referunt Scriptores noſtri, Hagek & Pontanus; (x) exactiſſimè verò nuper P. Bohuslaus Balbin. & P. Frideric. Bridelius uterque Soc. JESU, (y) quos Lector videat, ſi plura de viro hoc Sancto, quem Bohemia hodiéque inter Indigetes ſeu Patronos ſuos tutelares numerat, ſcire cupiat. Id ſolùm paucis hic adjicere lubet, à deceſſu Ivani, qui non multos poſt dies obdormivit in Domino, Borzivogium iſtic loci, ſuper Viri Sancti tumulum

B. Ivanus Eremi cultor

Bohemis innoteſcit.

Q 3 mulum

(x) *Hagek ad an. 909. Pontan. in Boh. Pia lib. 4.* (y) *Bohuslaus Balb. in Hiſt. S. Montis Auctuario I. cap. 2. §. 1. Frider. Bridel. in Vita B. Ivani.*

mulum, ſacellum in honorem S. Crucis, & Beatiſſimæ Dei Genitricis, ac Divi Joannis Baptiſtæ conſtruxiſſe: appoſitis etiam, pro certo Sacerdotum numero, qui ibi aſſiduò operarentur Sacris, ædibus, nec minùs alijs in eorum ſuſtentationem neceſſarijs ſatis ſuperque proviſis. Locus ille poſtmodùm ſub anno 1020. Ordini Benedictinorum ceſſit, inductis eò ex Oſtrovienſi ſeu Inſulari monaſterio religioſis, & Cœnobium S. Joannis w Sſkále/ id eſt, *in petra*, dici meruit. (z)

Boleslaus naſcitur.

Ad finem anni natus eſt Wratislao alter filius Boleslaus; in cujus nominis memoriam villam inſignem, ſuâ quandoque & ſucceſſorum Bohemiæ Principum, dum venatum excurrerent, ſtatione dignum, tribus à Praga milliaribus in ſiniſtro Albis littore, infra Gizeræ ex Krkonoſſis montibus decurrentis confluentem, loco amæno, & ſaltibus omnis generis ferarum gregatim paſcentium plenis vicino, condidit; eámque à recèns nati filij nomine Boleslaviam nuncupavit. Hanc poſtea Veterem, ne cum Juniori Boleslavia, quam Boleslaus Lenis, de quo infra, ædificavit, confunderetur, dici placuit.

Boleslaviæ Veteris origo.

Anno 910. Borzivogius templum Divo Michaeli Archangelo ſacrum, inter arcem & oppidum Tetinum, Lidumila verò non procul inde aliud, nomini S. Catharinæ dicatum, condiderunt; quæ D. Metudius conſecravit; nec multo poſt cæleſti quâdam viſione (vel ut aliqui volunt, Cyrilli fratris pridem defuncti apparitione) admonitus, ut Romam quamprimùm ſe conferret, conſtituto priùs ſupremo Sacrorum adminiſtro, Joanne ſuo quondam Welehradi Vicario, non tamen Epiſcopo, & Sacerdote quodam, vitâ & moribus ſanctiſſimo, nomine Paulo, qui Borzivogio & Lidumilæ à Sacris eſſet, relicto, eò conceſſit; breviq; obijt, in templo S. Clementis ad Reliquias ejusdem, & D. Cyrilli ſepultus, Faſtisque Sanctorum unà cum D. Cyrillo fratre adſcriptus.

Cyrillus & Metudius Moravorum & Bohemorum Apoſtoli Faſtis Sanctorum adſcripti.

Borzivogij obitus, an. 910.

Eodem anno piè in Domino moritur Borzivogius, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto, vel ut habet Weleslav. ſeptimo,

(z) *Cruger. in Sacr. memor. in Januario ad d. 16.*

mo, (a) & in novo templo S. Michaelis ſub arce Tetino tumulatur. Cujus oſſa ſucceſſu temporis inde levata, & in Eccleſia S. Georgij in Caſtro Pragenſi intra Altare, quod eſt in medio, ſacrarum inſtar Reliquiarum, recondita eſſe perhibent. (b)

Lidumila itaque optimo Conjuge orbata, ut aliquod ſuæ ſenectutis haberet ſolatium, Wenceslaum nepotulum ſuum, parentibus aſſentientibus, ſuſcepit educandum; quem communi cum ſuo à Sacris & Confeſſionibus Sacerdote Paulo curâ atque ſtudio, ad omnem pietatem ſanctiſſimè inſtruxit adeò, ut mox in tenera ejus ætate, primiſque pueritiæ annis, per id quod ageret, quantus in cæleſtium præceptorum diſciplinis evaſurus eſſet, eluceret. *VVenceslaï pijſſima educatio.*

Anno 912. Wratislaus promovendæ magis atque magis in Bohemia religionis Chriſtianæ cupidus, in monte, qui tum Suillus vocabatur, & in quo Libuſſa quondam domum ligneam tantùm, deinde Mnata princeps, ſubvecto lapide arcem peramplam erexerant: quam hodieque ædibus ſacris & profanis ſpectatiſſimam cernimus; templum in honorem Divi Georgij Mart. ad inſtar illius, quod Ratisbonæ eidem Sancto dicatum aliquando viderat, fundamenta jecit, adhibitáque operariorum ſingulari diligentiâ, ſequenti æſtate abſolvit. Nec multo poſt aliud in eodem monte, ſed paulùlum decliviori loco, D. Joanni Baptiſtæ ſacrum, ædificavit. Rursùm verò anno 915. divino inſtinctu motus, tum ut in honorem DD. Cyrilli & Metudij, ſuorum ac totius Bohemæ gentis Apoſtolorum, aliquod dignum gratitudinis monimentum Poſteritati teſtatum relinqueret, templum opere non vaſto quidem, ſed pereleganti, & illo ſæculo viſu raro, Boleslaviæ ante fores novæ ſuæ Cortis poſuit; & ut locus eò frequentioribus perſonaret Sacrorum exercitijs, quatuor presbyteros Wiſſehrado evocatos illuc induxit, in eum modum, quo Borzivogium ad B. Ivani tumulum feciſſe ſupra docuimus. *VVratislaus aliquot SS. Ædium Conditor.*

Non

(a) *VVeleslaf. in Genealog. Duc. Boh.* (b) *P. Cruger. in MS. Syllabo Sanctor. & Beator. Bohem.*

Boleslavienſis Eccleſia primò ſub Brzetislao Duce, anno 1046. in Collegiatam erecta: *ita habent Coſmas, Pulkava, ipſaq; litera Fundat. id palam docent.*

Non ſunt hic audiendi (quod bonâ quorumvis pace dicere poſſum) qui illos quatuor presbyteros, Præpoſiti, Decani, & Canonicorum nominibus inſigniunt, adeóque Eccleſiam Collegiatam, quæ in Bohemia talis *Prima & Vetuſtiſſima* dici poſſit, à Wratislao fuiſſe erectam volunt: vix námque crediderim hujusmodi Eccleſiaſticarum dignitatum nomina tum fuiſſe Bohemis nota, minùs verò uſitata priùs, quàm Cathedra Epiſcopalis ad D. Viti Baſilicam Pragæ fundata exiſteret. Tum enim primùm Canonicorum nomina, ex inſtituto Dietmari Primi Epiſcopi, exemplum & conſilium hac in parte Divi Wolfgangi Ratisbonenſis Præſulis ſecuti, & prout etiam ipſemet Magdeburgi, cùm literis operam daret, id ipſum obſervari meminiſſet, in Bohemia audiri cæperunt: Decani verò, & cæterorum Prælatorum, Archidiaconi & Scholaſtici, multo poſteriùs. Nec ullus ex veteribus & primis Patriæ rerum Scriptoribus, quales ſunt *Chriſtannus* Boleslai Sævi minor natu filius, Ord. S. Benedicti profeſſus, *Hyzo* Prag. Epiſcopus in ordine V. & *Coſmas* Decanus, vicini illorum temporum; nec alij, uti *Przibislaus, Pulkava, Cuthenus, Stanislaus Malineus, Daubravius*; ſed neque ipſe *Dalimil Mezericius* Canonicus Boleslavienſis, qui tempore Joannis Regis Boleslavienſe Chronicon conſcripſerat, vel minimam horum mentionem faciunt. Solus & primus Wenceslaus Hagekus, Præpoſitus Boleslavienſis, in ſuis Chronicis, quæ Ferd. I. regnante ediderat, id aſſeverare non dubitavit, alijs omnibus altùm tacentibus; ita ut non immeritò pluſculum, quàm concedere poſſit veritas, amori ſuo, & Eccleſiæ ſuæ tribuiſſe videatur. Quinimò Coſmas, Pulkava, Daubravius, Crugerius & alij expreſsè memorant, primò Brzetislaum Ducem, circa annum 1042. ex manubijs Polonicis, Boleslaviæ Eccleſiam Collegiatam erexiſſe, & in eam induxiſſe, prout ordinaverat ſummus Pontifex, qui tunc erat Benedictus IX. Canonicos cum Præpoſito. Coſmas ita habet: (c) *Dux Brzetislaus Pontifici Romano velut divinis juſſis obtemperans, ſub honore S. Wen-*

(c) *Coſmas lib. 2. Chron. Boh. Pulkava in Hiſt. Boh. ad an. 1039. Daubraſ. lib. 7. Cruger. in Sacris memor. ad d. 10. Januar. 18. Maij. 25. Auguſt. & alibi.*

S. Wenceslai Martyris in Urbe Boleslavia juxta flumen Labe, *ubi idem Sanctus olim fæliciter conſumavit Martyrium, venuſtiſſimum fabricavit Cœnobium* (ita tunc vocabantur Collegia Sacerdotum,& Canonici fratres, quia in communi vivebant)*in quo; (ſicut & hodie cernitur,)Deo ſervit caterva Fratrum numeroſa,& habetur Præpoſitura & Baſilica valde religioſa.* * Idem Pulkava refert: *Brzetislaus verò Dux Apoſtolicum præceptum gratanter acceptans & exequens, in Urbe Boleslava ſita in littore Albæ fluvij, ſub honorem S. Wenceslai Martyris quondam Ducis Bohemiæ, in qua olim idem Sanctus Wenceslaus ab impio fratricida Boleſlao Martyrium paſſus eſt, ſolennem CollegiatamCanonicis fundari, conſtrui, ac decorari procuravit Eccleſiam &c.* Idem continent Literæ Fundationis ejusdem Eccleſiæ, quæ mihi præ manibus ſunt,demonſtrantes clarè, tum primò Collegium Canonicorum fundatum eſſe, & Sacerdotes eò introductos Canonicos, ſicut etiam Superiorem illorum, Præpoſitum dici nominariq; cæpiſſe; antea minimè. Et ſi priùs, ut vult perperam Hagekus, Collegium Canonicorum cum Præpoſito & Decano ibi inſtitutum & erectum fuiſſet,cur non idem & citiùs feciſſet Princeps,in templo S. Georgij, quod longè magnificentius ædificaverat, & in quo poſt obitum ſepeliri decreverat? vel S. Clementis in Wiſſehrado, quod præ alijs omnibus maximo Sacerdotum numero fulgebat, & ex quo illi quatuor presbyteri Boleslaviam aſſumpti erant, à D. Metudio jam antea dum abibat Romam, Cathedræ deſtinatum, quod effectu ſuo, procul dubio non caruiſſet, ſi ejusdem viri Sancti mors, ùt jam ſupra meminimus, non interveniſſet. Quo defuncto, ut id paucis hic attingam, Joannes Epiſcopus Podivinenſis in Moravia, Wratislao invitante, Cleri populique Bohemici curam ſuſcepit: & hic Eccleſiam S. Georgij, aliásque à Wratislao extructas, ſolito Romanæ Eccleſiæ ritu conſecrâſſe creditur. Per id námque tempus etiam potior Regni Moravici pars, poſt Suatobogium Regúm ultimum, in ditionem Wratislai Ducis ſponte conceſſit: qua de re plura in Marte Moravico, lib. I. cap. 5.

* *Coſmas Dec. Prag. l. 2 Chron. Pulkawa in Hiſt. Bohem. ad an. 1039. Dubr. lib. 7.*

Moravia in Bohemorum Ducum poteſtatem devolvitur.

Neque audiendi ſunt, qui Wratislaum anno 916. deceſ-

Chronologia Hagecij & aliorum, circa obitum VVratislai Ducis corrigitur.

ſiſſe volunt: nam aliunde ex Scriptoribus ævo iſti proximis, bellum cum Henrico Imp. cognomento Aucupe, qui Cunrado anno 919. ſucceſſerat, eum geſſiſſe propter Miſniæ partem, tunc Delmantiam dictam, quam à Majoribus ſuis poſſeſſam, & Hoſtiviti tempore à Germanis vi extortam, vi quoque & armis repetendam duxit: (amicè tamen paulo poſt de omni controverſia tranſegit;) atque iterum, anno 924. cum quadringentis equitibus ipſi auxiliatum adverſùs Hungaros accurriſſe, probabiliùs conſtat. (*d*) Fortaſſe primus, qui è veteri aliquo codice hæc delibavit, 926. locò, 916. legit, & hinc error, qui Hagekum & alios ſequentes Scriptores induxit in fraudem. Obijt autem die 13. Februarij, ita habetur in libro Diſtributionum Prag: Eccleſiæ: *Eodem die*, nempe XIII. Febr. *obijt Wratiſlaus Dux pater Sancti Wenceslai: in cujus Anniverſario &c.*

(*d*) *Brunner. Annal. Boi. part.2. l.7. §.8. Balb. in Epit. rer. Bob. l.1. c.5.*

Drahomiræ in opprimenda Religione Chriſtiana crudeliſſimæ artes, anno 926. & ſequ.

A deceſſu Wratislai, Drahomira quod filij per ætatem non dum eſſent gerendæ Reipub. idonei, primoribus gentis non ſatis providè aſſentientibus, regimen ſuſcepit; quod à cædibus Chriſtianorum clam & palam per ſuos ſatellites factis, ſacrarúmque ædium demolitione auſpicata eſt: Megæram quandam infernalem dixiſſes, ad pernitiem Chriſtiani nominis natam. Primò omnium, in Clerum VViſſehradenſem & Teynenſem rabiem exprompſit; quo inde vi exturbato, & non paucis, quos in propaganda Chriſti religione ferventiores noverat, per ſicarios clam de medio ſublatis, ad reformandum ubivis Magiſtratum animum convertit; ac omnes quot quot è Chriſtianis præeſſe publicis officijs deprehenderat, dignitate omni exuit, eorúmque loco ſuæ farinæ homines idololatras crudeliſſimos, ſanguiniſque Chriſtiani ſitientiſſimos, è quorum numero Palhog Urbis Pragenſis Prætor, habebatur præcipuus, ſubſtituit. Mox deinde publico edicto templa & Scholas claudi juſſit; & ne deinceps ullius, præter gentilem, & à Majoribus continuò obſervatum Deorum cultum, religionis profeſſio Bohemis libera eſſet, legem tulit; adeòque exercitium Religionis Chriſtianæ omne penitus interdixit, mortem, cruces, vincula, carceres Chriſtianis minata.

Triſtis ac miſeranda ſanè erat tunc Bohemorum Chri-

rum Chriſtianorum conditio; cuivis ſatelliti Principis, Chriſtianum impunè occidere licuit; è contra, ſi quis Chriſtianus unum ethnicum, etiam defenſionis ſuæ cauſâ occidiſſet, decem pro illo Chriſtiani mactabantur; nullum prorſus Chriſtianis Jus, auxilium nullum. Nocturni cætus ac conciliabula ſæpe ſæpiùs à gentilibus inibantur, domus armatis complebantur; ex quibus improviſi erumpebant, & impetu in Chriſtianorum ædes facto, quos deprehendere poterant, immani truculentiâ occidebant: donec Chriſtiani tam atroces injurias minimè ferendas rati, arma & defenſionem quoque circumſpicere, conatibus adverſariorum obviandis invigilare, vim denique vi repellere cœperunt; adeò ut quâdam vice octingenti utrinque, qui in domibus hinc inde, & paſſim per vicos & plateas, occiſi erant, deſiderarentur.

Miſerabilis Chriſtianorū in Bohemia ſtatus, anno 916. & ſequ.

Movit tandem res hæc Wenceslaum, ut Budeczio, ubi altioribus literis operam dabat, Tetinum ad aviam Lidumilam, ut gementem ſuper ijs quæ fierent, conſolaretur; ac inde Pragam, fidelium ſuorum comitatu, ne fortaſſe vel Matris, vel aliorum fraude circumveniretur, ſtipatus venerit: ſeptendecim annorum tunc adoleſcens: quo viſo, plebs univerſa, omnisq; ætas, ipſa etiam gentilium turba, quæ mutuam hanc civium lanienam deteſtabatur, concurrebat, Principem ſuum appellans, melioráque ex ejus adventu ſibi promittens, ſalutarem quendam Genium affulſiſſe clamabat. Accurrerunt eò etiam ex vicinis agris, non pauci Illuſtres viri; uti Comites Bſſovæi, à quibus Guttenſteinij & Wrtbæi, Kolovratæi item, Kolodegij, & Rziczanæi Chriſtianæ religionis præ alijs obſervantiores (Wrſſovecij Comites, & Aprugnæi vetus Bivogi & Caſſæ Croci Ducis filiæ Sanguis, VViſſehrado æquè vicini, & viciniores quidem, adhuc in ſuperſtitione priori hærebant) quorum aliquando conſilio VVratislaus utebatur; multáque in impotentem dominatum ac ſævitiam Drahomiræ queſti, id unicè, & multâ prece, magnisq; votis ab ipſo efflagitabant, ut cùm jam ad maturiores annos feliciter accedat, regendóque populo Bohemo haud impar videatur, manum ipſemet ſceptris admovere, ſu-

VVenceslaus Religioni Chriſtianæ opitulatum accurrit.

áque virtute tot malis finem imponere vellet, operam ei ſuam in regimine ferendo pollicentes.

At pijſſimus Princeps, matrem, licèt ſceleſtiſſimam, offendere religioni ſibi ducens, quantum poterat ſeſe excuſabat, ætatem adhuc imbecillem,& pro ſuſtinendo tanto imperio, nullo rerum uſu inſtructam cauſatus. Ne tamen Reipub. ac imprimis Religioni Chriſtianæ deeſſe videretur, aſſumptis unà præcipuis, Matrem acceſſit, ab eáque totius gentis nomine, ſubmiſſiſſimè & oratione admodùm leni, ac impetrandæ, quam vellet gratiæ accommodatâ, petijt; mitior deinceps ſubditis Chriſtianorum ſacra profitentibus, eſſe vellet, parcerétque civium ſanguini; cùm per ejusmodi inteſtinas cædes, quibus omnia divina & humana ſúsque déque agi conſueviſſent,non niſi tandem in ruinam patria & gens tota inclinaret.

Matrem accedit, & ut hominibus Chriſtiani nominis benignior eſſe velit, rogat.

Audijt hæc mulier, tulitq; præter omnem expectationem æquo utcunque animo, verita fortaſſe, ne abrogatâ Dignitate præſenti, in ordinem redigeretur; gravi idcirco ſermone,& ad conciliandos procerum qui aderant animos, apprimè compoſito, brevibus reſpondit; multa ſibi imputari,quæ hactenus malè acta eſſent, quaſi juſſu ſuo hæc fierent, cùm tamen ſibi diſplicuiſſent omnia, ita ut pleráque ſe inſciâ à ferocioribus quibusdam fuiſſe patrata, teſtibus etiam Chriſtiani nominis comprobari poſſent.Daturam ſe igitur operam,ut his malis quomodocunq; tandem imponatur modus,omnisq; plebs tam Chriſtiana, quàm gentilis imperium ſuum, quod Primorum gentis aſſenſu ſuſcepiſſet, & quod ponere etiam hodie (mulier nequiſſima & ſimulandi diſſimulandiq; probè gnara) ſi ipſis è Repub. videretur, parata eſſet, æquum & moderatum experiatur. Ut verò dictis facta ad ſpeciem ſaltèm reſponderent, ſequenti die templa reſerari, Sacerdotes ScholarumqueMagiſtros per varia metu mortis diſperſos,revocari, & ut quieti publicæ feriò velle jam conſulere, ciendisq; tumultibus obviare videretur, arma civium omnia ad arcem comportari juſſit, pænâ capitis propoſitâ, ſi quis non pareret, & vel minimum quid domi ſervaret. Paulo poſt tamen redijt ad genium, & odio, quod tantiſper com-

Drahomiræ ſimulandi diſſimulandiq; ars.

Mitiorem ſe deinceps fore promittit:

Fallit, & ad genium redit:

compreſſerat, in Chriſtianos ſuprà modum flagrans, gentilium anteſignanos clam ad ſe vocavit, ijsq; arma, quibus ad delendum penitus Chriſtianorum nomen impigrè uterentur, reſtituit. *Non eſt*, denique *ira*, ut ait Sapiens, *ſuper iram mulieris*. Et *brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris.* * Unde factum, ut Chriſtiani nihil hoſtile veriti, dum maximè tutos ſeſe putarent ex improviſo ab ethnicis opprimerentur, multiq; indiès interirent. Sacerdotes etiam, quos apertâ vi aggredi non audebant, haud paucos occultis inſidijs circumventos, & quocunq; tandem modo è medio ſublatos exinde conſtabat, quòd inopinatò amiſſi, nec unquam poſtea ab ullo viſi fuerint. Inter hæc Drahomira, Pragâ Luticium ad patris ſui ſepulchrum profecta, poſtquàm deaſtros ſuos varijs libamentis & victimis excoluiſſet, ſolemne juramentum fecit, neminem Chriſtianorum, ne filium quidem proprium Wenceslaum ſe toleraturam; & converſa ad ſuos ait: *modò primum feci juramentum: quando faciam ſecundum, paucos in Bohemia Chriſtianos ſuperſtites videbitis; poſt tertium, planè nullum.* Redúxque Pragam, denuò Sacerdotes clerúmque omnem toto Wiſſehrado ejecit, portámque templi Divi Clementis obmurari juſſit; & vocato Palhogo primario ſcelerum ſuorum adminiſtro, ei in mandatis dedit, ut ſuos ad arma convocaret, & quàm maximis poſſet viribus inſtrueret; voluntatem ſuam eſſe, id quod jam etiam Dijs patrijs jure jurando voviſſet, ut extirpato nomine Chriſtiano, priſtinus ſacrorum cultus reducatur. Hinc recruduit impiorum in Chriſtianos rabies: nulli Chriſtianorum comparere in foro, nulli per vicos & plateas tranſire tutò licuit; ſi ab infidelibus deprehenſus fuit, mori debuit: multos etiam, vel iniquiſſimus mortalium Palhog, vel ipſamet immaniſſima Jezabel Drahomira, alia de cauſa comprehenſos nefariè interfici juſſit, tantâ uterq; crudelis animi acerbitate & ſanguinis Chriſtiani ſiti, ut tam arcis ipſius triclinia & palatia effuſo cruore, quam Urbis forum & plateæ occiſorum, vel inſontium hominum funeribus complerentur.

* *Eccleſ. 25.*

Perſequutionē Chriſtianorū longè ſæviorē inſtituit: gentiles ſuos contra Chriſtianos concitat.

Agravabantur verò res Chriſtianorum, eo potiſſimùm, quod

ribus longè ſuperabant, res ultimò Chriſtianorum nutare cæpit vehementer, adeò ut prementibus adverſarijs, qui quaſi cæci ac veſano furore perciti irruebant, foro cedere compellerentur; inter hæc tamen novo ac recenti armisque probè inſtructo Fidelium manipulo aucti, Divini Numinis providentiâ ita diſponente pugnam reſtaurârunt, tantâ virtute, ut rurſum foro potirentur. Tum aucta pugnantium ex utraque parte ſtrages, ita ut forum pene totum cadaveribus ſtratum paſſim cerneretur. Ad extremum Chriſtiani viribus cauſæq; æquitate ſuperiores prævaluerunt: quorum gladijs cùm plurimi gentilium occumberent, plures vulneribus debilitarentur, vacillare palam, ac foro depelli cæpêre; denique inſtantibus pertinaciter Chriſtianis, effuſa fuga in domos, aut quo quis illorum poterat, ſequuta eſt. Fugientes Palhog hinc inde circumcurrens & vociferans, retentare quidem conabatur, ſed fruſtra; dúmque inclinatos ſiſtere præliúmque reparare contendit, atrociori exorto certamine ipſe in capite vulnus accipit. Quare deſertus à ſuis, & cruore proprio fœdatam faciem gerens, fugam quoque domum ſuam verſùs, arripuit. Sed fugientem victores è veſtigio ſequuti, priusquàm ſeſe intra latebras domus recepiſſet, deprehenſùm in veſtibulo domûs agrediuntur, multisque confoſſum vulneribus occidunt. Quo ſublato, Chriſtiani quibus fervidiora ingenia erant, victoriâ utendum eſſe clamantes voluerunt ethnicorum domos aggredi; & delere penitus ſuperſtites: verùm alij prohibuerunt quicquam tale aggredi, qui mitiori conſilio cædibus & ſanguini civium parcendum exiſtimabant: cùm antea jam ultra quingentos viros Cadmeâ illâ pugnâ cecidiſſe conſtaret: ex quibus erant Chriſtiani quoque non pauci, cœlorum Regni omnino pars non ultima, ac fælix portio non morituræ Vitæ. Hæc in foro Majoris Urbis Pragenſis, quam nunc Veterem dicimus, geſta ſunt, ut vel exinde animadverti queat, locum etiam non paucorum Chriſtianorum adeóque Martyrum ſanguine reſperſum piá veneratione omnino eſſe dignum: id quod multi hodiéque obſervant, qui ſine interno reverentiæ ſenſu, ac ſpeciali piæ mentis

Chriſtianorũ Victoria.

tis

tis affectu, forum illud nunquam tranſeunt. Anno verò 1653. Ferd. III. Roman. Imp. & Bohemorum Rex clementiſſimus, locum hunc, columnâ lapideâ eximiæ molis, eiq; impoſitâ marmoreâ inauratâ Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ ſine labe Conceptæ ſtatuâ, veluti glorioſæ Martyrum Reginæ, ad quam diebus ſingulis Sabbatinis, ſicut etiam ante, & in omnibus annuis Feſtivitatibus ejusdem Sacratiſſimæ Virginis, Litaniæ Lauretanæ ab Eccleſiæ Metrop. Cantoribus & Muſicis, præſente uno ex Prælatis vel Canonicis ejusdem Eccleſiæ, cum duobus Vicarijs aſſiſtentibus, idque ex pijſſima juxta ac liberaliſſima, ejusdem Auguſtiſſimi Cæſaris inſtitutione, decantari ſolent, una cum certis ad Deum orationibus, pro incolumitate regnantis Principis, & alijs neceſſitatibus publicis, plurimùm condecorari fecit.

Drabomira magis ſævit,

Cæterùm Drahomira Wiſſehradi tum agens, ubi de ſuorum clade, maximè verò Palhogi cæde cognoviſſet, dici nequit, quàm altum ingemuerit! Fremens idcirco ac frendens, iráq; & odio exardens, Chriſtianis extrema quæque paranda conſtituit, ac novo juramento ad perdendum Chriſtianorum nomen Dijs ſeſe adſtringens, primò omnium, ut in Pragenſibus Chriſtianis Palhogi ulciſceretur cædem, templum Teynenſe ſuccendi juſſit; nec multo poſt etiam D. Georgij, nullo reſpectu mariti ſui Ducis Wratislai ibìdem ſepulti habito, & plura alia: tametſi poſtmodùm ubi furor primus modicùm defervuiſſet, in juſſu ſuo hoc & vicinum illi Divo Joanni Baptiſtæ dicatum, exuſta pertinaciùs aſſereret. Denique ſcelus ſceleri accumulando, eò usquè tyrannidis ac ſævitiæ venit, ut Lidumilam quoq; ſocrum ſuam mulierũ pientiſſimam, quod illam Chriſtianorum ſacra ſtudio ingenti promovere, atque ideo nepotem ſuum Wenceslaum ad capeſſendæ eo citiùs Principatûs gubernacula totque malis finem imponendum, aſſiduò hortari non ignoraret, tollere de medio conſtituerit: quod etiam auſu nefario crudeliq; perfecit. Regnavit mulier hæc ſanguinaria, & divini ac humani juris penitus expers, ab obitu Wratislai, annis fere duobus; parumque abfuit, quin ultimò conjuratione Pragenſium & vicinorum de Nobilitate, câdem quam in ipſos exercu-

Tẽpla exurit: & addendo ſcelus ſceleri, etiam

S. Lidumilam crudeliſſimè necari curat, an. 927.

creviſſet, feritate trucidaretur; niſi Wenceslaus, quem jam non modò Chriſtianorum inſtantiſſimæ preces, ſed publica omnium votis, ad capeſſendum ſupremum regimen, ſollicitare non deſinebant, & qui in matrem, tametſi impiam non deſierat eſſe pius, prohibuiſſet.

Porrò Wenceslaus initâ mox principio regiminis ac certis pactorum fœderibus firmatâ cum Henrico Imp. ùt alibi meminimus, pace, totis viribus in id incubuit, ut Chriſtianæ diſciplinæ ſacra, cultúmque veri ac unius Dei, non modò in florem priſtinum reſtitueret, ſed magìs adhuc augeret propagaretq́;. Imprimis verò templa, matre ſive jubente, ſive connivente exuſta, reſtaurari, Sacerdotes & Scholarum Magiſtros ab exilio revocari juſſit; ſui ipſius præterea exemplo omnes ad pietatem & ſacrorum cultum incitans, ita ut brevì non religionis tantùm, verùm etiam morum magna in populo Bohemo notaretur mutatio, verumque eſſet illud Claudiani Poëtæ: *componitur Orbis; Regis ad exemplum; nec ſic inflectere ſenſus Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.*

S. VVenceslaus ſuſcepto tandem regimine initio anni 928. (ita in MS.) Religionem oppreſſam erigit.

Anno 929. cùm jam templum S. Georgij in arce minori, incendio deformatum denuò inſtauratum eſſet, Wenceslaus aviæ ſuæ S. Lidumilæ recordatus, corpus ejus Tetini, in cœmeterio S. Catharinæ tumulatum, Pragam transferri conſtituit. Iiſque ſuos, quibus præ cæteris fidebat, unâ cum Paulo presbytero eò miſit; qui ejeſta terrâ, tumulum quidem totum corruptum putrefactúmque, ſed corpus integerrimum ſuaviſſimo fragrans odore (tametſi biennio & ampliùs in loco injurijs cœli expoſito jacuiſſet), invenerunt, quod Pragam advectum, in templo primùm S. Matthæi Apoſt. deinde S. Georgij publicè omnibus etiam infidelibus ſpectandum juſſu Venceslai expoſuerunt, unde commoti gentiles non pauci, religionem Chriſtianam amplexi ſunt. Magna poſtmodùm ſolemnitate, nec minori Chriſtianorum qui aderant gaudio, ſacrum corpus in eodem templo fuit reconditum; ubi hodiéque piè aſſervatur. Illud porrò ſingulari admiratione dignum eſt, quòd locus ille ſive cœmeterium, in quo Tetini ſepultum jacuerat, nullus exinde

Translatio corporis S. Lidumilæ Tetino Pragam ad templum S. Georgij.

S inde

inde hominis, etiam innocentiſſimi infantis ſepulturam admittat; ſed ſi quod tumulatur, mox nocte ſequenti foras ejicitur: extant rei hujus vetera & recentia exempla. Unde oppidani Tetinenſes in altero, huic tamen vicino, quod eſt S. Michaelis, ſepeliri conſueverunt.

6. VVenceslai pia opera.

Anno 930 & ſequentibus, Venceslaus totum ſe Religioni propagandæ tradidit: templa aliquot nova à fundamentis erexit, & ad ſingula certum ſacerdotum numerum inſtituit, ac proventibus annuis abunde ditavit; viros denique tam ſacrorum, quàm profanorum literarum peritiſſimos, magnis propoſitis præmijs, è Saxonia & Bavaria allexit, ſummaque liberalitate eſt proſequutus. Unde legimus in Vita ipſius, ab Izone Epiſcopo conſcripta: *in tempore autem illo multi Sacerdotes de Provincia Bavarorum & Suevorum, audientes famam de eo, confluebant cum Reliquijs Sanctorum & libris ad eum: quibus ... abundè aurum & argentum, cruſinas & mantilia atque ... menta hilariter, prout unicuique opus erat, præſtabat.* Ex quibus erat unus, nomine Gerhardus, vir præ alijs doctrinâ & pietate conſpicuus, quem deinde, uti Radio I. oſtendimus, S. Wenceslaus, aſſentiente Tuttone Epiſcopo Ratisbon. cæteris præeſſe juſſit, atque Templi recenter extructi in honorem S. Viti Præpoſitum conſtituit. Inter alia, domum, in qua pupilli Chriſtianorum, & etiam gentilium undecunq; adducti, quos inter erant ære ipſius proprio coëmpti infantes, Chriſtiano ritu educarentur, in Hradczano prope portam quâ olim exitus patebat Oſtatſam verſùs, ædificavit: ex qua poſtmodum Joan. II. Archiep. Prag. hoſpitale pauperum Sacerdotum ac Studioſorum erexit, ubi verò hoc, ſupervenientibus hæreſeos turbis, in deſolationem veniſſet & ruinam, aliud Ferd. I. pro triginta pauperibus utriuſque ſexus è regia Camera, ſub Capituli Eccleſiæ Pragenſis cura alendis, ibidem loci extrui fecit: uti ſuo loco memorabitur. Templa verò à ſanctiſſimo Duce erecta Joannes Epiſcopus Moraviæ anno 931. conſecravit; quo anno ſequenti multum cum ob recrudeſcentes Hungarorum tam in Moraviam, quàm in alias viciniores Germanorum Provincias hoſtiles excurſi-

mil-

nullus deinceps per decennium & ampliùs eſſet in Moravia Antiſtes. D. Wenceslaus ſe ſuósque Tuttoni, juxta alios, Iſingrino ejus ſucceſſori Epiſcopo Ratisbonenſi, regendos ſubmiſit. Ab eo itaque tempore Bohemia ſub juriſdictione Epiſcoporum Ratisbonenſium ſtetit, ad annum usque 971. quo Boleslaus Pius facultatem inſtituendi proprium Epiſcopum à Joan. XIII. Pontifice Maximo impetravit: de quo plura paulo poſt.

Bohemia ſub Ratisbonenſiũ Epiſcoporum paſtorali cura.

Hunc in modum, cùm pacem foris, domî religionem curare ſummo ſtudio niteretur Wenceslaus, factioſorum tamen quorundam inquietiſſimos animos placare non potuit, quibus ad prædas cogendas, & exercenda latrocinia unicè deditis; alijs verò, gentilium ſacris tenaciùs, quam credi poſſet adhærentibus, nihil pace & quiete, nihil denique novo Chriſtianorum in Divinis cultu, moleſtius erat. Ipſa comprimìs Drahomira, quæ poſitâ priori ferociâ, aliquandiu quieverat, rediens ad genium, ac inſano quodam paganiſmi reſtituendi ſtudio ſupra modum cupida, res novas iterum moliri, & Chriſtiano nomini usque adeò infeſta eſſe cæpit, ut cùm videret, non tantùm urbem Pragenſem, ſed Provinciam univerſam religione Chriſtianâ imbui, patria verò ſacra jam penitus exoleſcere, idque fieri potiſſimum filij ſui VVenceslai ſtudio, ei necem quocunq; tandem modo parandam conſtituerit: ut hinc liquidò conſtet, quod fœmina ſive amat, ſive odit, modum non habeat. Igitur, quò citius tolleret incautum, ad dolos converſa inviſendi ſalutandiq; gratiâ ad illum VViſſehradum venit, ubi ad familiares colloquium admiſſa, exquiſito verborum pondere Fidem Chriſtianam deprædicare cæpit, ſimul & profiteri, ſe jam ita eſſe animatam, ut ſi vel modicè adhuc in ſancta hac religione inſtrueretur, eam haud invito animo ſit acceptura. Dirempto colloquio, cùm ad cibum ſumendum invitata eſſet, idem ſæpe ſæpiùs ingeminabat: deinde lagenam muſti, quod in toxicatum ex conſtituto ad perdendum filium attulerat, exponi jubet, haustum nectari ſimilem laudat, prælibare ſe ſimulat, ac Duci bibendum proponit. At ille cognitâ divinitùs, ut credi par eſt, fraude, bibere recuſavit, quod ſibi muſtum hic & nunc minimè

Drahomira ad dolos converſa

S. VVenceslaum veneno tollere intendit,

conduceret, cauſatus. Cùm verò ſæviſſima mater necis filij avida, iterum ſequenti & tertio die hauſtum obtruderet, vocatam tandem in penitius conclave Wenceſlaus ſuaviter admonuit, ne ſe perditum iri adeò feſtinaret, & maternæ charitatis penitus oblita, odio tam crudeli perſequi contenderet: ſufficere, quòd morti ſubjectum genuerit. Atque ita dolum ipſius ſe probè intelligere oſtendens, eam ſi fortè malorum hominum perſuaſione aut inſtinctu, eo usque abriperetur, ut ſeſe recolligere, à pravis ac nimium ſævis hujusmodi conſilijs deſiſtere, atque à tam atroci parricidij ſcelere, quod vel ipſa natura hominis etiam barbari deteſtaretur, animum avertere vellet, ſubmiſſiſſimè petijt. Non quòd mortem horreret, qui jam pridem ſemet ipſum Deo Salvatori ſuo in victimam devoviſſet, ſed quòd matrem ſui parricidam eſſe nollet, hoc ipſo in matrem impius. At illa hæſitans, ùt deprehenſis in ſcelere accidere ſolet, & in deliberando, quidnam priùs reſpondere debeat, attonitæ ſimilis viſa eſt, ut vel exinde concepti ſceleris reatum agnoſcere potuiſſes; ideoque reſponſum, dubijs vel horum ambagibus, & paucis valde, dedit: ſibi tale quid, tam enorme, tam atrox, ne quidem in mentem veniſſe unquam: ac proinde non ſatis mirari ſe, quod filius matrem tanti ſuſpectam ſceleris habere audeat: effuſa deinde in doctas mentiri lacrymas, quibus reliquum ſermonis abſolvit. Interea indignatione internâ & irâ, quòd detecto crimine confuſam ſe videret, vix non crepuit media; quam tamen in præſenti adhuc ſuppreſſit, ſed odio in Wenceſlaum altiùs concepto, nullâque deinceps apud illum factâ morâ, Boleſlaviam ad alterum filium moribus ſuis magis accommodatum diſceſſit; ab eóque tempore Wenceſlao inſidias parare non deſtitit, donec ea quæ nefariè ſtatuit, opere adimplevit: de quo infra. Acerba ſunt odia, nec ulla graviora, quàm matrum in filios, dum exaſperantur: tardè quidem lenteque eveniunt, & ſylvarum more ignem concipiunt, ſed quò tardiùs, eò vehementiùs.

ſed irrito conatu;

Nondum tamen ab inſidijs filio ſtruendis deſtitit.

Inſinuavimus jam antea aliquid de bello per Drzlaum Ducem Kaurzim. Divo Wenceſlao injurioſe illato: jam quomodo termina-

natū fuit, & quàm prodigioſè, ac citra vel unius militis ſanguinem piiſſimus Princeps de eodem Drslao cognato ſuo victor evaſerit, tamen id ad gloriam S. Wenceslai, adeoq; etiam Eccleſiæ noſtræ quomodocunq; faciat, paucis differere lubet. Gliſcebant jam pridem Primatū corū adverſus Wenceslaū odia, cauſâ religionis concepta, licet quæ veluti intra cineres doloſos latitantia, nequibant ſeſe ad incendum usque extendere, ob metum & potentiam Henrici Imp. cui Wenceſlaum in delicijs eſſe, & quem, ſi vis aut injuria ei inferreretur, acerrimum vindicem fore adverſarij haud ignorabant: donec illo ad finem anni 935. paralyſi tacto, & anno ſequenti mortuo, in nervum eruperunt. Primò omnium in Aula Boleslai fratris, Drahomirâ egregiè frigidam ſuffundente, multi ſermones ultro citróque habiti fuêre, pleni irarum & contumeliæ in Wenceslai ocium, quibus ipſe mollis inertiæ (ſic pietatis ejus ſtudium interpretabantur) ac neglectæ Reipub. notâ, indignum in modum lacerabatur, quòd domi ſedendo, non ſine gentis Bohemæ ignominia, quietem & deſidiam, procurandáque Religionis tantùm ſacra, bello & alijs Principe dignis actibus præferret, Sacerdoti quàm Principi hac in parte ſimilior; amicitiam cum Germanis Principibus nimis familiariter coleret, ab ijsq; jura acciperet; ita ut niſi obviam tempeſtivè eatur, brevi fore, ut Germani, quod hactenus vi & armis non potuiſſent, dolo obtineant, arripiántque occaſionem occupandæ Imperatoribus ſuis in Bohemiam ſupremæ poteſtatis, ſtatuendæque legis: *Principes, qui non ab Impp. Germanis in fidem accepti eſſent, rebus in Bohemia legitimè præeſſe non poſſe.* Et alia hujusmodi. Hinc igitur Drzslaus vir inquies, uti quondam pater ſuus Mſtibogius frater Hoſtiviti, nullo cognationis habito reſpectu, & fortaſſe Drahomiræ ac Boleslai inſtinctu, qui undecunque ſeditionis initia expectabant, piiſſimum Principem bello exagitandum ſuſcepit: ac geminatâ irruptione ex improviſo in ditionem ejus factâ, atque non tantùm rapinis, ſed igne etiam ferróque graſſatus, magnam undique formidinem incuſſit, adeó, ut etiam Kolowratæi, Kolodiegij, Rzicza-næi & alij Wiſſehrado viciniores, non parum ſibi, rebusque

Gliſcentibus contra S. Wenceslaum domeſticorum odijs.

Drzslaus Princeps Kaurzimenſis, & ipſe cognatus, bello exagitandū ſuſcipit, anno 937.

ſuis metuere cogerentur. Tot & tantis agnati Principis contu-
tumelijs provocatus D. Wenceslaus, & nequaquam ea ampli-
ùs ſuſtinere certus, Drzslaum omne fas abrumpentem, & bel-
lum pertinaciùs moventem, vi quoque & armis compeſcere de-
crevit. Quæ ejus præclara voluntas, tam ſibi laudabilis, ſum-
mæq; plena gloriæ, quàm illis qui vim hoſtilem patiebantur,
magno ſolatio fuit. Nec mora, convocatis ad ſigna viciniæ
ſibiq; probè fidæ Nobilitatis copijs, & Pragenſium cohortibus
ſeptem ex urbana juventute collectis, una aſſumptis, in hoſtem
caſtellum tunc Zidomerzienſe acri obſidione prementem du-
xit, eo propoſito, ut ubi in hoſtium conſpectum veniret, ſine
mora confligeret, partúque ſecundùm Deum Immortalem Vi-
ctoria, tanto celeriùs quietem & tranquillitatem populis ſibi
ſubjectis reſtitueret. Jámque prope Hruskoklaty pagum, ca-
ſtra caſtris ita proxima erant, ut modicâ tantùm valle interve-
niente dirimerentur, & utrinque non ſolùm majoribus tormen-
tibusque fundis, ſed etiam arcubus & telis res geri poſſet; ſæ-
pèque milites data acceptáque fide varijs ſermonibus collatis,
mutuò inter ſe congrederentur. Dum S. Wenceslai animum
pia cogitatio ſubit, tentandi Drzslaum, ſi forte ſine militum
clade, ſolóque Ducum certamine, controverſia præſens com-
poni poſſet; ut videlicet ſoli Duces, ſpectante utrinque exerci-
tu, in arenam ad ſingularem pugnam prodirent, & qui eſſet
Victor, rerum ſummâ potiretur. Quam conditionem lubens
accepit Drzslaus, qui uti erat indomiti roboris ac fortitudinis
vir, de S. Principe libris potiùs, (uti putabat) quàm armis di-
ctandis aſſueto, victoriam ſe reportaturum negotio facili ſpe-
rabat. Jam ſub ictu erant, & ecce! S. Wenceslai vultus in mo-
dum crucis, ac inſtar Solis reſplenduit; quo viſo, [illegible]
Drzslaus; & magis adhuc, cùm Angelos duos S. Wenceslao
adſtantes conſpexiſſet, audiviſſetque hanc vocem: *Ne ferias.*
Tam armis abjectis ſubitò ex equo deſilijt, & ad pedes Sancti
proſtratus, veniam ſupplex petijt: quem ille jacentem erexit,
atque porrectâ dexterâ in oſculum pacis pertraxit [illegible]
ſtupentibus ſuper ijs quæ agebantur exercitibus; [illegible]

ign-

S. VVenceslaus ad vim vi repellendam, juſto zelo, ſe ſuoſque præparat.

Ad parcendũ ſanguini militum,

Soli Duces in arenam deſcẽdunt.

S. VVenceslao aſſiſtunt Angeli, Drzlaus ſupplex

ignorantibus; donec Drzslaus ipſe, quæ vidiſſet audiſſetq; ordine cuncta retulit. Hac porrò occaſione ex Kaurzimanis, quorum minor adhuc pars adhærebat gentilium ſactis, plurimi Chriſto nomen dederunt. Tametſi autem Duces priùs convenerint, ut qui exiſteret Victor, alterius Ducatum occuparet; Divus tamen VVenceslaus pro innata bonitate ſua, non modò ſalutem & libertatem, verum etiam ditiones paternas omnes victo Principi reſtituit; ac ſyncerè precatus, ut bonis paternis diu frueretur, illáque ad poſteros feliciter transmitteret, ſalvum in propria abire juſſit. Qui hâc clementiâ Victoris quaſi jam ſecundo victus, deinceps uti pacis ſtudioſum Principem decuit, quoad vixit, pacē & concordiam ſyncerâ fide ſervavit. Imò & Chriſtianæ religioni, quâ jam antea quidem, ſed modicè, imbutus fuerat, ſynceriùs colendæ, exemplum D. Wenceslai ſequutus, totum ſe dedidit, nihil eorum prætermittens, quod quocunque modo ad ſacræ Fidei in ſuo Principatu propagationem ſervire cognoviſſet.

S. VVenceslai erga ſupplicē benignitas.

Ferunt diem Victoriæ hujus cælitùs D. Wenceslao oblatæ, fuiſſe in Eccleſia SS. Apoſtolis Petro & Paulo ſolemnem; ut hic non vanè credendum ſit, tutelaria horum Sanctorum numina Wenceslao, cùm in locum certaminis deſcenderet, ſub duorum Angelorum, quos Drzslaus ſe vidiſſe teſtatus eſt, ſpecie, adfuiſſe, eorumque ope Victoriam reportâſſe. Ut ut ſit, id certum habetur, VVenceslaum, ubi triumphabundus Pragam rediiſſet, ad perpetuum tantæ Victoriæ divinitùs ſibi conceſſæ monimentum, magnificentiſſimam Ædem nomini eorundem SS. Principum Apoſtolorum ſacratam, inter VViſſchradum & Pragam, non procul à ripa fluminis, loco tamen editiore, poſuiſſe, (Domus ibi nunc eſt alicujus civis Novæ Prag. de vicu cerdonum, Eccleſia injuriâ temporum in cumulos abijt, cujus tamen adhuc veſtigia, etſi modica, videntur) inſuper, ut ijsdem, quibus Vaticana Romæ, decorata Indulgentijs fulgeret, per legatos ex conſtituto Romam ad Leon. VII. Pontificem Maximum miſſos petijſſe, & impetrâſſe, ita ut poſtmodùm Eccleſia illa, *Eccleſia S. Petri Romæ,* vulgò dici meruerit.

Hujus Victoriæ Divinitùs ſibi oblatæ, ut perpes ſit memoria, templū Pragæ condit.

Legatos Romā mittit.

Re-

Legati Româ reduces, quæ ibi viderant, referunt.

Redierunt legati Româ circa finem anni 918. qui cum Piiſſimo Principi ſolicite ſciſcitanti, quid nam ſingulare & ſanctitate Romanâ dignum ibi vidiſſent, inter alia referrent, ſe Romam apuliſſe 24. Septembris, & tertiâ die interfuiſſe Sacris in templo SS. Coſmæ & Damiani, maxima cum ſolemnitate peractis: rurſumque die tertiâ in templo S. Michaelis, ac utrobique plura quam centum Miſſæ ſacrificia celebrata ſpectaſſe: in lacrymas reſolutus ille fertur ingemuiſſe, & dixiſſe: *Faciat, utinam, amantiſſimus Dominus, ut meus dies inter hos Sanctos computetur: utq; in hac etiam Provincia, ad honorē ejus offerantur Sacrificia!* Et ſanè videtur hoc ipſum votum exaudiiſſe Deus; ſiquidem anno ſequenti, planè die illa, quæ inter feſta SS. Coſmæ & Damiani, & S. Michaelis occurrit media, occiſus eſt. Curavit etiam tum ſtatim duo tēpla erigi, alterum honori SS. Coſmæ & Damiani, in rupe quadam eminentiori Wiſſchrado proxima, & S. Michaelis in minori Urbe alterū.

Suſpirium S. VVenceslai fatidicum.

Drahomira Boleslaum ad inferendam fratri necem ſollicitat: à qua ille abhorret primùm,

Interea Drahomira, uti erat ingenio crudeli & ſanguinario, ac perdendæ Religionis Chriſtianæ ſupra modum cupida, Boleſlaum, ad inferendam quocunque tandem modo fratri necem, ſolicitare non ceſſabat. A quo diro facinore abhorruiſſe ille primùm viſus eſt, qui aliâ viâ fratrem a gubernaculis amotum maluiſſet. Fama etiam ſub id tempus increbruit, VVenceslaum vitæ aulicæ, ac pompæ hujus ſeculi pertæſum fratri ſuo Ducatum reſignare conſtituiſſe; dummodò graviſſimâ & difficillimâ impacatæ Provinciæ adminiſtratione exuere, vitamque privatam & tranquillam, vel domi in patria in aliquo piorum cœtu, vel Ratisbonæ in cœnobio S. Emmerammi, vel denique Romæ tranſigere ſibi liceret. Quod uſque pius Princeps pridem feciſſet, niſi Religionis cura, cui ut plurimum ab impiiſſima matre metuebat, eum tenuiſſet.

Deinde invitato Boleſlaviam Sancto VVenceslao,

Anno 939. menſe Septembri, natus eſt Boleſlao filius, cujus novæ per baptismum regenerationis ſolennia ad diem SS. Coſmæ & Damiani ſacram indixit pater, ad eaque VVenceslaum pro ea, quâ ſibi fraterno ſanguine juncti eſſent neceſſitudine, vocandum exiſtimavit. Miſſis itaque nuncijs amiciſſime Bo-

Boleslaviam invitat, petitq; ne huic à Deo ipſo oblatæ occaſioni, qua tota domus parenteláque Principum meritò gaudere deberat, nato hærede, qui ſucceſſionis in Regno ſpem faciat, deeſſe velit. Ferunt præſcijſſe Sanctum parari ſibi necem; & quanquam etiam ab amicis moneretur, ut ſibi caveret ab inſidijs matris & fratris, neque ſe periculo vitæ ultrò committere vellet; ivit tamen, viſitatis priùs omnibus Pragæ templis, & in Eccleſia D. Viti etiam SS. Euchariſtiæ viatico ſuſcepto; exceptusque eſt à Boleslao ad ſpeciem honorificè. Sunt etiam, qui dicant Boleslaum, cùm fratrem domo exciperet, non dum conſenſiſſe in ejus necem, tametſi aſſiduis penè matris ſuaſionibus ad eam inferendam incitaretur; ſed primò poſt peractam Baptiſmi ſolennitatem, convivióque in ſeram noctem protracto, ubi incaluiſſet mero, remotâ omni dubitatione, vim illi inferre ſtatuiſſe, juſſiſſéque quosdam obſcurioris nominis, àudaciæ tamen ad omne patrandum ſcelus ſingularis, ſatellites, ut Wenceslaum dum egrederetur foras obſervarent, & quocunque modo è medio tollerent. Cúmque is ſemotis menſis, in cubiculum, quod ſibi deſtinatum erat, quietis poſt peractas Veſpertinas preces capiendæ cauſâ ſeceſſiſſet, ter illi negotium opprimendi ipſum diverſis vicibus ſuſceperunt, portam vel ſummâ vi effringere conati; térque ſubitaneo correpti metu, & attonitis ſimiles receſſerunt; ita ut ipſos alioquin dicto Principis audientes, & religione Chriſtianâ modicè imbutos, ac fortaſſe adhuc gentiles, adeóque in Chriſtiani hominis cædem, inſitâ quadam feritate & truculentiâ ultro ferri ſolitos, divini numinis providentiâ, quæ diem craſtinum decoro militis ſui Martyrio, ad votum ipſius purpurandum decreverat, tantum animis terrorem concepiſſe, credi fas ſit. (a)Inter hæc Drahomira necis filij magis atque magis avida, noctémque idcircò inſomnem ducens, & cum Boleslao ſermones atque conſilia, quæ ad præſens faciebant, conferens, exitum rei anxiè præſtolabatur: cumq; ex ſuis cognoviſſet, miſſos ad tollendum Wenceslaum infectâ re redijſſe, perturbatósque ac metu & pavore externatos,

remotâ omni deliberatione conſentit.

Satellites inferendæ necis

Divinitùs repelluntur.

T tos,

(a) *MS. Hyze in Vita & paſſ. S. VVenc.*

tos, hinc inde ceu mente captos, per domum diſcurrere, latebras quærere, idq; palam affirmare, quòd ſui potiùs Principis manu & gladio mallent occumbere, quàm ampliùs quicquam tale in Wenceslaum, quem cælitùs protegi certum eſſet, tentare: irâ & furore ingenti, percita illa, ac proſciſſo convitijs indecenter Wenceslai nomine, ferociùs ſi unquam fremere & indignari, filiúmque adſtantem per omnia obteſtari, ne præſentem occaſionem occidendi fratrem elabi permittat, ſed videat, ut poſthabitâ omni cunctatione, illum quam primùm è medio tollat; Qui non dum exhalato vino, quod ad temulentiam penè ſeſe ingurgitaverat, ideóque ferox, & ad audendum quidquid occurreret, proclivis & accenſus, ſuis extemplò referri juſſit, ſe in eos veluti deſpecto ſuo imperio, minùs ſibi obtemperantes, juſſáque ſua tam protervè & contumaciter contemnentes, pro merito graviter animadverſurum. Matri verò jurejurando etiam interpoſito ſpopondit, daturum ſe operam, ac omne tandem adhibiturum ſtudium, ne frater Pragam vivus redeat; imò, ne diem ſequentem ſupervivat. Móxque vocatis Styrſâ & Hnewſâ, duobus præcipuis aulæ ſuæ miniſtris, ijs ut præſto ſint in armis, ſeriò in mandatis dat; ac poſtquàm ſtetiſſet aliquamdiu tacitus, cogitabundus fortaſſe, quâ viâ, quo commento, quâ denique vi fratrem aggredi debeat, illos deinde quid fieri velit, edocet, útque ſecretò rem habeant, monet. Nec mora, alium é ſuis, intempeſtâ licèt nocte, ad præfectum cleri & templi mittit, cum mandatis, ne à media nocte ſolitas ſuas preces in templo peragant; aut ſi peragere velint, nullo ſigno campani æris, (cujus uſus jam tum eſſe cæpit, unà cum religione Chriſtiana è Græcia à SS. Cyrillo & Metudio illatus) conveniendi dato ſubmiſſioríque voce, & portis clauſis, ac nemine penitus, ne Wenceslao quidem eò ingredi permiſſo, id peragant: ſecus ſi fecerint, offenſam gravem, non niſi malo ſuo expiandam ſe incurſuros certò ſciant. Qui hominis ſuapte naturâ ferocis indignationem veritus, ita ſe facturum promiſit. Jam tertiæ vigiliæ decurrebat hora, cùm pijſſimus Princeps nullum ſignum precationis nocturnæ tam diu dari mira-

Drahomira Boleslaum, in necem fratris, animare non ceſſat,

ille facturum ſe jurejurando promittit;

miratus, famulum, qui ei à cubiculo erat, vocat, jubetq; ut ſi templum apertum ſit, videat, ſibiq; referat. Quo abeunte, le-ctulo ſuo conſurgens, veſtimenta accipit, & ad ſolitas ſuas preces animum comparat; illo verò reduce, & referente templi fores clauſas eſſe, ſummúmque ſilentium ubique haberi, ad feneſtram quæ templo obverſa erat genuflexit, & orationes ſuas matutinas devotè per ſolvit. Sub aurora tandem foras exijt, templum quod exiſtimabat jam eſſe apertum, introire volens, ſed obſeratum adhuc invenit; quare flexis adportam genibus, & manibus in cœlum elevatis, animam ſuam Deo ardentiſſimis precibus commendabat. Inter hæc dubiâ adhuc matutinæ diei luce reſpiciens, vidit aliquem accedere: & agnoſcens eſſe Boleſlaum, aſſurgit ac bonum Manè precatus, pro exhibita ſibi & ſuis tam liberali hoſpitalitate gratias ipſi agit dicens: *Frater dilecte, multam habeto gratiarum actionem, pro convivio heſternâ die mihi, & meis abundantiùs exhibito.* At ille, omnis tum humanitatis expers, ac veluti in rabiem verſus, truculentâ voce reſpondit: *jam tibi meliùs præparabo convivium*, eductóq; gladio impetum in Abelem innocentiſſimum facit, geminatóque ictu percutit, & primò particulam cranij latitudine mediocris unguis humani, altero auriculam abſcindit; dúmque tertium in caput ejus vibrat, ac ſummâ vi jugulum petit, ſuo ipſe facinore territus in terram corruit, & gladium dimittit. Tum S. Martyr accepto gladio, inquit ad illum; *Frater quàm malè agis, vulnerando me!* cúmq; videret illum inſiſtere cæpto ſceleri, gladium quem manu tenebat, ei reſtituit, dicens: *voluntas tua ſit in manibus tuis;* quo ille arrepto, dorſum ejus ad templi fores regredientis transfigit. Hinc ſtrepitu ſimul & clamore exorto, Styrſa & Hniewſa confeſtim accurrunt, ſtrictisq; gladijs Wenceslaum Chriſti Dei Divæque Virginis Matris gratiam implorantem, & ad portam occluſi templi flectentem, manúque annulum æneum portæ affixum, qui hodiéque ad januam Sacelli ejuſdem S. Martyris in Eccleſia S. Viti Pragæ appenſus viſitur, tenentem, circumſiſtunt, & ictus repetunt; atq; ita multis cæſim punctimq; illatis vulneribus confodiunt.

S. VVenceslaus ad templum vadit:

ad portam tēpli genibus flexis orat

à Boleslaô invaditur,

occiditur, anno 939.

[MS. codex membraneus in Archivo Capitul. Metropol. Prag. continens Tractatum de Paſsione S. VVenceslai, à Chriſtanno, qui erat Boleslai I. filius tertio genitus Ord. S. Benedicti religioſus, conſcriptum, habet expreſsè annum DCCCCXXXVIIII. Etiam quædam Coſmæ exemplaria manuſcripta. Sicut etiam Vita ejusd. S. Martyris ab Hyzone EpiſcopoPrag. conſcripta. Pulkavva, Hagecius, & alij hos ſequuti,qui annum 929. ponunt, videntur ex aliquo malè ſcripto codice, in quo X. annor. numerus omiſſus erat, in errorem inducti.]

Famuli Principis ad clamores & inconditas occidentium vociferationes è ſomno experrecti, partim qui arma ad defenſionem arripuerant, è veſtigio trucidantur; partim in expectato ſubitaneóque pavore exanimati, in proximas ſylvas, aut quo licuit, inermes palantésque profugiunt. Unus Podivinus fidiſſimus S. Wenceslai ſervus, & cubiculi ejus quondam præfectus, manus impiorum evadere non potuit, vel non voluit, morte potiùs Domino ſuo conjungi cupiens, quàm absque illo diutiùs vivere: quem ſatellites Boleslai apprehenſum latronis inſtar funibus ligârunt,& ut ſceleri ſuperadderent ſcelus,in proxima quercu ſuſpenderunt. Chriſtannus inVita S. Wenceslai de illo quædam alia memorat. Ut ut ſit, biennio vel triennio, ut volunt aliqui, incorruptus ille pependit; non avis, non ros,non pluvia,non gelu,vel nix corpus ulla putredinis macula corrupit; quod deinde juſſu Boleslai terræ mandatum fuit

PodivinusMartyr.

Boleslaus poſt patratum hoc facinus plurimùm conſternatus.

Cæterùm à patrato hoc facinore, tàm Boleslaum, quàm aulam & domum ipſius totam invaſit conſternatio ingens: omnes quippe inuſitatâ formidine attoniti, pars nec animo, nec viribus, nec ratione competere, pars factum deteſtari, ac palam contrà murmurare; ita ut Fratricida ipſe filio recèns nato, nomen Samodruh, quod ei pridie in Baptiſmo fuerat datum, immutaverit, & à terrore præſenti, Strachyſwas/ quaſi diceres, *convivium terroris*, eum deinceps nominari voluerit.(a) Pragæ verò & alibi locorum per Bohemiam, auditâ Principis ſui optimi tam atrociſſimâ cæde, quantus fuerit ubiq; luctus, quanta conſternatio, quantus clamor, præſertim Sacerdotum & Chriſtianorum omnium, vix mente,ne dum calamo vel literis comprehendi poteſt. Audaciores aliqui ad arma conſurgere, vindican-

Pragæ ingens conturbatio& luctus.

(a) *MS. Hyto in Vita & paſſ. S. VVenc.*

dicandámque Principis innocentiſſimi mortem aſſerere, ac contrà magnis,ut fit, clamoribus ſublatis vociferari; at poſtquàm adveniente cum armatis Drahomirâ novus pavor omnes occupâſſet,, quies & ſilentium fuit. Corpus S. Martyris à Sacerdotibus, & pijs alijs Chriſtianis acceptum, & in templo SS. Coſmæ & Damiani ad cujus fores occubuerat, honorificè, nec ſine planctu multorum, eſt tumulatum.

Corpus S. Martyris Boleslaviæ ſepelitur.

Tum Drahomira voti ſui compos facta, collaudatóque de tam inſigni facinore Boleslao, Pragam mox illâ die ſtipata ſatellitum ſuorum coronâ, ire properavit; occupatóque Wiſſehrado, quotquot è Sacerdotum cætu deprehenderat, captos ac omnibus ludibrijs & convitijs oneratos verberatóſque, vel extemplò interfici, & è vicina rupe in ſubjectum flumen projici juſſit, vel in carcerem conjectos fame tabeſcere ac mori coegit. Nec minori crudelitate in alios Chriſtiani nominis viros, præcipuè verò Wenceslai familiares ſævijt; quin imò etiam ſatellitibus ſuis, prout cuique animus ferret, in eos omnibus crudelitatis & ſævitiæ modis graſſandi & debachandi liberrimam facultatem conceſſit. Qui inſolentiores indiès ſumendo ſpiritus, brevì etiam Urbi admodùm graves eſſe cœperunt, domos civium in ſuburbanis magno impetu invadentes ſpoliare, incendere, obvios ac reſiſtentes quosvis immani truculentiâ interficere. Hunc in modum creſcente ex impunitate licentiâ, ultimò in cives ipſos tàm palam,quàm occultis cædibus graſſari cœpit impijſſima mortalium: duo ſiquidem illorum præcipui ab ea Wiſſehradum ſub fide vocati, nec quicquam adverſi metuentes, cùm in itinere eſſent, neci dati ſunt; nemine cædis auctorem inquirente,ac Prætore quoque ſilere juſſo. Quibus rebus eveniebat, ut Drahomira, & quot quot ipſi adhærebant, apud Cives & Provinciales tot malis exacerbatos, ſummâ invidiâ atque odio deflagrarent; ita ut ad illud declarandum, non aliud, quàm commoda rerum novandarum occaſio, avidis ad ultionem animis, expectari videretur. Jámque res ad ſeditionem ſpectabat, dum Boleslaus cognitis his, Divislaum vel, ut alicubi lego, Dislaum Libnæ præfectum, magnæ apud Pragenſes

Drahomira denuò in Chriſtianos Pragæ ſævit;

Pragenſes idcircò aguntur in ſeditionem,

ſes authoritatis virum, & eloquio facundum ac potentem, Pra-
quam Boleſlaus per legatum ægrè componit:
gam miſit; (*b*) multis verbis ſeſe excuſans, nihil juſſu ſuo, ni-
hil conſenſu fieri, quæ à Matre improbando conſilio & peſſimè
gererentur; venturum propediem ſe Pragam, & malis hiſce im-
poſiturum modum, ita ut quandoque omnes habeant, quod ex-
periantur, ſe habere Principem benignum & lenem. Et quò ci-
tiùs urbanam plebem, quam ſuper tam triſtem Principis ſui in-
teritum ſummopere conſternatam & turbatam haud ignora-
bat, in ſuas partes inclinaret, addi juſſit, cædem Fratris fortui-
tò accidiſſe; perditiſſimorúmque hominum, qui omnia ſibi
culpam agnoſcit ſuam, & pænitentiam promittit:
licere putant, ſtudio & incitatione, ſe tunc planè, dùm vitio
crapulæ impos animi eſſet, eò transverſum actum, ut in tam
enorme facinus præcipitaretur. Ita tamen ſe facti pæniten-
tiâ duci, ut quoad viveret, nunquam ejus oblivisci vellet; ide-
óque quidquid ad placandum Cæleſte Numen, neceſſarium de
Matrē à perſequutione Chriſtianorū dehortatur.
conſilio ſacerdotum judicaretur, paratum ſe eſſe id adimplere
& exequi. Matrem etiam per familiares admoneri juſſit, feſti-
naret in ſuo propoſito lentè, & Chriſtianos exagitando nimium
ad deſperationem ultimam non adigeret, ſed mitior eſſe vellet.
ſi veterem in ſacris cultum pertinaciùs ac tanto ſtudio conſer-
vare deſiderat, id ita agat, ut eorum qui illius cultores eſſent te-
naciores, ſe amicam & fautricem, nec tamen hoſtem Chriſtia-
norum profiteatur. Metuendum alioquin eſſe, ne ſi plus ni-
mio Chriſtiani vexentur, vel ſeditionem, cujus componendæ
negotium deinde foret grave concitent, vel ad novum Impe-
ratorem arma tum per vicinam Bavariam circumferentem
provocent: qui concitatus, & jam antea haud obſcuro, ut in
omnes Slavos, ita in Bohemos odio acerbus, victorem exerci-
tum in Bohemiam traducat, ac hoſtilem in modum per obvia
graſſando, omnia ſúsque déque vertat. Ad quæ, illa ſubtr[illegible]
ita ſeſe oſtendiſſe dicitur, ut neque acceptare monita filij, ne-
que improbare videretur, ſed magis ſilentio hæc omnia in præ-
ſens transmittenda cenſeret. Nec multo poſt relicto Wille-
rado, Stochoviam, ad dotalem ſuam arcem, irarum plena ab[illegible]
& cu[illegible]

(b) *Hyze cit. Anon. in Vita S. VVenc.*

& cùm tamen non ceſſaret Chriſtianis eſſe gravis, brevi mortis genere horribili, dum Luricium per Pragam, & vicum Pohorzelecz dictum pergeret, multáque adhuc in perniciem Chriſtianorum mente volveret, repentino terræ hiatu, ut alibi jam oſtendimus, abſorpta perijt. Boleslaus porrò, ut tanto ſecuriùs Pragenſes in officio contineret, eundem Divislaum loco ſui interim, donec ipſe veniret, Urbi præeſſe juſſit: atque ita paternum ſolium conſervavit lenitate, quod Matris furore haud dubiè perdidiſſet. Malus quippe neq; diuturnus officij magiſter eſt metus; ſicut etiam Imperia crudelia, magis acerba ſunt quàm diuturna: amore & benevolentiâ ſtant tutiùs regna. Hinc illud Poëtæ: *Violénta nemo imperia continuit diu; Moderata durant.*

Drakomiræ interitus.

Anno 940. initio veris, Brzena conjunx Boleslai graviſſimâ febri correpta, eáque diu multúmque afflictata adeò, ut viribus conſumptis, naturâ fatiſcente, mortuæ ſimilior quàm vivæ decumberet, nullíſque medicamentis recreari poſſet, ultimò Vale jam marito Principi dicere parabat; cûm inter hæc Divus Wenceslaus ultro ſe memoriæ ejus ingeſſit. Confeſtim igitur ſtrato ſuo ſurgens, tametſi debilis, ac ancillâ tantùm unâ comitante, cujus manu ſuſtentaretur in via, templum ubi S. Martyris corpus requieſcebat, clam petijt; móxque in ingreſſu Sanctus, ſub ea ſpecie, prout ipſum antea in vivis noverat, ei apparuit, & elevatâ manu benedixit; quo conſpecto, & ſacro horrore nonnihil perfuſa, eo ſtatim momento ſe reſtitutam ſanitati ſenſit, procidénſque in terram, Deo & Sancto Martyri gratias egit. Egredienti de templo occurrit Boleslaus admirabundus, quòd illam ambulantem videret, quam paulo ante lectulo affixam, & extremè jam laborantem, vix per triduum in vivis duraturam credidiſſet; avidéque ſciſcitans, quomodo nam tam citò convaleſcere potuerit? Quæ uti ſe res habuit, cuncta ordine recenſuit. Cúmque ille his fidem dare nollet, idq; aſſeveraret, impoſſibile eſſe, ut morbus adeò validus, & tam diuturnus, in momento quaſi remiſiſſet, & uxorem delirio, ut quandoque in ejusmodi acutis doloribus accidere ſolet, tentari

Uxor Boleslai febribus correpta, ad Sepulchrũ S. Martyris ſanitatẽ recuperat.

Boleslaus incredulus febribus quoque corripitur,

tari exiſtimaret: è veſtigio febri & ipſe corripitur, & graviori quidem periculoſiorique, quia malignâ & ardenti, quæ illum tam diu exercuit, omnibus alijs humanis medijs in irritum cadentibus, donec exemplum conjugis ſequutus, ſe ad ſepulchrum Martyris deferri, cùm ambulare non poſſet, ſecretò tamen, juſſit: tum hoc facto, ſanitatem quoque retulit. * Quamobrem viſis tot ad ſepulchrum Fratris miraculis, ſcelus ſuum longè magis deteſtari, & ne majorem ac fors æternam Dei pœnam incurreret, vehementer angi cœpit; ab eóque tempore Chriſtianis, & Sacerdotibus comprimis, addictior viſus eſt, rémque Chriſtianorum ubi ſolùm occaſio ſe ſe præbuit, ſedulò promovit.

& ad ſepulchrū Fratris ſanitati reſtituitur.

* *Hyzo cit.*

Otto Imp. bellum denunciat Boleslao propter cædem S. VVenceslai.

Eodem anno, priusquàm febri laboràſſet Boleslaus, Otto Imp. qui Henrico patri ſucceſſerat, ut S. Wenceslai ſibi quondam amiciſſimi necem vindicaret, Boleslao per fæcialem bellum denunciavit, ſceleratum, & indignum quem terra ferat, appellans; proinde facinore tanto, incurriſſe illum meritò publicum odium; ſe verò effecturum brevì, ut dignitate Principis, quam ſibi tam inſigni ſcelere comparâſſet, exutus, & in ordinem redactus, vel ſolum vertat, vel in vinculis turpiſſimè expiret. Quâ tam atroci denunciatione, tametſi haud parum percelleretur Boleslaus, non deſpondit tamen animum, ſed habito cum ſuis conſilio, omnia quæ ad defenſionem neceſſaria forent, militem & arma quantocyùs comparari juſſit; ac primò omnium id ſolicitè egit, ut fines Provinciæ, quâ Miſniæ Bavariæque obvertuntur, novâ arborum concæde muniret, & quâ fortaſſe tranſitus tentari ab hoſtibus poſſet, validiſſimo præſidio impoſito tueretur. Ad quod perficiendum, quanquam ſegniores, quàm periculi magnitudo poſtularet, Bohemiæ proceres reperiebat, maximè verò Lucenſis ſeu Zatecenſis provinciæ præfectum Dobromirum: Bilinenſem item & Wlaſtislavienſem, qui ſumpturos ſe arma contra Cæſarem ſingulari contumaciâ recuſârunt: ita ut inter hæc febri inſuper correptus, rem ſuam, impendente tantâ belli mole, jam extremo in periculo conſtitutam videre cogeretur, tamen præter opinionem cunctante

Boleslaus ad reſiſtendum vires comparat.

Ca-

Cæſare, ac demum bello Lotharingico cum Giſelberto Lotharingiæ Principe, & Gallico cum Ludovico IV. Caroli ſimplicis filio, diſtento, ſpatium opportunè conceſſum eſt præparandi ea, quæ ad ſui, ac totius gentis ſalutem & defenſionem opus eſſe videbantur. Inter hæc recuperatâ in eũ modum, uti dixi valetudine, Pragam venit, ſummo ſtudio urgens, belli apparatum: atq; ut populum ſibi magis devinctum redderet, Chriſtianam religionem imprimis promovendam, & ſeu verâ ſeu ſimulatâ pietate, templum D. Viti exornandum ſuſcepit, miſſis etiam ad Michaelem Epiſcopum Ratisbon: (hic biennio antè Gunthero defunctọ ſucceſſerat) nuncijs, qui illud ſolito in Eccleſia ritu Deo conſecraret. (c) Coſmam Pragenſis Eccleſiæ Decanum hac de re memorantem audiamus: *De actibus autem Ducis Boleslai, nihil aliud dignum relatione percipere potui, niſi unum, quod vobis operæ precium pandere duxi. Nam ſervus Dei Wenceslaus, Eccleſiam in Metropoli Praga, ſub honore S. Viti Martyris conſtructam, non tamen conſecratam, morte præventus reliquit. Hanc ut conſecrare dignaretur, qui tunc præerat Ratisbonenſi Eccleſiæ, Præſul nomine Michael, Dux Boleslaus ſupplex, miſſis legatis, cum magnis muneribus, & majoribus promiſſionibus atq; pollicitationibus, quo petitionem ſuam adimpleret, vix impetravit. Quod utique haud annuiſſet Præſul, niſi ob recordationem animæ, & ſalutem Wenceslai amici ſui jam interfecti id deliberaſſet fieri: quia vir Dei Wenceslaus dum carne viguerat, nimio cum affectu coluerat, utpote patrem ſpiritualem & benigniſſimum Præſulem. Nam & Præſul Michael ſimiliter hunc ſibi adoptaverat in filium dilectiſſimum, cum ſæpe inſtruens timorem & amorem Dei, cum ſæpe mittens ei ſua donaria, quibus maximè illo in tempore indigebat nova Eccleſia Chriſti. Mox ubi dux eſt factus compos voti, plebs univerſa, & proceres, atq; Clerici obviam advenienti Epiſcopo ruunt devoti, & cum magno honore & lætitia recipiunt cum in Metropolis Pragæ ædificia. Quid multa? decimo Calendas Octobris dedicata S. Viti Eccleſia, lætus repedabat Præſul ad propria.* Sunt qui referant, illum priusquàm Prāga abijſſet Boleslaviam quoque divertiſſe, ut locum ubi S. Wenceslaus occiſus ſepultusque eſſet,

Michaelem Epiſcopum Ratisbon. pro conſecranda D. Viti Eccleſia invitat.

Templum D. Viti Pragæ conſecratur an. 940. *Aliqui malunt anno 941. bello jam cum Ottone Imp. finito.*

(c) *Coſmas Prag. Chron. l. 1.*

ſet, & veſtigia ſanguinis ejus, veneraretur; (*d*) Sanguis enim per parietes ſparſus, nullo modo, Boleslao licèt & ipſius aſſeclis multa tentantibus, deleri potuit; ſi calce vel aliâ tincturâ obductus fuit, calx extemplò decidit vel evanuit, ſanguis verò longè magis recruduit.

S. VVenceslai ſanguis per parietes ſparſus deleri nequit,

Anno 942. poſtquàm Przibislavæ ſorori D. Wenceslai, aliiſque non paucis divinitùs revelatum eſſet, ut corpus S. Martyris Pragam ad D. Viti Eccleſiam transferretur, Boleslaus hoc cognito, quamquàm primò ad aſſentiendum durior videretur; aſſiduis tamen ſororis precibus fatigatus; & à ſuis, quorum conſilijs plurimùm tribuere erat ſolitus, hoc potiſſimùm motivo, ſi deinceps aliqua acciderent miracula, non ita fratri, ſicut D. Vito fore adſcribenda, perſuaſus conſenſit: hoc tamen cautum eſſe voluit, ut id quantum poſſet in occulto fieret. *Convocatis itaq;* (ſic refert Joannes Epiſcopus Litomiſslenſis in ejus Vita) *quibuſdam militibus ſuis, præcepit eis ſub terrore ſententiæ capitalis, ut nocte ſtatutâ, videlicet quarto Nonas Martij, ſanctum transferrent corpus ante diem, & ſepelirent absq; populari frequentia, ne ſcilicet ſcelus ejus ad memoriam revocaretur, pluribus aſpicientibus; &, ſi aliquod miraculum contingeret, ſceleratior appareret. Igitur præfati milites, Ducis ſævi ſententiam nimiùm formidantes, caſtellum Boleslavienſe velociter adire ſtuduerunt equitantes, veſpereq; facto, aſſumptis ſecum Presbyteris, & paucis religioſis Viris, Eccleſiam adierunt, ſepulchrúmq; aperientes, ſacrum inde corpus reverenter levàrunt; ex quo miri odoris fragrantia referti, nullam moram facientes, neq; illud conſiderantes, vehiculo impoſuerunt, Pragenſem Urbem, ſecundùm juſſum ſcelerati Principis perducere accelerantes, vitamq; ſic ſuam ſervare cupientes.* Cùm ad Albim venerunt, qui tunc ponte carebat, repente omnes unà cum curru & equis per flumen ſunt translati. *Inde cùm perveniſſent ad torrentem quendam, cui vocabulum Rokitnicz, ecce aqua,* vernali reſolutione, *adeò excreverat, ut etiam ripas egrediens, prata omnia occupàrit. In anguſtia igitur portitores conſtituti, quid agerent ignorabant: & tandem preces fundere ad eum, cujus corpus bajulabant cæperunt obnixas, dicentes: O Beate Wen-*

Translatio S. VVenceslai Pragam aliquot exemplis prodigioſa.

(d) *Hyzo in MS. Vita Paſſ. & Mirac: S. VVenc.*

te Wenceslae, miſerorum conſolator pie, exaudi nos miſeros in hac anguſtia conſtitutos, à periculoq; mortis imminentis nos clementer liberare digneris! hæc orant, & nihilominus laborant, ſi pons qualiscunq; fieri poſſet. Dum hæc aguntur, ſubitò reſpicientes vident ſe, plauſtrúmq; cum corpore pretioſi Martyris, Angelico miniſterio translatos ex parte fluvij, quâ ire diſpoſuerant, conſtitutos: Etiamſi lingua taceat, ratio docet, quantâ lætitiâ bajuli movebantur, cùm à tribulatione liberati eſſent, & quòd tam in eis, quàm equis eorum, meritis tanti Martyris, miraculum glorificatorum corporum patuiſſet. Accepto deniq; pondere ſacro, plaudentes perveniunt Pragam usq; ad flumen; qui Wltava dicitur, pontémq; fractum (nam tunc ligneus ſolùm erat) *ex inundatione aquæ reperientes, ingemiſcunt; & nihil proficientes, ſtabant juxta vehiculum nimia præ anguſtia, veluti in extaſi poſiti, quid agere deberent, penitus ignorantes. Tandem verò revocantes miraculum, in ſe in prima tribulatione per merita B. Wenceslai divinitùs patratum, rurſus in facies ſuas procidentes, S. Martyris flagitabant auxilium cum lachrymis. Invaleſcebat nempe mœror illorum, quoniam gallicinium tranſibat matutinum, & lucis aurora jam erat proxima.* Dum ergo *(ſupplet ejus Continuator)** ſic mente propè alienatâ templa S. Viti & S. Georgij in arce, quò pergendum erat, anheli aſpiciunt, converſi, repentè vident fluvium Wltavam poſt ſe; & ſic jam tertiò advertunt ſe divinitùs translatos per aquas. Eſtq; hodie eo in loco columna lignea honori S. Wenceslai ad initium Pontis in rei memoriam collocata. Alacriter ergo per minorem Pragam ad arcem properant; ſed ecce dum per forum juxta carcerem captivis refertam prætervehuntur, currus repentè ſiſtitur, ut nullâ vi, eductis licèt & adjunctis plurimis boum jugis, ex proximorum civium ædibus, loco poſſet dimoveri; donec orto tandem Sole concurſus hominum fieret, quid tandem tanti ponderis Duci ſuo adveheretur mirantium, ſciréque magnoperè aventium. Cùm ergo conatus omnes viderent irritos, latere aliquid ſuſpicati, arceri non potuêre, quin currum accederent, ac tegumenta dimoverent a & ecce Domini ac Principis ſui corpus aſpiciunt. Fit clamor;

**Joan. Tanner S. I. in Tropbæis S. Wenc.*

concurritur undique: accurrunt Sacerdotes & Clerici, quos inter primarius templi S. Viti Curatus (*hunc Gerardum nomine, Bavarum natione, ſed linguæ Slavicæ benè peritum, ideoq; primùm ejusdem Eccleſiæ Præpoſitum à D. Wenceslao conſtitutum, in quibuſdam vetuſtiſſimis & vix legibilibus Archivi noſtri litteris invenio*) exclamat: meminiſſe ait Sanctiſſimi hujus Ducis in miſeros benignitatem, adeoq; haud dubie velle eum etiam poſt mortem ſublevare afflictos, & hanc eſſe cauſam, cur hinc moveri nolit, donec captivi è carcere proximo dimittantur. Laxatis ergo foribus educuntur captivi; nec mora; currus ſtatim nullo negotio, ut prius, à paucullis jumentis ad arcem tractus eſt, tantos inter populi jubilantis & lætiſſimè acclamantis plauſus, ſequentibus ponè captivis recens abſolutis, ut Capitolium S. Wenceslaus Triumphator aſcendere videretur. Ubi ad Arcem ventum eſt, duo ex captivis illis ethnici, Pater cum Filio, mox Sacris aquis ablui, Chriſtóque Domino initiari poſtulârunt, & impetrârunt. Dum corpus deponeretur, *integrum incorruptumque repertum eſt, vulnera etiam omnia ſanata, præter illud unum, quod frater ejus crudeliſſimus capiti ejus inflixerat*, (ita habet Chriſtianus) & auriculam, quæ cædis tempore abſciſſa, ac demum per Przibislavam S. Martyris ſororem prodigioſè inventa, mox ubi ſacro capiti ad mota fuiſſet, ita loco ſuo adhæſit, ut ne veſtigium vulneris appareret. Multis præterea alijs Deus illuſtravit Sanctum ſuum miraculis, unde corpus ſacrum per triduum publicè omnibus ſpectandum relinqui placuit. Inter alios acceſſit Sacerdos quidam Hoſtivod nomine Sancto Martyri, dum vita manebat, gratiſſimus, particulam aliquam de ejus corpore, pro memoria ſibi concedi petens: accidítque, ut videntibus cunctis Sanctus ei omnino ſatisfecerit; nam extemplò, digitus manus dextræ ſponte ſuâ moveri, támque diu agitari cæpit, donec articulus unus decidiſſet, quem ille reverenter excepit, & gratijs Sancto actis lætus diſceſſit. Nec multo poſt, translatum quoq; eſt corpus B. Podivini, & propè S. Wenceslai ſepulchrum tumulatum; ubi hodiéq; unà cum Reliquijs B. Przibislavæ, ad januam Sacelli, ejusdem Sancti quondam Ducis

Corpus S. VVēceslai incorruptum.

cis & Domini ſui requieſcit, verè Fidelis Domino ſuo usque ad Aras: qui ſicut vivens Hero ſuo à cubiculis fuerat, ita etiamnum vita functus ſacro cubiculo ejusdem propiùs adeſt, & ad Domini ſui fores excubat. Hæc omnia, & alia plura, quæ circa Divi Wenceslai corpus, præter naturam, accidebant, Boleslai cor altiùs penetrabant: præſertim cùm deinceps quoque ad tumbam S. Martyris, tantus concurſus hominum, ex diverſis Provincijs etiam remotiſſimis, quandoque fieret, ut templum D. Viti omnes capere nequaquam poſſet.

Boleslai adadverſùs rebelles expeditio

Interea Boleslaus, ne ocio marceſceret miles, cujus jam haud contemnendam manum ſub ſignis habebat, arma adverſùs Dobromirum, ejusque complicem Bilinenſem, uti prorſus rebelles, cæteróſque convertere, eorumque elatos ſpiritus retundere, gravi conſilio decrevit. Ac primò omnium Wlaſtislaviam verſus cum exercitu anno 941. autumno jam præcipiti contendit; quâ mox primo impetu occupatâ, & ad terrorem aliorum dirreptâ & ſuccenſâ, Bilinenſem eodem irati animi fervore petijt: quem præſenti periculo haud mediocriter conſternatum, conſilijq; inopem, & tanto bello imparem, eò permovit, ut quò citiùs rebus ſuis extremo in diſcrimine verſantibus conſuleret, veniam à Principe petere, quàm obſtinatiùs reſiſtendo, ſe, caput & fortunas ſuas, incertis belli caſibus committere maluerit. Quem Boleslaus, concedendum aliquid ijs, qui pro illo partes ſuas interponebant, ratus, benè ſperare juſſit; adductúmque ſub fide, & facti ſui rationes in prava Dobromiri aliorúmque conſilia transferentem, promittentémque ſe impoſterùm dicto meliùs audientem futurum, datâ dextrâ in gratiam ſuſcepit. Reſtabat Zatecenſis ſub id tempus à Cæſare per internuncios in clientelam receptus, ideóque ſpe obtinendorum è vicina Miſnia & Saxonia auxiliorum multùm inſolens, contumax & ferox; quem idcircò Boleslaus majori odio perſequebatur, & vel è medio tollere, vel Præfecturâ pellere niſu valido cupiebat. Jam exercitus Zatecio imminebat, cùm Dobromirus auxilijs tardiùs quàm ſperâſſet advenientibus, & Urbis mænibus non ſatis fidere auſus, in tutiora ſecedere

Bilinenſis dynaſtæ deditio.

Dobromiri Zatecij præfecti fuga.

 dere

dere conſtituit. Nec mora, civibus & ſtipendiarijs opportuni ac celerioris reditus ſui, auxiliorúmque brevi afferendorum ſpe oneratis, Kadanam tribus inde milliaribus diſtans oppidum, ſive ſecurioris iſthic ſtationis tenendæ cauſâ, ſive ut inde tanquam loco viciniore impenſiùs ſollicitaret promiſſa à Miſnenſibus Thuringisque auxilia, abijt. Charitates porrò ſuas cum meliore ſupellectili, jam antea ad arcem Straz, poſtea Haſſenſtein dictam, præaltæ rupi impoſitam, ideóque naturâ loci munitiſſimam & Germaniæ proximam, miſit. Cæterùm Boleslaus, die ſequenti in conſpectum Zatecij venit; habitóque cum tribunis & alijs militari conſilio, Urbem priusquàm ſpes aliqua certior auxiliorûm affulgeret obſeſſis, ſine mora illo die aggredi ſtatuit. Verùm oppidani metu ingruentis periculi permoti, dubijs ejuscemodis ac incertis rebus ſuis, certiora apud Principem pacis remedia maturè quærere, deditionémq; facere, quàm adverſo defenſionis exitu, iniquiſſimam fortunæ conditionem, & cùm vitæ, tum rerum omnium diſcrimen, ſubire maluerunt. Pacti igitur vitæ & fortunarum incolumitatem, deditionem fecerunt: à quibus violandis, juſſu Principis omnino temperatum eſt: pabulo & commeatu cujuscunque generis excepto, qui militum neceſſitati ceſſit. Poſt occupatam Urbem, mox die ſequenti miſſi ſunt per omnes regiones Provinciæ nuncij, cum Principis edicto, nemini fraudi futurum, quicunque Dobromiri partes intra octo dies deſeruiſſet: poſt illud tempus, capitis fortunarúmque omnium noxam imminere. Multique exſtitêre, qui è veſtigio Dobromiro relicto ad officium redierunt: aliqui tamen, eſtô pauci, perfidiæ ſceleri pertinaciter inſiſtere maluerunt.

Zatecenſium deditio.

Hæc dum aguntur, ab exploratoribus affertur certis, Saxones, & ex ijs potiſſimùm Thuringos, tranſcenſis montibus ad Borekam in unum congregari: & adeſſe etiam Dobromirum cum complicibus ſuis, ejúsque eſſe propoſiti, ut cum Boleslao prælium ineant: nec multo poſt, accurrunt alij, ad Oſſecum quoque viſas Miſnenſium cohortes, referentes. Confeſtim igitur ſignum militi ad profectionem datum, itúmque citatis paſſi-

Saxonum pro Dobromiro auxiliares copiæ in Bohemiam irrumpunt:

paſſibus Borekam verſùs, agmini illi priusquàm jungeretur alteri obviam. Jam Boleslaus duorum milliarium perſolverat iter, dum ſe à Dobromiro, cum omnibus copijs tam ſuis, quàm auxiliarijs, in protenſa quadam planicie, intra ſylvas, parato ad dimicandum animo, expectari didicit. Eo ubi ventum eſſet, primi omnium Bohemi, è denſioribus ſylvis, per quos iter fecerant, egreſſi acie inſtructâ, explicatisque ſignis in Germanos impetum fecerunt, quos illi egregiâ virtute ac fortitudine exceperunt. Fit atrox & cruentum certamen: quo longiùs protracto, victoria diu in ancipiti ſtetit: donec Bohemi, cùm Germanos acerrimè pugnantes ſuſtinere ampliùs non poſſent, loco cedere, pedémque referre cœperunt, eò uſque, ut ad extremum in proximas ſylvas ſeſe recipere cogerentur. In anguſto poſitæ tunc fuiſſent res Boleslai, ſi Miſnenſium agmen, tunc ſocijs ad proſequendum victoriæ curſum accelleráſſet; quod animadvertens Dux ipſe, datáque per aliquod noctis ſpatium militi quiete, die iterum ſequenti, mox primo diluculo, novam prælij fortunam tentare decrevit; id comprimis veritus, ne ſi cunctaretur, & interea alter Germanorum exercitus accurreret, ipſe à fronte & tergo circumventus, ac veluti indagine clauſus, longè iniquiori Marte manus conſerere cogeretur. Ergo quartam circiter noctis vigiliam, ſuos omnes ad pugnam paratos eſſe juſſit; nec mora, priusquàm adhuc ſtellæ ex interventu diei rareſcere cœpiſſent, gerendæ rei avidus, hoſtium caſtra nec opinatò aggreditur; magnóque ſublato clamore in vigiles impetum facit, quibus negotio facili oppreſſis, in ipſa caſtra plenis agminibus irruit. Fit promiſcua utrinque cædes; ſed ad prætorianum tabernaculum, quo Germanorum promptiſſimi, audaciſſimíque ad propulſandam hoſtium vim concurrebant, vel maxima. Ibi dum utraque pars ardentiſſimè præliaretur, ac Dobromirus ubi periculum imminebat clarâ jam luce, accurendo, & ſuos ac Thuringos cohortando, aciem reſtitueret, ad extremum Dux Germanici exercitûs Eſych Comes de Aſcania, egregiè pugnans lethali ictu haſtæ trajicitur. Cujus interitu perculſi milites, illicò vacillare, remiſſiúsque pugna-

cum Boleslao eventu felici confligunt.

Boleslaus cladem ulciſcitur.

Dobromirum & ipſius auxiliatores Germanos profligat.

pugnare, loco demum pelli, ac tandem, quâ quiſque poterat, effuſe fugere cæperunt. Ipſe etiam Dobromirus belli prælcentis fax & incentor, deſertus à ſuis, quo ſors tuliſſet, profugere potiùs, quàm ad non dubiam diræ necis calamitatem ibi dolere maluit. Sed in fuga quoque multi cæſi & obtruncati campos cadaveribus accumulatos replevêre; alij capti, ac inſtar pecudum gregatim in caſtra abacti; pauci notitiâ locorum ac viarum freti ægerrimè per alpes in tutum evaſerunt. Caſtra hoſtium, & prædam omnem Boleslaus ſuis ob bene navatam operam conceſſit. De hac Germanorum, juſſu Cæſaris, in Bohemiam expeditione, & de eorum clade referunt Sigebert. Gemblac. in Chronographi ad an. 941. *Rex Otto Boizlaum bello ſuperat; at Boizlaus pro victoria ſecurus, circumvenit principem militiæ Regis, cum multis trucidat.* (Illud verò quod addit, *Rex verò Bohemiam devaſtat*, ad an. ſequentem pertinet)ᵃ

Miſnenſium turpis fuga.

tuit beneficentia & amor; quam tot ac tantis prærogativis, gratijs, indultis & opibus decorârunt, ut vix ullâ, per vicina Regna & Provincias, tum quoad libertatem, immunitatem, exemptionémque, tum quoad ſacras & prophanas opes, jura, Bona, poſſeſſiones, fevda, maximè verò, ſupellectilem ſacram, & Reliquias SS. inferior cenſeretur. Quæ à Regibus collata fuêre, ſuperiori Râdio, ſummatim & al[illegible] tantùm attigimus, neque enim in hoc tranſcurſu omnia ordine recenſeri poſſunt, quæ juſtum volumen ſibi vendicant. A Pontificibus verò Romanis primis temporibus conceſſa, incendio, quo templum D. Viti an. 1142. totum ad fundamenta usque concidit, perierunt. Data poſtmodùm ab Eugenio III. Alexandro III. Innocentio III. Honorio III. B. Gregorio IX. Alexandro IV. Urbano IV. Nicolao IV. Bonifacio VIII. Clemente V. Clemente VI. Urbano V. Bonifac. IX. & horum ſucceſſoribus, pleráque etiam num in Originalibus ſuperſunt. Sed illud veluti principale eminet, quod Clemens VI. piâ juxta & ampliſſimâ liberalitate contulit, qui Pragenſem Eccleſiam à Moguntinæ Sedis jurisdictione exemit, & è Cathedrali in Metropolitanam evexit, Arneſto de Pardubicz, qui Joanni IV. an. 1343. die 5. Januarij vitâ functo ſucceſſerat, in Archiepiſcopum declarato, & per Pallij, quod eſt inſigne plenitudinis officij Archiepiſcopalis, traditionem confirmato, an. 1344. Cui Olomucenſem Eccleſiam à Moguntina pariter abſolutam, novam item Litomiſslij ex Conventuali Canonicorum Regularium Ord. *Præmonſtr.* in Cathedralem erectam, inſtar Suffraganearum, ſubjecit. Jus præterea coronandorum Bohemiæ Regum, quod ante Moguntinus habebat, ei & ſucceſſoribus ejus conceſſit, ſtatuens, *ut ArchiEpiſcopus Pragenſis, qui eſt, vel erit poſterioribus temporibus, conceſſâ ſibi ab Apoſtolica Sede facultate, prædictos Bohemiæ Reges, in fide & religione, Eccleſiæ Romanæ addictos, qui* Electi *fuerint, ungere coronarique cum ſolennitate ad id requiſita poſſit.* (s) Datum Bullæ, ſicut etiam alteri-

Eccleſia Pragenſis ampliſſimis gratijs & Privilegijs à Pontificibus & Regibus propter Fidelitatē decoratur.

in Metropolitanam tandē extollitur anno 1344.

Arneſtus Primus ArchiEp.

Litomiſslenſis Epiſcopatus.

(s) *Hagec. ad an. 1343. Stranski Reip. Boh. cap. 5. §. 19.*

terius, quâ Eccleſia Pragenſis in Metropolitanam erigitur, *Avenione Prid. Calend. Maij, anno Pontificatûs ſui ſecundo, nempe 1344.* non 1343. ut volunt alij: *(t)* non dum enim poterat die illâ, nempe prid. Cal. Maj. ſeu 30. April. anni 1343. dici Pontificatûs Clementis VI. annus ſecundus, cùm nec dum fuerit completus annus primus, utpote creati die 6. Maij, an. 1342. Ideóq; non priùs, niſi eâdem etiam die, videlicet 6. Maij, an. 1343. annus Pontificatûs ipſius ſecundus inchoari, & anno ſequenti, pridie illius diei, terminari potuit. Manet proinde, annum Pontificatûs Clem. VI. ſecundùm prid. Calend. Maij, eſſe annum 1344. Hinc aliæ litteræ Apoſtolicæ ejuſdem Pontificis, ſuper Pallio ArchiEp. datæ apud Villam Novam Avenion. diœc. VIII. Cal. Septembr. ejuſdem anni 1344. habent annum Pontificatûs ipſius tertium, nempe à 6. Maj. currentem.

Pallio demum ArchiEp. cum debitis cærimonijs indutus fuit Arneſtus, eodem anno 1344. die 23. Novembr. quæ erat Dominica ultima poſt Pentec. per Przedslaum Epiſcopum Wratisl. Pragæ in templo S. Viti, præſente Rege Joanne, ac Filijs Carolo & Joanne: *factáq; eſt lætitia magna,* (ita, ſcribit, *(u)* qui viderat Beneſſius Krabice à Weytmile) *& maxima in Eccleſia Pragenſi, Clerus* Te DEUM laudamus, *populus autem* Kyrie eleiſon, S. Adalberti Hymnum, *plenis vocibus decantabant.* Addit porrò: *Novus poſtea ArchiEpiſcopus, nec non Joan. Rex, atq; filij ejus duo Karolus & Joannes, & magna multitudo Prælatorum atq; Nobilium, exeuntes de Pragenſi Eccleſia, venerunt ad locum effoſſum, & pro fundamento novo præparatum. Foſſam iſti quatuor, ArchiEp. Rex, & duo Filij ejus intrant, & ad ima deſcendunt, poſitóq; eum omni reverentia primario lapide pro nova Eccleſia ædificanda, de fovea tandem lætantes exeunt, Choro* Te DEUM laudamus, *cum jubilo cantante. Idem D. Rex, de conſenſu Filiorum ſuorum, dedit atq; donavit* Decimam *omnium proventuum de Urbura montis Kutnæ, perpetuis temporibus, pro fabrica Prag. Eccleſiæ &c.*

(t) Hagec. Lupac. VVeleslav. Stranski, & ego ſuprà Rad. II. pag. 59. quod corrigatur. (u) *Beneſſ. Can. Prag. in Chron. Eccl. Prag. lib. 3. ad an. 1344.*

Arneſtus ex conſtitutione Apoſtolica ſummus Pœnitentiarius per Germaniam,

Magnum & ſingulare etiam hoc fuit, quod cùm mortuo Ludovico ExImp. an. 1347. EpiſcopiGermaniæ complures,Principes, Duces, Comites, Urbes & alij, qui antea ejus viventis partes obſtinatiùs quàm obedientes Eccleſiæ filios decuiſſet ſequebantur, à cenſuris Eccleſiaſticis, quibus idcirco innodati erant, abſolvi & in gremium Matris Eccleſiæ redire cuperent; Clemens VI. ex alijs omnibus Germaniæ Præſulibus Arneſtum ArchiEp. Pragen. cui poteſtatem illos Eccleſiæ reconciliandi committeret, digniſſimum cenſuit. (x) Et quia per univerſas GermaniciJmperij provincias tanta multitudo abſolvendorum erat, ut unus huic officio ſufficere vix poſſe crederetur, Fridericum Epiſcopum Bambergenſem è Comitibus Hohenloijs, ei Collegam deſignavit. (y) Anno verò præcedenti, poſt Electionem Caroli IV. tum Marchionis Moraviæ in Imperatorem Romanorum, miſſus erat idem Arneſtus ArchiEp. Prag.ab Electoribus & Principibus Jmperij, ipſóque Electo, tanquam etiam Jmperij Princeps, ad Pontificem pro Confirmatione, & ut more ſolito, obedientiam Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, Electi nomine præſtaret. Meminit hujus Legationis modò memoratus Beneſſius noſter ſcriptor coævus, & Arneſti in eadem legatione comes, adeóque teſtis oculatus, hiſce paucis. (z)

Legatus ab Imp. Carolo IV.ad Clementē VI. an.1346.

Mox (nempe, poſt Electionem Caroli, quæ Rentij ad Rhenum in diœceſiTrevir. in Comitijs Jmperialibus, die feſto S. Margarethæ V. & M. peracta fuit) *Principes Electores mittunt ſuos ſolemnes Ambaſſiatores, videlicet Venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum Arneſtum Sanctæ Prag. Eccleſiæ ArchiEpiſcopum primum,& Magnificum Principem Dominum NicolaumDucem Oppaviæ & Ratiboriæ,cum decreto Electionis ad Summum Pontificem in civitatem Avinienſem, ubi tunc cum Curia reſidebat: qui venientes illuc, à Papa & à Cardinalibus honorificè ſunt recepti. Dominus itáque Arneſtus jam dictus, cùm eſſet magnæ facundiæ & literaturæ, coram Domino Papa & Collegio Sacro, in publico Conſiſtorio*

(x) *Rebdorff in Annalib. Reynbold. in Annal. Eccle. an. 1347.* (y) *Argentin. in Chron. Naucler.* (z) *Beneſſ. cit. ad an. 1346.*

ſtorio fecit pulchrum & Magiſtralem ſermonem ; cujus thema fuit illud, quod in libro Regum ſcribitur : In te reſpiciunt oculi Iſraël ut indices, quis ſedeat ſuper ſolium :(*) *& eundem ſermonem ad propoſitum & ad materiam novi Electi optimè adduxit. Sed quod idem ArchiEpiſcopus in eodem themate hoc pronomen* tuum *non adjecerat : ideóq; Dominus Clemens Papa VI. qui & ipſe Magiſter erat in ſacra Pagina, die ſequenti congregato ſacroCollegio, in præſentia omnium Prælatorum, in publico Conſiſtorio, reſumpto eodem themate addidit, quod in textu Bibliæ continetur :* Si quis ſedere debeat ſuper ſolium tuum : *oſtendens, qualiter Imperium de Græcia per Sedem Apoſtolicam translatum fuit in Germanos ; unde meritò dicere debuerat,* ſuper ſolium tuum, *quòd Reges & Imperatores Romanorum tam de jure, quàm de conſuetudine jurare debent Sedi Apoſtolicæ reverentiam, obedientiam & fidelitatem. Completo igitur ſermone eodem, Dominus Papa multùm commendavit perſonam Domini Caroli in Regem Romanorum electi ; & examinato ſicut decuit proceſſu & decreto Electionis hujusmodi, ipſam Electionem canonicè & de perſona idonea celebratam, de conſenſu Fratrum ſuorum, approbavit auctoritate Apoſtolicâ & confirmavit ; dans ſuis litteris præfatis ArchiEpiſcopis Electoribus in mandatis, ut ipſum Electum debeant inungere & coronare in Regem Romanorum ; quibus litteris receptis Ambaſſiator Dominus Arneſtus, per Dominum Papam & Cardinales multùm honoratus, ad Dominum Carolum Electum lætus revertitur.*

*3. Reg. 1.

Cæterùm Pontificibus Romanis Avenione in Gallia degentibus, extitit Romæ quidam Nicolaus cognomento Laurentinus, inter Cives Romanos publicus Scriba Senatûs, homo audax, ſuæ alienæq; fortunæ prodigus, & facundus malo publico ; qui favore & applauſu populi Romani, cui propter multam cognitionem rerum, ac ſingularem blandi ſermonis gratiam, quam à natura penè inſitam peculiaris etiam elegantia morum exornabat, cumprimis charus & acceptus erat, transverſum actus, & in vanas ſpes inſtaurandæ veteris Reipublicæ elatus, dum commutato nomine, ſeſe Urbis Romanæ Tribunum, Severum & Clementem, Libertatis, Pacis & Juſtitiæ amatorem,

Laurentinus homo ſeditioſus mira contra Pontificis authoritatem molitur;

ac Sacræ Romanæ Reipub. Vindicem Illuſtrem profeſſus Capitolium occupâſſet, non parvum rebus novandis principium dedit. Et quoniam boni publici cauſâ, ac reſtituendæ priſtinæ libertatis ſtudio ſeſe laborare profitebatur, major ad eum quotidie hominum concurſus fiebat, ita ut brevî, ipſis etiam Senatûs Romani Principibus formidandus evaderet; quoque major ei ineſſet authoritas, faſces veteri Romano more, ſupremæ poteſtatis inſignia, à viginti quatuor lictoribus, quacunque iret, ſibi præferri juſſit; juvenes item trecentos armorum & veſtimentorum ſimilitudine inter ſe pares, cuſtodiæ corpori adhibuit, alijs quoque ſervitijs & miniſterijs æquè ſplendidè uſus. Auxerat porrò ei inſolentes ſpiritus, quod præcipui tunc Italiæ Principes ſucceſſibus ejus capti, amicitiam ſocietatémq; ejus non mediocriter ambire & expetere contendebant. Jámque veſanâ quâdam & dementi audaciâ eò usque proceſſerat, ut & Pontificem revocaret in Urbem, intra præfinitum tempus: intra quod, ſi non revertiſſet, futurum, ut Pontificatu privaretur. Cúmque non multo poſt obortâ ſeditione, & factione Pontificiâ longè prævalente, non tantùm Urbe, ſed Italiâ totâ pulſus eſſet, ad Carolum IV. Imp. confugit, Pragámque venit, ubi admiſſus ad Imperatorem, orationem luculentam habuiſſe fertur, nequaquam dicendi rudis, quâ illum ad vindicandam Romanorum libertatem & capeſſendum Vrbis imperium hortabatur; & ſingularia quædam de veteri Romanæ Urbis gloria in medium gravi ſermone producendo, ſuadendo ac identidem ingeminando, tantûm jam aliquorum, qui adſtabant animos flexit, ut his atque talibus commoti, vera eſſe hæc omnia quæ loqueretur & juſta, palam dicere aſſeveraréque non dubitarent. At verò Arneſtus ArchiEp. altiùs rem penetrans, & à perverſiſſimo hoc homine jus & Authoritatem Summi Pontificis ut plurimùm lædi videns, uti erat Sedis Apoſtolicæ propugnator acerrimus, effecit apud Carolum ſuâ etiam ſponte Pontifici dediti ſſimum, ut impoſtor ille traderetur cuſtodiæ; quem poſtea Arneſtus à Cæſare ſibi in poteſtatem datum, Raudnicium ad arcem ditionis ſuæ ArchiEp. duci, ibique in quadam con-

Populum Romanū contra Pontificem cō citat:

Româ pulſus Pragam venit:

Arneſto monente & Cæſare jubente in vincula cōjicitur, &

concamerati operis teſtitudine, portâ & clatris ferreis benè munita tantiſper ſervari juſſit, donec Avenionem ad Pontificem mitteretur. *(z)* Magnum profectò ſuæ erga Sedem Apoſtolicam devotionis ac obſervantiæ exemplum hic præbuit optimus Antiſtes; neque hâc ſolùm vice, ſed pluries, ubi occaſio id opere aliquo inſigniori conteſtandi tuliſſet. Ideóque à Pontificibus Romanis viciſſim amatus, magnóque in pretio habitus, gratias ſingulares, pro ſe & Eccleſia Metropol. facilè impetravit: quas inter non poſtrema erat, ut dum ille ſucceſſoréſq; ejus ArchiEpiſcopi Prag. in Pontificalibus celebrarent, duo Canonici ijs officio Diaconi & Subdiaconi aſſiſtentes, aliiq; omnes & ſinguli Eccleſiæ Prag. Metrop. Canonici Mitris ſeu Infulis albis uti poſſent. Perpetuus inſuper Sedis Apoſtolicæ Legatus ab Urbano V. inſtituitur, mox etiam S. R. E. Cardinalis creatur: ſed priusquàm hiſce gratijs & dignitatibus ei uti licuiſſet, mors interveniens, an. 1364. die 26. Junij impedivit. Nihilominùs ejus ſucceſſor, Joann. Oczko Baro Wlaſſimæus, antea Epiſcopus Olom. ab eodem Summo Pontifice hoſce honores omnes primò ſtatim ArchiEp. ſui anno, obtinuit: *(a)* per quod ſanè Eccleſiæ Pragenſi magnum ac ſingulare decus acceſſit; dum ArchiEpiſcopo Prag. quà Legato Apoſtolico, & quidem Nato ſive perpetuo, non tantùm Litomiſslenſis, Olomucenſis & Wratislavienſis, ſed etiam Miſnenſis, Ratisbonenſis & Bambergenſis Diœceſes ſubjiciebantur. Id quoque in Bulla Summi Pontificis additum: *Nos volentes te & ipſos ſucceſſores tuos, ac Pragenſem Eccleſiam ampliùs honorare, tibi & ſucceſſoribus, ut liceat tibi & eis, in prædictis Bambergenſi, Ratiſbonenſi & Miſnenſi Civitatibus & Diœceſibus, etiamſi Salisburgenſis in Ratisbonenſi, & Magdeburgenſis ArchiEpiſcopi, qui erunt pro tempore, in Miſnenſi Civitatibus & Diœceſibus prædictis præſentes exiſtant, Pallio de corpo-*

ad Pontificem mittitur.

ArneſtusSedis Apoſtolicæ obſervantiſsimus, ab illa viciſſim amatus & cultus.

Mortuo illi piè in Domino ſuccedit Joan. Epiſcopus Olomuc. Legatus Natus & Cardinalis creatus.

ejus ampliſsima per vicinas Diœceſes poteſtas.

(z) *Daubrav. Sylvius, Hagek an. 1349. Reynbald. cit. ad an. 1349. & ſeq. Clem. VI. Tomo VI. Epiſtol. decret. 908. Beneſſ. de VVeytmil. Part. IV. Chron. Eccl. Prag. ad an. eund.* (a) *Datum Bullar. Aven. ab Urb. V. 15. Calend. ſept. an. Pont. ſui II. id eſt 1364. ad Capitu Eccl. Prag. 2. Cal. Decemb. an. eod. Pont. ſui III. ad Joann. I. ArchiEp. 3. Cal. Junij an. 1365.*

corpore B. Petri ſumpto, inſigni videlicet Pontificalis officij, tibi, tuo & Eccleſia tua Pragenſi nomine tradito, diebus in privilegijs eidem Eccleſia tua conceſſis, expreſſis uti, nec non Crucem ante te deferri facere, & Benedictionem etiam ſolemnem Clero & populo in Eccleſiis, & alijs locis quibuslibet decentibus & honeſtis impendere, &c.

Uſus Infularũ albarum in ſacris, à Pontifice Urbano V. Prælatis & Canonicis Prag. conceditur.

Dignum lectu eſt etiam, quod idem Pontifex in conceſſione Infularum Canonicis Eccleſiæ Prag. memorat hiſce: *Dilectis filijs univerſis Canonicis Eccleſia Pragenſis &c. Dudum ſiquidem ejusdem Imperatoris* (Caroli IV.) *ſupplicationibus inclinati, ut quotiescunq; in Pragenſi Eccleſia, olim ad ipſius Imperatoris interceſſionis inſtantiam in Metropolitanam erecta, multis, ut aſſeritur, ſacris decorata Reliquijs, ac multis indultis, libertatibus prædita, copioſisq; theſauris ad divinum cultum pertinentibus opulenta, Pragenſem ArchiEpiſcopum vel ipſo Imperatore præſente alium Antiſtitem in Pontificalibus celebrare contingeret, vos omnes & ſinguli mitris ſeu infulis albis uti poſſetis, eisdem Imperatori & vobis conceſſimus de gratia ſpeciali; prout in noſtris Litteris inde confectis dignoſcitur contineri. Nuper autem præfatus Imperator nobis cum multa inſtantia ſupplicavit, ut hujusmodi gratiam ad ſucceſſores ſuos Reges Bohemiæ, ad ipſorum honorem & devotionis augmentum extendere dignarèmur. Nos igitur &c. Dat. Aven. 2. Calend. Decemb. Anno Pontif. noſtri III.* id eſt. 1364.

Idem Infularum uſus altiùs extenditur,

In alijs porrò litteris anno ſequenti 3. Cal. Junij ad Joan. ArchiEp. datis habet: *Sanè cùm dudum ad inſtantiam Imperat. ejusdem, dilectis filijs Canonicis tua Eccleſiæ Pragenſis duxerimus concedendum, ut quotiescunq; contingeret Pragen. ArchiEpiſcopum qui eſſet pro tempore, in dicta Eccleſia Pragenſi in Pontificialibus celebrare, omnes & ſinguli Canonici ipſius Eccleſiæ Prag. mitris ſeu Infulis albis, ſine quocunq; ornatu, licitè uti poſſent. Nos ad reverentiam Dei, & augmentum honoris ArchiEp. dignitatis, volentes conceſſionem hujusmodi ampliare, ut quotiescunq; te & ſucceſſores tuos ArchiEp. Prag. tam in prædicta Pragenſi, quàm in alijs Eccleſijs tuæ Provinciæ, ac partium in quibus Legationis officium per Nos tibi, & Succeſſoribus eisdem noviter eſt conceſſum, contigerit*

gerit in Pontificalibus celebrare, duo ex eiſdem Canonicis, quos tu & quilibet eorundem ſucceſſorum ad ſerviendum vobis in Diaconatûs & Subdiacon. officijs duxeritis aſſumendos, hujusmodi facientes officia, dictis Infulis uti valeant, tenore præſentium indulgemus.

eo usque, ut non tantùm Archi-Epiſcopo in Pontificalibus celebranti, verum etiam ipſimet Divina Officia ſolenniter peragentes, ijs licitè uti poſſint.

Nec multo poſt idem Pontifex, uſum hunc Infularum *albarum*, quo Canonici Prag. gaudere permittebantur, tantùm in miniſterio ArchiEp. dum ArchiEpiſcopo in Pontificalibus celebranti aſſiſterent, etiam cùm ipſimet Divina Officia ſolemniter peragerent, ad omnes & ſingulos extendit. Bulla Pontificis ſic habet. *Urbanus &c. Dilectis filijs Decano & Canonicis Eccleſiæ Prag. &c. Volentes igitur hujusmodi gratiam ampliare, præſentium tenore concedimus, ut quandocunq; aliquis Veſtrûm Miſſam in dicta Eccleſia ſolenniter celebrabit, tam ipſe celebrans, quàm illi, qui ex vobis tunc in Diaconatûs & Subdiaconatûs Ordinibus eidem ſervient celebranti, hujusmodi Mitris ſeu Infulis,* (videlicet Albis) *licitè uti poſſit. Nulli ergo &c. Dat. Avinione III. Cal. Junij. Pontificatûs Noſtri an. III.* Idem memorat Beneſſius noſter, Canonicus Prag. & Archidiaconus Zatecenſis, ac poſtea an. 1380. etiam Vice-Decanus Eccleſiæ Prag. Scriptor, ùt jam dixi, coævus hiſce (*b*) *Eodem Anno, per nuncios ſupra dictos impetravit D. Imperator, à D. Papa Urbano V. Privilegium valde honorificum Eccleſiæ Pragenſi. Videlicet, ut quicunq; & quotiescunq; ArchiEpiſcopus Prag. per ſe ipſum facit officium in Eccleſia Prag. tunc omnes Prælati & Canonici præbendati, nec non Archidiaconi qui cenſentur in Eccleſia Prag. inſtituti, uti poſſunt & debent Infulis albis, more Cardinalium Domino Papæ in Curia Romana concelebrantium. Ubi autem ArchiEpiſcopus facit Officium in Provincia ſua, & ſuæ Legationis terminis, debent duo Canonici Eccleſiæ ſuæ Prag. ſibi, ſub hujusmodi albis Infulis concelebrare in Officijs Diaconi & Subdiaconi. Item, Prælati & Canonici Eccleſiæ Prag. poſſunt hujusmodi Infulis albis celebrare Divina, in Eccleſia Pragenſi, diebus ſolemnibus & feſtivis. Quando autem alius Pontifex undecunque faceret Officium Divinum in Eccleſia Pragenſi, Prælati & Canoni-*

(b) *MS. Beneſſij Chron. Prag. lib. 4. ad an. 1365.*

nonici dictis Infulis non utantur: niſi forent præſentes, & intereſſent eisdem Divinis dictus D. Imperator, vel hæres ac ſucceſſor ſuus Rex Bohemiæ; volens in hoc ſpecialiter honorare Regiam dignitatem: prout hæc omnia in Privilegijs Domini Urbani Papæ V. Eccleſiæ Pragenſi conceſſis, pleniùs & evidentiùs continentur.

Schisma denuò graviſsimum in Eccleſia exoritur,

Anno 1378. Schisma graviſſimum in Eccleſia fuit exortum, quod univerſum Orbem Chriſtîanum vehementer concuſſit. Nam cùm mortuo Gregorio XI. die 27. Martij, ſtatim menſe ſequenti à potiori Cardinalium numero in Pontificem electus eſſet Urbanus VI. eâ lege, ut non ampliùs in Gallia Avenione, ſed Romæ, deſtinata ab ipſo Apoſtolorum Principe ſupremæ Eccleſiaſticæ poteſtatis Sede, reſideret, alij, Gallici potiſſimùm nominis, id non ſatìs æquo ferentes animo, Avenione menſe Septembri in unum congregati, Robertum Cardinalem Gebennenſem, indito Clementis VII. nomine, ei oppoſuerunt, & in Sede Avenionenſi collocârunt. Turbo iſte, ſenſim ad maximi motùs excrevit tempeſtatem; præſertim cùm mali hujus principijs, importuna mors Caroli IV. die 29. Novemb. pijſſimè defuncti interveniſſet: qui dum adhuc in vivis eſſet, auditis hîſce in Eccleſia ſciſſionibus & turbis, tametſi jam lentâ febri conflictatus, ideóque lectulo defixus modicis viribus ſuſtentaretur, curam tamen, quantum poterat omnem, cogitationémque ſuam eò intendit, ut ſedatis his pernicioſiſſimis motibus, priſtinam Eccleſiæ tranquillitatem reſtitueret: (c) & pro ea, quâ pollebat apud Gallos authoritate, effecturus id facilè credebatur. At defuncto Imperatore optimo, quem hactenus vix ullus Regum rectè & ſapienter factis, ac indulgentiæ, clementiæ, liberalitatis munificentiæq;, & quod ſingulariſſimum eſt, debitæ ſemper erga Sedem Apoſtolicam obſervantiæ exemplis ſuperavit, præſens malum, cùm non eſſet ampliùs, qui ei mederetur, longè magis invaluit, ſciſſi in partes populi, Regna & pro-

Morte Caroli IV. nunquam ſatis deplorâda magis augetur.

(c) *MS. Epiſtolæ Caroli IV. Imp. ad diverſos Imperij Principes. imò etiam vicinos Reges pro Urbano VI. data Pragæ an. 1378. menſ. Aug. Septem. Octobr. Pragæ data.*)

provinciæ in diverſa ſtudia abreptæ: Urbano adhæſerunt Italia, Germania Bohemia, Polonia & Hungaria; Clementi Gallia, Hiſpania & Britannia.

Capituli Prag. conſtans in legitimam Sedis Apoſtolicæ Poteſtatem fides.

Verùm, ut ad inſtitutum redeam, Capituli Pragenſis enituit hic rurſum legitimæ Sedis Apoſtolicæ Poteſtati ſervata, & vel hoc exemplo abundè teſtata devotio & fides: quod tametſi à Curia tunc Pſeudo Pontificia Avenionenſi ſemel atq; iterum, & poſteriùs quidem ſub graviſſima pœnarum interminatione, monerentur, *ut Clementem ejus nominis VII. ſingulari Divini Numinis (*ſic ajebant*) providentiâ, per electionem potioris nominis & authoritatis Fratrum Cardinalium, in virtute Spiritûs Sancti unà congregatorum, declaratum, & ſolito Eccleſiæ ritu inthronizatum, ſupremum univerſæ Eccleſiæ Paſtorem agnoſcerent, niſi aliàs igni & aquâ ſibi interdici, & cenſuris Eccleſiaſticis, tanquam perduelles & ſchismatici, notari ac innodari mallent:* authoritas tamen Urbani VI. tanquàm legitimi Papæ, & ſupremi Eccleſiæ Capitis, cujus juſtam poteſtatem, vel ipſimet ſuperi non uno prodigio aſſeruiſſe viſi ſunt, ipſis potior atque ſanctior fuit, quàm ut Pſeudo-papæ & aſſeclarum ejus cohortationibus, vel minis moverentur, & acta probarent. Imò, cùm Decanus Capituli Hynko Klug, Gallorum quibus aliquando Gregorij XI. tempore, Avenione diu verſatus, non parum aſſueverat, factioſa ſtudia, majore quàm decuiſſet conatu viriúmque contentione, ad ſummam usque obtrectationem & contemptionem cæterorum Capitularium, tuenda promovendáque ſuſcepiſſet, neque paternis ArchiEp. Joan. I. monitis, ſicut nec aliorum è Capitulo ſaniora ſuadentium conſilijs, à propoſito reſipiſcere vellet, loco & dignitate quam gerebat, eam ob cauſam, Capituli totius decreto, motus fuit, Beneficióque privatus; nec niſi ad importunas Wenceslai Imp. preces Beneficio ſive præbendæ (Canonicali duntaxat, non ampliùs Decanali) reſtitutus; neq; etiam priùs, quàm aliter ſapere, & Urbanum VI. legitimum Eccleſiæ Caput agnoſcere, & profiteri didiciſſet. Ex quo denuò Eccleſia & Capitulum Pragenſe à Sede Apoſtolica, non tantùm Urbano VI. ſed etiam ſucceſſore ejus Bonifacio IX. magnis & am-

Capitulũ Prag. Decanum ſuũ, eò quod Pſeudo papæ adhæreret, exauctoravit.

Novas idcircò gratias conſequitur à Sede Apoſtolica.

ampliſſimis beneficijs, præſertim SS. Indulgentijs, & alijs multiplicibus gratijs decorari meruit.

Canonici Prag perſuadent VVenceslao Imp.

Accedit ad majorem Canonicorum laudem & commendationem, quòd in illo ſchismate, Regi ſuo Wenceslao Imp. extitère authores, ne Theodoricum Decanum Wratislavienſem, poſt mortem Przeczslai in Epiſcopum electum, eo quòd Pſeudo-Papæ adhæreret, & Avenionem veniens ab illo Confirmationem ſui accepiſſet, admitti in poſſeſſionem dicti Epiſcopatûs pateretur; miſſo ea de cauſa ad Imp. Normbergam, ubi tunc Conventum Imperij Principum agebat frequentem, Puthâ de Rábi Archidiacono, viro Illuſtri & Familiæ Nobiliſſimæ, utpote à Theobaldo Wladislai II. Regis germano fratre deſcendentis, cum alijs duobus Canonicis Jacobo de Pabenicz, & Przibislao de Porzeſſin. Nec diu cunctatus fuit Wenceslaus, ſed datis quamprimùm ad Capitulum Wratislavienſe literis, Theodoricum non tantùm ab introductione in Epiſcopatum ſub ſeveriſſima comminatione prohibuit; verùm etiam pro hæretico & ſchismatico publicè declarari juſſit.

Cùm nuper excuterem antiquam Manuſcriptorum Capituli noſtri Bibliothecam, inter alios vetuſtiſſimos & vix ſpenè legibiles codices, inveni unum, qui diverſa Acta publica, & Epiſtolas quàm plurimas continet, inter quas legitur etiam iſta Wenceslai Imperatoris ad Wratislavienſe Capitulum; quam proinde hìc apponi placuit.

ut Epiſcopum VVratislav. propter ſchisma exturbandum decernat.

Wenceslaus Dei Gratiâ Romanorum Imperator & Bohemiæ Rex &c. Honorabilibus N. Adminiſtratoribus & Capitulo Eccleſiæ Wratislavienſis devotis ſuis dilectis. Gratiam ſuam & omne bonum. Devoti dilecti, ad noſtræ Serenitatis advenit auditum, quòd Theodoricus quondam Decanus Wratislavienſis, ab AntiPapa Gebenenſi proviſionem Eccleſiæ Wratislavienſis accepit, & ſe permiſit in Epiſcopum conſecrari. Verùm quia conſtat Dominum noſtrum Urbanum Papam ſextum electum & promotum Canonicè, verum eſſe Summum Pontificem JESU Chriſti Domini DEI noſtri in terris Vicarium, & Beati Petri Apoſtoli legitimum Succeſſorem, quem etiam talem Divæ memoriæ quondam Dominus & genitor

nitor noſter cariſſimus, Dominus Carolus Imperator Romanorum & Bohemiæ Rex, quousq; vixit ſynceriter recognovit: Nos verum quoque Apoſtolicum & Papam recognoſcimus, & cujus mandata & Apoſtolicas litteras vos obedienter ſæpiùs recepiſtis. Nullatenus enim licet, ut occaſione dicti Gebenenſis AntiPapæ, per dictum Theodoricum, ſeu quempiam alium in Regno noſtro, inter Chriſticolas error aut Schisma aliquatenus concitetur; præſertim cùm ſimus ex Romani Regni nobis attributo cælitùs officio, Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Advocatus præcipuus & defenſor, Et ideò vobis ſub obtentu favoris Regij, & conſervatione omnium temporalium Bonorum, quæ in Regni noſtri Dominio obtinetis, præciſè mandamus, expreſſe volentes, ut vos, ad quæcunq; mandata ſeu litteras dicti Gebenenſis AntiPapæ convertere nullatenus debeatis, nec patiamini dictum Theodoricum vobiscum aliquatenùs converſari; ſed ipſum potiùs tanquàm hæreticum & Schismaticum ab omnibus per edictum publicum vitari, & in Eccleſia Wratislavienſi, & per totam Diœceſim, ut moris eſt, publicè denunciare mandatis. Taliter, ut ſicut erroris & Schismatis in Chriſtiano populo Regni noſtri concitator exiſtit, ſic velut inutilis, reprobus & repulſus inter Catholicos ſit dejectus. Scituri procerto, quòd niſi præſens mandatum Regium executioni debitæ mandaveritis cum effectu, culpa veſtra vobis erit in pœnam, ſub rerum & Bonorum veſtrorum periculis irrecuperabilibus & jacturis, præſentium ſub noſtræ Regiæ Majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum: Datum Normbergæ. anno 1379. die 6. Novembris.

Anno 1390. Bonifacius IX. uſum Jnfularum, quo hactenus Prælati & Canonici gaudebant in Infulis albi tantùm coloris, ſine ullo alio ornatù, ampliùs extendit, & conceſſit, ut omnes & ſinguli uti poſſent Infulis etiam gemmatis, & aurifriſatis ſive aurophrygiatis.

Canonicorum Prag. novæ Infulæ.

Bullam ipſam Pontificis do hìc ſub aſpectum: *Bonifacius IX. Epiſcopus Servus ſervorum DEI. dilectis filijs Decano & Capitulo Eccleſiæ Prag. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Expoſcit veſtræ devotionis ſynceritas, ut tam vos, quos ſpeciali dilectione proſequimur, quàm Eccleſiam veſtram Pragenſem dignis ho-*

noribus attollamus. Hinc eſt, quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ut liceat vobis & veſtrûm ſingulis, in majoribus & Patronorum Eccleſiæ veſtræ feſtivitatibus, Mitris Pontificalibus gemmatis & aurifriſatis uti, ac Divina officia in ipſis celebrare: dummodò in ipſa celebratione Apoſtolicæ Sedis Legatus, aut ArchiEpiſcopus Prag. qui erit pro tempore, præſentes non exiſtant. Quibuscunq; conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis, nequaquam obſtantibus: vobis & cuilibet veſtrûm, auctoritate Apoſtolicâ, de ſpeciali gratia, tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Idus Maij Pontificatûs noſtri. Anno primo, &c. id eſt 1390. Magna profectò hæc gratia, & prærogativa ſanè ſingularis à Summis Eccleſiæ Principibus, Urbano V. primùm Capitulo Prag. in perpetuum collata, & à Bonifacio IX. confirmata & aucta; raráque & vix ullibi terrarum par.

gemmatæ & aurifriſatæ.

Hinc jam ab antiquo habetur tritum iſtud: *Quid Pragæ eſſe Canonicum putatis? ſunt Pedo ArchiEpiſcopi, Infulâq;.* * ita ut de ijs dici poſſit, quod ille de Romanis; *quod Senatores, tot Reges;* quot Canonici, tot Epiſcopi. Hanc porrò prærogativam ſucceſſu temporis, propter Capitularium, in Orthodoxa Religione & Romanæ Sedis obſequio, indefeſſam planè conſtantiam, Sixtus IV. latiùs adhuc extendit: de quo infra.

* *Vita B. Joan. Nepomuc. M.*

Idem Pontifex eidem Metrop, Eccleſiæ D. Viti, intuitu meritorum ArchiEpiſcopi Joan. II. ejúsque Succeſſoris Wolframi & Capituli, alias etiam & ſingulares gratias contulit. Quas inter non poſtrema cenſenda eſt; dum anno Pontificatûs ſui X. qui erat Humanæ Salutis 1400. Capellæ S. Wenceslai in Metropolitano D. Viti Templo ſitæ, Indulgentias per modum Jubilæi, idq; per triduum Dominicam II. poſt ſolemnia Paſchæ immediatè antecedens, ampliſſimâ ſanè Apoſtolicâ liberalitate conceſſit. Juvat litteras ipſas Apoſtolicas legentibus proponere.

Boni-

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Splendor paternæ gloriæ, qui ſuâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementiſſima ipſius Majeſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cùm devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Capella Sancti Wenceslai, in qua corpus ejuſdem Sancti venerabiliter requieſcit, in Eccleſia Pragenſi ſita, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eò libentiùs cauſâ devotionis confluant ad eandem, quò ex hoc ibidem dono Cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus & Confeſſis, qui dictam Capellam, Feriâ Quintâ proximâ poſt Octavas Paſchæ cum duobus diebus immediatè ſequentibus, *devotè viſitaverint, annuatim illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam, Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Porciuncula alias dictam de Angelis extra muros Aſſiſſinat. primo & ſecundo diebus menſis Auguſti viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Datum Romæ apud S.Petrum VIII. Calend. April. Pontificatûs noſtri anno decimo.*

Indulgentiæ per modum Jubilæi pro Sacello D. VVenceslai in Eccleſia Pragenſi.

Item. *Bonifacius Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Venerabili Fratri ArchiEpiſcopo Pragenſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm nos hodie de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus & Confeſſis, qui Capellam S. Wenceslai, in qua corpus ejuſdem Sancti venerabiliter requieſcit, in Eccleſia Pragenſi ſitam, Feria Quintâ poſt octavas Paſchæ, cum duobus diebus immediatè ſequentibus, devotè viſitaverint, annuatim illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum conceſſerimus, quam, Eccleſiam S. Mariæ de Porciuncula, alias dictam de Angelis extra muros Aſſiſſinat. primo & ſecundo diebus menſis Auguſti viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur, prout in noſtris inde confectis litteris pleniûs continetur. Nos, ut Chriſti fideles ad ipſam Capellam in prædictis Feriâ Quintâ, & duobus diebus ſequentibus, ut* præ

præfertur, confluentes, conſcientiæ pacem & animarum ſalutem Deo propitio conſequantur, ac indulgentiæ & remiſſionis hujuſmodi meliùs participes eſſe poſſint, benigniùs agere volentes; ut tu & Succeſſores tui ArchiEpiſcopi Pragenſes, qui pro tempore fuerint, duodecim presbyteros idoneos ſæculares & Religioſos in Confeſſores eligere poſſitis, & etiam in dictaPragenſi Eccleſia deputare, qui Confeſſiones quarumcunq; perſonarum, eandem Capellam cauſa indulgentiæ & remiſſionis hujuſmodi aſſequendarum, in Feria quinta, & duobus diebus ſequentibus ſupradictis duntaxat ibidem audire, & ipſis Confeſſionibus diligenter auditis, eiſdem perſonis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere & injungere pænitentiam ſalutarem valeant, (niſi forſan talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda) tibi & eiſdem ſucceſſoribus auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hæc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Calend. Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Decimo.

Aureum Triduum in EccleſiaPragenſi.

Conceſſa hæc ac tanta de plenitudineApoſtolicæ poteſtatis gratia, manet hodiéq; ſuo in vigore, à pluribus deincepsPontificibus, &noviſſimè patrûm noſtrorum memoriâ, àClementeVIII. confirmata. Hinc annis ſingulis per triduum illud, quod idcirco *Triduum gratiarum*, aliàs etiam *Aureum* jam olim, (ut in vetuſtiſſimis Manuſcriptis invenio,) dici meruit, prætacta D. Wenceslai Capella, maximâ populi devotione, ac totius Triurbis accurſu frequentatur.

Alias item Indulgentias æquè ampliſſimas, pro Feſto Beatiſſimæ Virginis in Cœlum Aſſumptæ, & duobus diebus immediatè ſequentibus, eidem Eccleſiæ contulit.

Boniſacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Splendor Paternæ Gloriæ, qui ſuâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ipſius Maje-

ſtate

ſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno favore proſequitur, cùm devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Eccleſia Pragenſis congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſtifideles eò libentiùs cauſâ devotionis confluant ad eandem, quò ex hoc ibidem dono Cœleſtis gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos; de omnipotentis DEI miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui dictam Eccleſiam in feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis cum duobus diebus immediatè ſequentibus, devotè viſitaverint, annuatim illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccleſiam S. Marci de Venetijs, Caſtellanenſis diœceſis, in die Aſcenſionis Domini noſtri JESU Chriſti viſitantes, annuatim quomodolibet conſequuntur; præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Calend. April. Pontif. noſtri Anno Decimo.

Item. *Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri ArchiEpiſcopo Pragenſi. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm nos hodie de omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & Confeſſis, qui Eccleſiam Pragenſem in feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, cum duobus diebus immediatè ſequentibus, devotè viſitaverint, annuatim illam indulgentiam & remiſſionem peccatorum conceſſerimus, quam Eccleſiam S. Marci de Venetijs, in die Aſcenſionis Domini noſtri JESU Chriſti viſitantes annuatim conſequuntur: prout in noſtris inde confectis litteris pleniùs continetur. Nos ut Chriſtifideles ad ipſam Eccleſiam Pragenſem, in prædictis feſto & duobus diebus ſequentibus, ut præfertur, confluentes, conſcientiæ pacem & animarum ſalutem Deo propitio conſequantur, ac indulgentiæ & remiſſionis meliùs participes eſſe poſſint, benigniùs agere volentes, ut tu & ſucceſſores tui ArchiEp. Pragenſes, qui pro tĕpore fuerint, duodecim presbyteros idoneos ſeculares & religioſos in confeſſores eligere poſſitis &c. Datum ut ſupra.*

Neque his inferiores ſunt Gratiæ, quibus iterum anno ſequenti eandem S. Eccleſiam decoravit: uti ex hiſce patet.

Aliæ Indulgentiæ plenariæ pro certis Feſtivitatibus in Eccleſia Pragenſi.

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Licèt is de cujus munere venit, ut ſibi à ſuis fidelibus dignè & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, benè ſervientibus ſibi, multo majora retribuat, quàm valeant promereri: nihilominùs tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum, & quaſi quibusdam allectivis muneribus, indulgentijs videlicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia Pragenſis, quæ ùt aſſeritur, in honore S. Viti dedicata exiſtit, & in eadem corpora Sanctorum Wenceslai, Adalberti, Sigiſmundi & aliorum diverſorum Sanctorum requieſcunt, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eò libentiùs cauſâ devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem manus promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos: de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè penitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Cœnæ Domini, Aſcenſionis & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti; Pentecoſtes & Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis, & Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, & Beatorum Petri & Pauli, ac Viti, Wenceslai, Adalberti, Procopij, Sigiſmundi, Quinq; Fratrum & Ludmillæ, ac Tranſlationis Sancti Wenceslai, nec non ipſius Eccleſiæ, & Capellæ dicti Sancti Wenceslai ſitæ in eadem Eccleſia, Dedicationum feſtivitatibus; ac celebritate omnium Sanctorum, nec non per ipſarum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri & Pauli prædictorum feſtorum Octavas, & per ſex dies prædictam feſtivitatem Pentecoſtes immediatè ſequentes, eandem Eccleſiam devotè viſitaverint & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis

tatis

tatû, illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium concedimus, quam viſitantes omnes & ſingulas Eccleſias, & alia loca Eccleſiaſtica Civitatis Pragenſis, & in ejus circuitu ad duo milliaria conſiſtentes, certis diebus & feſtivitatibus annuatim viſitantes quomodolibet conſequuntur. Octavarum verò & ſex dierum prædictorum diebus, quibus Eccleſiam ipſam Pragenſem viſitaverint, & adjutrices manus porrexerint, ùt præfertur, Centum dies de injunctis eis pænitentijs miſericorditer relaxamus. Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. Pont. noſtri an. II. Jam ad ulteriora procedamus.

Cum anno ſeculari quadringenteſimo à Partu Virginis ſupra milleſimum, in Bohemia exoriri cæpit atrox & periculoſum in Religione diſſidium, impietate novorum dogmatum, & domeſticarum ſeditionum incremento toti Regno ſummè pernicioſum: idq; potiſſimùm M. Hieronymo Pragenſi auctore, ſub id tempus ex Anglia, ubi aliquot annis ſtudijs altioribus operam dabat, in patriam reduce, & novis ac depravatis Vicleſi hæreſiarchæ Anglici opinionibus infecto, ejúsque aſſeclâ Joanne Huſſo, & alijs quibusdam; qui contra Divæ Virginis Deiparæ ac Divorum cultum, Summi Pontificis auctoritatem, Eccleſiæ Sanctæ ritus, cæteráque præcipua Chriſtianæ Religionis capita, non tantùm concionibus & diſputationibus publicè habitis, ſed etiam editis & publicatis libellis, impijſſima quæque effutire, ac peſtilentiſſimas dudúmque exploſas & damnatas opiniones, palam diſſeminare non erubeſcebant; eò pertinatiori conatu majoríque audaciâ, quòd à Pragenſi plebe, etiam contra voluntatem Regis, ArchiEpiſcopi, Procerum & civici Magiſtratûs, acerrimè defenderentur. Malum initio modicum, ùt ferè omnia, creſcente indiès ex impunitate licentiâ, aſſurrexit tandem ad crudeliſſima diſſidia, inteſtinas ſeditiones, rapinas, ſacrilegia, mutuas cædes, transfugia, incendia, funeſtas Urbium populorúmque vaſtitates, & alia civiſibus bellis oriri ſueta malorum genera: per quæ Regnum antea pace diuturnâ florens, & rerum copiâ abundans, vix non in ruinam inclinavit. Videatur Æneas Sylvius, Cochlæus, Daubravius,

Sciſſæ religionis in Bohemia principium.

Sequutæ exinde ingentes calamitates & clades.

Hagek, Balbinus, Theobaldus & alij, qui hujus atrociſſimi mali initia & progreſſus fuſè explicant, *(d)* & quæ etiam nos alibi diſertiori ſtylo memoravimus. Hìc inſtituti noſtri, ne plus juſto declinemus, nos memores eſſe oportet. Illud tamen addere libet: *Regna & populos rarò hactenus mutaſſe Religionem ſolam, vel experientiâ teſte hoc noſtro ſeculo, ſed quoties mota eſt ſacra hæc anchora, toties fluctuâſſe ſimul Reipublicæ navim. (e)*

Zbynko Archi Ep. diligens Religionis propugnator;

Præerat tunc, cùm hujusmodi pernicioſiſſimæ in Religione tempeſtates gliſcere cæpiſſent, Sacris in Bohemia, Zbinko de Hazmburg ArchiEpiſcopus Pragen. nobiliſſimæ juxta ac vetuſtiſſimæ gentis Baro, utpote Croci Senioris quondam in Bohemia Ducis ſanguis, antea Collegiatæ Eccleſiæ Melnicij Præpoſitus, & Metropol. Eccleſiæ Pragenſis Canonicus, altioribus quidem literis mediocriter imbutus, & ùt refert coævus Scriptor, *f) ætate ſatis juvenis, ſed morum honeſtate canus & gravis;* imprimis verò religione in Deum, pietate, conſilio & prudentiâ inſignis. Hic pro officij ſui munere, quantum poterat, exorienti malo obviam ire contendebat, tàm accuratè & ſolerter ímpia quævis, & recèns pullulantia dogmata procul arcendo, ut ne ab alio quocunque in ea rerum facie, diligentiùs ac vigilantiùs adminiſtrari gerique potuiſſe crederetur: quem in finem anno 1408. die 17. Julij Synodum nationalem ſeu Diæceſanam præſentibus penè omnibus Regni Prælatis, Presbyteris centenis, & Magiſtris, Doctoribus ac Studioſis facilè millenis, celebravit, ut in tempore obviaret malo. *(g)* Anno iterum 1410. adhibito Capitularium Metropolitanæ Sedis, tum aliorum doctiſſimorum virorum conſilio, quos inter primarij recen-

Synodum Provincialem cogit,

(d) *Æn. Sylv. Hiſtor. Boh. cap. 35. & ſequ. Joan. Cochlæus hiſt. Huſſit. lib. 1. & ſequ. Daubrav. Hiſt. Boh. lib. 23 & ſequ. Hagek. Kuten. Boregk ad an. 1404. & ſequ. Balbin. in Epitom. rer. Bohem. Zachar. Theobald. junior. de bello Huſſit. per totum. Peſſina in Marte. Morav. lib. 2. cap. 5.* (e) *Florimund. Remond. in Orig. hæreſ. Strada de bello Belg dec. 1. lib. 1.* (f) *Stephan. Palecz SS. Theologiæ Doctor apud Cochlæum lib. 1.* (g) *VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad d. 17. Julij. Lupac. Cruger. MS. Capitul. Prag. MS. Andreæ de Broda Magiſtri & Canon. Eccl. Prag.*

cenſentur: Joan: de Kralowicz, Joan. Kbel, Wenceslaus Radecz Decanus Eccleſiæ Collegiatæ S. Apollynaris, Andreas de Broda, cujus eſt apud Cochlæum in Hiſtoria Huſſitar. lib. 1. & ſequ. frequentisſima & glorioſa atque honorifica ſemper mentio; Joan. de Niemczicz, Zdislaus Chrt Præpoſitus Capellæ Regiæ omnium SS. Canonici Eccleſiæ Prag. Stephanus item Palecz, Stanislaus de Znogma, Petrus de Znogma, Georgius de Bor, Joan. Eliæ, Simon Wenda, Joan. ab Hildeſen Facultatis Theologicæ Doctores) ultra CC. volumina, quæ perverſum atque prædamnatum Viclefi dogma continebant, publicè concremari juſſit. Sed anno ſequenti, dum in Hungariam ad Sigismundum Regem proficiſcitur, ut ab illo, cùm ſolus neutiquam ſufficeret, & à Wenceslao Rege jam tunc ſupra modum ignavo parum auxilij obtinere poſſet, opem periclitanti in Patria religioni impetraret, Poſonij à coco ſuo XV. aureis ab hæreticis corrupto, veneno extinguitur, die S. Wenceslai; ita ut maximis, quæ è veſtigio ſequuturæ erant, malorum procellis & cladibus ſubtractus, ad tranquillum quietis portum tempeſtivè migrâſſe cenſeatur. Ejus Succeſſor Albicus homo nauci, & ùt inquit Daubravius, (*h*) *dignior qui Pharmacopolis, quàm Pontificibus adnumeraretur*, à Wenceslao, cujus agebat medicum, contra voluntatem Capituli intruſus, ut invaleſcenti hæreſi obviam iret, & vel modicùm reſiſteret, nullam penitùs curam habuit; tametſi crebris literis à Joann. XXIII. ab Univerſitate item Pariſienſi, ejúsque Cancellario Joanne Gerſon Facultatis Theologicæ Decano: à Capitulo verò Metrop. & Joan. ejus nominis V. & ultimo Epiſcopo Litomiſslenſi, *Viro*, ut ait Cochlæus, (*i*) *gravi & experto*, ſæpe ſæpiùs moneretur. Tandem à Capitulo repudiatum fuiſſe, idem Cochlæus refert: alij, *k* cùm tanto muneri, & in tali confuſione rerum gerendo, ſemet ipſum minùs idoneum ac ſufficientem, vel propriâ confeſſione cenſeret, anno Pontificatûs ſui ſecundo, nempe 1413. in fine men-

Libros hæreticorum undique conquiſitos comburi curat, ipſo Feſto Diviſionis Apoſtolor. obit, veneno Religionis odio extinctus, anno 1411. die 28. Septembr.

Succeſſores ejus, Albicus propudium, &

(h) *Daubrav. lib. 23. Pontanus lib. 3. Bohem. Pia.* (i) *Cochlæus lib. 1.* (k) *MS. Anonymi.*

Conradus VVeſtphalus peſtis ArchiEpiſcopatûs;

menſis Julij, ſpontè ArchiEpiſcopatum reſignâſſe; alij veró (*l*) Conrado Weſtphalo (aliquando regio Subcamerario & Decano Wiſſehradenſi, poſtea Præpoſito Mielniczenſi, tunc verò Epiſcopo Olomuc.) pro certa pecuniæ ſumma vendidiſſe aſſerunt. Sed nec Conradus, quem ego ſicut anteceſſorem ejus, per favorem Regis intruſum fuiſſe invenio, rebus in pejus ruentibus, remedium ullum tulit; qui Bonis ArchiEp. omnibus fœdè diſtractis & oppignoratis, ultimó in Huſſitarum dogma,

in hæreſim prolapſus,

ita ab authore ſuo Joanne Hus cognominatum, prolapſus, non ſolùm damnatis quatuor Pragenſium articulis, qui erant, veluti *Quinta* Wecleſiſticæ ſeu Huſſiticæ doctrinæ *Eſſentia*, & quibus *Dominium in temporalia Clericis penitùs abrogabatur; prædicandi Verbi Divini libertas cuiq; & ubiq; concedebatur: Communio ſub utraq; Specie, omnibus, etiam infantibus dari præcipiebatur; ac deniq; peccata publica, nullo prætextu, aut neceſſitate tolerari poſſe decernebatur:*

Quatuor Pragenſ. articulis ſubſcribit.

male ſano conſilio ſubſcripſit, anno 1421. die 21. Aprilis; verùm etiam, alios, Clerum imprimis ſibi ſubjectum, ad illos tenendos defendendóſque inducere totis viribus contendit. Quam ob cauſam Synodum Provincialem indixit, ad eámque Raudnicij, in oppido ſuo, Feriâ IV. poſt Pentecoſten inchoandam, atque iterum aliam, Pragæ eodem anno die 7. Julij celebrandam, (*m*) omnes omnino, ſub graviſſimarum pœnarum interminatione, convocavit.

Canonicorum Prag. in retinenda ac propugnanda religione Orthodoxa integritas,

Capitularium Metrop. Prag. tunc vel maximè enituit virtus; ex quibus ne unus quidem, ſed neque ex inferioribus miniſtris ullus, inventus fuerit, qui acta Conradi probaret, aut ejus partes vel in minimo ſequeretur: ita omnes, veluti Marpeſia cautes, in priſca Majorum fide, debitáque Romanæ Sedi obſervantia, cum laude immortali perſtitêre. Prælati & Canonici jam antea Pragâ in exilium acti, partim Zittaviæ in Luſatia, partim Olomucij commorabantur, utrobiq; hi à Joanne Epiſcopo, illi à civibus tunc Catholicæ Religioni dedititiſſimis,

exilium,

non

(*l*) *Dubrav. lib. 23* (*m*) *Cochl. lib. 5. MS. Author de motib. Huſſitar. in Bohemia in Archivo Capitul. Prag. inter Libros MS. ſub N. 37.*

non ſolùm humaniſſimè cum ſuis omnibus hoſpitio excepti, ſed etiam ſingulari liberalitate, rebus omnibus ad victum neceſſarijs adjuti; potiſſimum verò ab inſidijs inimicorum, quamdiu exulabant, fideliter defenſi. Qui Zittaviæ congregati erant (nomina ad perpetuam illorum memoriam hìc apponere libet: Joan. Oſtrovecz de Kralowiez Decanus Metrop. Nicolaus de Praga Archidiac. Andreas de Broda, Joan. de Duba, Stephanus de Stankow Decanus Capellæ Omnium SS. Jaxo Ginoch de Plſna, Nicolaus Hanzelin, Wenceslaus de Praga, JohankoOrtlini de Praga, Nicolaus Ditlini de Znogma, M. Matthias de Bielina, Zdenkode Chraſt Archidiac. Zatecenſis, viri immortali laude digniſſimi) cùm intellexiſſent Conradum ArchiEp. à religione, id quod pridem timebant, palam defeciſſe, metuerentq; ne pernitioſiſsimo ſuo exemplo alios in parem traheret ruinam: *Sciebant enim eam eſſe ſortem rerum humanarum, ut cadente arbore, frangi etiam ramos facilè accidat:* & ùt in corporibus, ſic in omni Republ. & imperio non eſſe graviorem periculoſiorémque morbum, quàm qui à capite diffunditur. *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.* Ideóque officio ſuo, juxta Sacrorum Canonum præſcripta, quæ in hujusmodi caſu Epiſcopo omnē Jurisdictionem ipſo facto abrogant, & in Capitulum transferunt, absque ulla tergiverſatione fungendum rati, unanimi conſenſu ab illo, tanquàm deſertæ Fidei Catholicæ manifeſto, ac proinde cenſuris Eccleſiaſticis innodato, ſuo ac totius Cleri, populiq; Bohemici ſub obedientiâ Sedis Apoſtolicæ perſeverantis nomine, receſſerunt 28. Aprilis. Mirúmque dictu, quod eâdem ipſi die etiam illi, qui Olomucij erant, Wenceslaus Gurím Scholaſticus, Kuneſs Baro de Zwole, Joan. dictus Schindel, Chwall de Smilkow Canonici, ſingulari Divini Numinis providentiâ ſic diſponente, ab obedientia ejusdem Conradi, præeunte Joanne Epiſcopó Olomuc. & Litomiſslenſi, ſeſe abſtraxerunt; id quod etiam ſine mora ſolenni ſcripto publicari curârunt.

& in contradicendo apoſtatæ Conrado virtus.

Non ita pridem, cùm Archivum Capituli luſtrarem, & char-

Acta exilij Capitularium Prag.

chartas veteres, libróſque compluresMS. iteratò pervolverem, in unum ex illis Acta Capitularium poſt Conradi ArchiEp. lapſum in hæreſim, & toto illo ad annum usque 1436. exilij tempore, referentem incidi: in quo ſingularia quædam deprehendi, digna ſanè lectu, & quæ hactenus veluti profundis immerſa tenebris fuerant, digniſsima deinceps memoratu & ſcitu. Author futuri Operis, (*n*) hæc omnia ſuo ordine, & uberiori ſtylo ac peculiari tractatione (me etiam ad ea fideliter cooperaturo) recenſebit: unde impoſterum clariùs pateat Capitularium circumſpecta ſanè in ea horribili tempeſtate, quâ impijſsima hæreſis, turbatis Sanctiſsimæ Religionis Orthodoxæ placitis, ac concitato funeſtiſſimo civili bello, humana divinis confundendo, omnia ſurſum atque deorſum commiſcuiſſet, prudentia, ac in rebus pro conſervatione Religionis Catholicæ agendis procurandíſque dexteritas, & quod huc propriè facit, Sedi Apoſtolicæ ſemper inviolabili tenore ſervata devotio ac FIDES. Interea tamen ex ijsdem copioſiſſimis Actis ſaltèm aliquid delibare, & hic apponere placuit: ac primò omnium literas Capituli per Archidiœceſim hac in cauſa publicatas.

Earundem publicæ litteræ de Conrado in hæreſim prolapſo.

Univerſis & ſingulis DD. Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Canonicis & Prælatis Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, ac Plebanis, Viceplebanis, Altariſtis, Eccleſiarúmq; & Capellarum Rectoribus & præſidentibus quibuscunq;, exemptis & non exemptis, cæterisq; Chriſti fidelibus, per civitates ac provinciam Diœceſis Pragenſis conſtitutis, ad quorum notitiam præſentes pervenerint. Joannes Decanus & Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, *Salutem in Domino, & præſentibus fidem adhibere indubiam. Juſtum, condignum & rationabile exiſtit, ut qui Eccleſiæ S. Catholicæ & Apoſtolicæ inſtituta & mandata obſervare contemnit, & ſe ab Eccleſia abſtrahit, errores ab Eccleſia condemnatos ſectando, & alios ad ſectandum inducendo, ut ſeveriori vindictâ corrigatur, ab ejúsq; converſatione tanquàm notorij contemptoris inſtitutorum Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ fugiamus, ut cæteri hujusmodi vindictam percipientes, ſimilia commit-* tere

(n) *Hiſtoria S. M. Prag. Eccleſiæ futurm Auth. P. Bohusl. Balbin.*

tere non audeant, nec præſumant. Sanè noveritis, quòd poſtremò accepimus; qualiter Reverendus in Chriſto Pater D. Joannes Epiſcopus Olomucenſis percepto veridicè, quòd Conradus de Wechta *prætenſus Archiep. Prag. diabolo inſtigante, auſu temerario & ſacrilego, Clero & populo Catholico ſibi ſubdito ferarum dentibus exponendo, deſolato & relicto, ſeſe Viclefiſtarum & Huſſitarum condemnatæ hæreſi inverecundè, Dei timore poſt poſito applicuerit, ipſorúmq; errores tenet, dogmatizat & proſequitur, ac per alios etiam Chriſti fideles teneri & dogmatizari publicè mandat: mox de voluntate ac mandato ſpeciali Sereniſſimi Principis, & D. D. Sigiſmundi D E I Gratia Rom. Regis ſemper Auguſti, Hung. & Bohemiæ &c. Regis, cum Capitulo & Clero, ac nonnullis Canonicis Eccleſiæ Pragenſis, qui pro tunc ibidem in Olomucz moram traxerunt, ſe ab obedientia dicti Conradi prætenſi Archiep. in toto abſtraxit, & abſtrahi cum effectu curavit. Quod factum conſiderantes, attendentésq; non eſſe conſonum rationi, dicti* Conradi *prætenſi Archiep. præceptis & mandatis ampliùs obedire, tanquàm erronei & excommunicati, & ſententijs excommunicatorum & alijs pœnis à jure irretiti, ex eo, quòd ſectas prædictorum Wiclefiſtar. & Huſſit. condemnatas proſequitur, & quantum in eo eſt mandat etiam proſequi; præſertim quoſdam quatuor prætenſos articulos, quorum tantùm unum exprimit, videlicet: ut populo laicali Sacramentum Corporis & Sanguinis D. noſtri JESU Chriſti ſub utraq; ſpecie, contra determinationem Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, miniſtraretur.*

Ideò volentes nos præfato D. Epiſcopo Olomuc. ipſius Capitulo & Clero, ac alijs noſtris confratribus, in præmiſſis conformare, debitis tractatibus cum nonnullis DD. Prælatis, Juriſperitis & alijs ſapientibus & intelligentibus, nec non aliquibus ex Clero, quos habere potuimus, deliberatione maturâ præhabitis, populóq; Chriſtiano, qui poſſet præfatum Conradum *prætenſum Archiep. in ſua perverſitate ex ſimplicitate ſequendo decipi, ex corde compatientes, prout tenemur, ab ejuſdem Conradi prætenſi Archiep. Prag. & ipſius prætenſorum Officialium, jure ſvadente, & Juſtitiâ exigente; nos cum Clero & populo Catholico, & Sedi Apoſtolicæ obediente,*

DEI omnipotentis nomine invocato, obedientia duximus abſtrahendum, & abſtrahimus per præſentes: decernentes de cætero, ipſius Conradi *prætenſi Archiep. Prag. erronei, & ſuorum prætenſorum officialium, præceptis & mandatis, tanquam invalidis & ſententijs excommunicationum à jure propter ipſorum perverſitatem involutis, non eſſe obediendum; nec ad ipſum aut ſuos prætenſos Officiales ampliùs, in quibuscunq; cauſis vel negotijs ad dignitatem Archiep. ſpectantibus & pertinentibus, in aliquo habere reſpectum aut recurſum; nec aliquos actus judiciales aut extra judiciales coram ipſis debere exerceri, nec ipſis ampliùs de aliquibus juribus ArchiEp. tanquam excommunicatis & erroneis, eſſe reſpondendum: ſed in omnibus ac ſingulis ad forum Eccleſiaſticum ſpectantibus & pertinentibus, ad DD. Adminiſtratores, tanquam Sede vacante, ne populus Chriſtianus negligatur, ordinatos & inſtitutos, habere recurſum, qui nunc moram in Zittavia trahere dignoſcuntur, & trahent, tamdiu, quousq; ad locum ſecuriorem & magis aptum, Domino concedente, poterint pervenire. Et ne præmiſſorum ignorantiam nonnulli poſſent prætendere & allegare, omnia & ſingula præmiſſa, ritè & rationabiliter ordinata, diſpoſita & facta, vobis omnibus præſcriptis & ſingulis Chriſti fidelibus intimamus, inſinuamus, notificamus & publicamus, ac ad vos & veſtrûm cujuslibet notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes, intimantes vobis & cuilibet veſtrûm, quòd ſi aliqui ampliùs mandatis & præceptis ſæpè nominati* Conradi *prætenſi ArchiEp. erronei, & ſuorum prætenſorum Officialium paruerint, aut parere in aliquo præſumpſerint, aut aliqua à ſuis Officialibus prætenſis in judicio vel extra judicium poſtulaverint, quòd per hoc de ipſorum fautoribus poterint evidenter cenſeri, & ideò juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones ſuo tempore taliter puniri, ut alijs meritò poſſint cedere in exemplum. Datum in Zittavia, die ſexta Maij, anno 1421.*

Querela contra eundem, & contra mandata ipſius.

Aliæ ad Summum Pontificem Martinum V.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Martino *Divinâ providentiâ SacroSanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici.* Joannes Decanus & Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, *cum debita reverentia devota pedum oſcula Beatorum. Ad*

San-

Sanctitatis Veſtræ notitiam deducimus per præſentes, qualiter Conradus de Wechta *ArchiEpiſcopus dictæ Eccleſiæ Prag. ſi ſic dici meretur, dilapidatis, alienatis & diſtractis quaſi univerſis bonis, & ſi non in toto, ſaltèm in majori parte dicti ArchiEpiſcopatûs Prag. contra omnem noſtram voluntatem, nuper diabolicâ ſeductus ſuggeſtione,* lapſus eſt in hæreſim *condemnatam Wycleſiſtarum & Huſſitarum, quam hæreſim tenet, dogmatizat & proſequitur cum effectu, prout Sanctitas Veſtra, ex literis quas in quadam appellatione, ab ipſius prætenſis mandatis interpoſitas fieri procuravimus, & quæ Sanctitati Veſtræ unà cum hiſce præſentabuntur, poterit clariùs informari. Itáque Pater Sanctiſſime, cùm ex perſona præfati* Conradi, *qui malitiam ſuam fraudulentam per impotentiam hucusq; palliabat, dicta Eccleſia Prag. quaſi funditùs eſt deſtructa & ruinata, Clerúsq; cum populo Catholico, qui in parva remanſit quantitate, ad extremas miſerias & anguſtias eſt deductus: & niſi Sanctitas Veſtra celeriter duxerit ſuccurrendum, timendum eſt de pejori eventu. Supplicamus igitur Sanctitati Veſtræ humiliter & devotè, quatenus præfato Conrado ArchiEpiſcopo ex cauſis præmiſſis, dictâ Eccleſiâ Prag. privato, & ab ipſa ammoto, dignetur de alia perſona utili & valente, Principum notitiam & favorem obtinente, rerum experientiâ gnara, quæ valeat ipſi Eccleſiæ deſolatæ utiliter præeſſe & prodeſſe, ipſámq; reformare, & ad ſtatum priſtinum cum Sanctitatis Veſtræ ſubſidio reducere, Clerum oppreſſum, & maximè tribulatum relevare, tueri & defendere, & malitiæ populi inſani viriliter reſiſtere, ipſámq; coërcere, quod ſummè neceſſarium eſt, providere, atq; ita de novo ArchiEpiſcopo proſpicere. Aut Prælatis & Capitulo ipſius Eccleſiæ Prag. dare & concedere liberam facultatem, ubicunque poterunt convenire, perſonam utilem, valentem & dignam pro ArchiEpiſcopo ipſius Eccleſiæ Prag. juxta ipſorum conſcientias, nominandi, eligendi aut poſtulandi. Et hujuſmodi electionem aut poſtulationem, propter pericula imminentia, committere Reverendis in Chriſto Patribus DD. Olomuc. & Wratislav. Epiſcopis, in partibus vicinis, approbandi ac confirmandi, & alia circa hæc neceſſaria faciendi, gerendi & exercendi; vel auctoritatem, inquirendi veritatem de*

præmiſſis omnibus & ſingulis ſuperiùs enumeratis & expoſitis, dare & concedere. Nam ſi Prælati & Canonici permiſſi fuiſſent habere, ſicuti antea, liberam facultatem ArchiEpiſcopum utilem eligendi & recipiendi, nunquam tot mala in Regno Bohemiæ eveniſſent, quæ ex dicti Conradi intruſi negligentia, & ut jam patet ex ipſius conniventia evenerunt. *Placeat Sanctitati Veſtræ de benignitate Apoſtolica, & ex gratia ſpeciali, præmiſſis providere, quia facultates Prælatorum & Capituli ipſius Eccleſiæ non ſufficiunt ad faciendum impenſas, pro executione præmiſſorum; ex eo, quòd omnibus bonis ſunt privati, ab Eccleſia repulſi, & in exilio cum Clero Catholico, in magna tribulatione & perſecutione miſerabiliter conſtituti, prout eſt notarium publicum & manifeſtum. Sanctitatem Veſtram Altiſſimus incolumem conſervare dignetur, pro regimine Eccleſiæ ſuæ Sanctæ, per tempora longæva. Datum in Oppido Zittavia, in limitibus Prag. Diœc. anno 1421. die 10. Maij, noſtro ſub ſigillo minori.*

Scriptum verò in forma proteſtationis & appellationis, cujus hìc in literis ad Summum Pontificem datis fit mentio, in præſentia Notarij publici factum, ac demum Sanctæ Sedi exhibitum, tale fuiſſe invenio. *Cùm Appellationis remedium ſit in ſubſidium oppreſſorum adjumentum, & non ſolùm ab illatis, verùm etiam ab inferendis veriſimiliter præſumptis gravaminibus poſſe appellare jura permittunt, hinc eſt, quòd ego Mauricius dictus Machna, procurator generalis cauſarum Conſiſtorij Prag. ac procurator Venerabilium & diſcretorum virorum DD. Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Scholaſtici, univerſorúmq; & ſingulorum Canonicorum & Beneficiatorum Eccleſiæ Prag. nec non totius cleri Catholici, & Sedi Apoſtolicæ obedientis, & præfatis Dominis adhærentis & adhærere volentis, exempti & non exempti Civitatis & Diœceſis Prag. nomine procuratorio, quo ſupra. Coram vobis Venerabilibus DD. hìc præſentibus & adſtantibus, & te Notario publico, tanquam authentica & fideli perſona, appellando propono & dico. Quòd licèt* Conradus de Wechta *prætenſus ArchiEp. Prag. per ſuos procuratores ad ſacrum Concilium Conſtantienſe per eum tranſmiſſis, & nonnullas alias fide dignas perſonas, fuiſſet clarè & ſuffi-*

Appellatio ad Pontificem.

ſufficienter informatus, qualiter Reverendiſſimi in Chriſto Patres, & DD. dicto Concilio Conſt. præſidentes, & ſanctam Catholicam Eccleſiam repræſentantes, pluribus tractatibus in eodem Concilio præmiſſis, ſaluti animarum Chriſti fidelium providere ſattagentes, maturâ cum plurium Doctorum tam Divini quàm humani juris deliberatione prahabitâ declaraverunt, decreverunt & deffiniverunt, inter alia, ut à populo laicali, Sacramentum Eucharistiæ tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur. Cùm firmiſſimè ſit credendum, & nullatenus dubitandum, integrum corpus Chriſti & ſanguinem, tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri, conſuetudóq; ab Eccleſia rationabiliter introducta & diutiſſimè obſervata, ſit pro lege habenda; quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libitu immutare. Ipſéq; prætenſus ArchiEpiſcopus dictus poſtea habitâ informatione, veſtigiâ dictorum Dominorum de Concilio ſequi cupiens, ſynodaliter conſtituit, juxta dictam declarationem Conſtantienſem, populo laicali Sacramentum Eucharistiæ tantùm ſub ſpecie panis debere dari & porrigi, ita ut alioquin tam in recipientes, quàm in dantes ſententiam excommunicationis tulerit, pluréſq; contrarium facientes excommunicatos mandaverit publicè denunciari, nonnullos verò Beneficiatos ipſorum Beneficijs privaverit: prout hæc omnia & ſingula ſunt publica, notoria & manifeſta. Tamen ipſe neſcitur quo ſpiritu ductus, datus tanquam in ſenſum reprobum, nuper his diebus, prout ad noſtram pervenit notitiam, contra ſua mandata & juramenta præſtita temerè & defacto veniens, ſuámq; ulteriùs malitiam & perverſitatem palliare nequiens, & quæ in ipſo dudum latebant, palam ad lucem, quod cum anxietate & dolore cordis referimus, deducens, ad Civitatem Prag. de ſua habitatione ſponte accedens, ibidem cum Wicleffiſtis & Huſſitis condemnatis habitat & converſatur, indéq; per literas ſuas ad quoſdam quatuor prætenſos articulos, quibus ipſemet ſubſcripſiſſe dicitur, univerſos fideles & Catholicos hortatur, præſertim verò ut unum illorum de Communione Venerabilis Sacramenti, ſub Utráq; ſpecie panis & vini ſuſcipiant, aſſerens ſe eundem articulum velle proſequi affectu & effectu. Quos etiam articulos mandat ſuſcipere, ipſóſq; realiter proſequi & cuſtodire, ſub-

indignatione DEI Omnipotentis, & ſententia excommunicationis: omnes & ſingulos DD. Abbates, Præpoſitos, Decanos, Archidiaconos, Scholaſticos &c. monens, & ipſis & ipſorum cuilibet ſub pæna excommunicationis mandans, quatenùs generaliter ſinguli, Feriâ IV. proximâ poſt feſtum S. Spiritûs coram ipſo, in oppido ſuo Raudnicz ſynodaliter compareant, ad tractandam materiam hujusmodi articulorum per ipſum ſuſceptorum & admiſſorum, &c. Contrà autem recuſantes, aſſerit ſe velle procedere, juris Divini & brachij ſecularis remedijs oportunis, abſenſentium contumaciâ non obſtante: prout hæc omnia & ſingula in dictis ſuis prætenſis literis continentur, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs eſt deſcriptus, & de quibus quidem non dum decem diebus elapſis percepimus.

Cùm autem univerſis Chriſti fidelibus Catholicis manifeſtiſſimè & evidenter conſtet, ſectas Wicleſiſt. & Huſſit. in ſæpe dicto Concilio Conſt. dudum cum ipſorum auctoribus & fautoribus, ipſáſq; tenentes, dogmatizantes & prædicantes, fuiſſe & eſſe damnatas & damnatos, & hujusmodi ſectis adhærentes, ipſorúmq; errores tenentes, dogmatizantes & prædicantes, ſententia Excom. ad hoc à jure innodatos, ſalvis alijs, contra Wicleſiſtas & Huſſitas, & ipſorum fautores, à jure inflictas. Ipſéq; prætenſus ArchiEp. præmiſſa omnia ſciens & intelligens, dictis Wicleſiſtis & Huſſitis, contra dictam declarationem ſacri Concilij Conſt. & ſua mandata temere veniens, cum ipſis habitat & habitare non erubeſcit, ipſos in eorum malicia, nequitia & perverſitate publicè fovendo, nutriendo & ipſis in omnibus conſentiendo: propter quod non eſt dubium ipſum prætenſum ArchiEpiſcopum dictis ſententijs Excom. innodatum, & alias pœnas contra tales à jure inflictas incurriſſe & incidiſſe, actúsq; ipſius univerſos, & ipſius Officialium prætenſorum, ob hoc eſſe invalidos & inefficaces; ipſiúsq; ac dictorum ſuorum prætenſorum Officialium mandatis, ac præceptis ampliùs non eſſe obediendum, nec parendum ex eo, quia ipſe ſciens univerſum Clerum obedientem in magnis moleſtijs, turbationibus & tribulationibus conſtitutum, Beneficijsq; & bonis, ac rebus univerſis ſpoliatum & exulantem, nonnullóſq; ex Clero jam incineratos, alios crudeliter interemptos, alios tormentiſatos, alios linguis, auribus privatos,

vatos, manibus truncatos: nec poſſe liberè propter viarum pericula & diſcrimina, & Wicleſiſtarum Huſſitarúmq; tyrranidem, quam in ipſum Clerum evidenter exercent, ad oppidum ſuum Raudnicz, ut præſcribitur, venire cogit & compellit, ſub pœna excommunicationis, & pœnis brachij ſecularis formidabilibus minando, & per hoc ipſum Clerum gravare conando.

Unde ego Procurator Dominorum antedictorum ex cauſis præmiſſis, ſentiens præfatos DD. & Clerum univerſum, ac ipſis adhærentes & adhærere volentes, per præfatum prætenſum ArchiEp. fuiſſe & eſſe gravatos, poſſéq; plùs aggravari in futurum, nomine procuratorio, quo ſupra, ab ipſius prætenſi ArchiEp. tanquàm notorij fautoris Wicleſiſtar. & Huſſit. & ſuorum prætenſorum Officialium obedientia, Dominos meos memoratos, & ipſis adhærentes, & adhærere volentes, de Sereniſſ. Principis & Domini noſtri glorioſiſſ. Sigiſmundi Roman. Hung. & Bohemiæ &c. Regis, ſpeciali voluntate, abſtrahens per præſentes &c. ab ejuſdem prætenſi ArchiEp. injuſtis, invalidis, injurioſis & iniquis mandatis, præceptis & comminationibus, atq; omnibus alijs & ſingulis gravaminibus prædictis, & eorum quolibet, & quæ ex ipſis ſequi poſſunt, ſalvâ nullitate omni factorum & fiendorum contra Dominos meos prætactos, & Clerum Catholicum obedientem Diœceſis Prag. & antedictis Dominis meis adhærentem, & adhærere volentem, ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Martinum Divinâ providentiâ Papam V. & ipſius audientiam, & Sanctam Sedem Apoſtolicam, in his DEI nomine inſcriptis provoco & Appello, *Apoſtolos peto primò, ſecundò, tertiò, inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè, mihíq; eoſdem dari poſtulo, & ſaltèm à te Notario publico litteras teſtimoniales. Subijciens prænominatos Dominos meos, & ipſis adhærentes & adhærere volentes, ac omnes alios, quorum intereſt vel intereſſe poterit in futurum, nec non jus ipſorum, defenſioni, protectioni & præſidio Domini Martini Papæ ante dicti, ipſiúsq; Sedi & audientiæ memoratæ; proteſtans, ut moris eſt, quòd ſalvum ſit mihi jus hujuſmodi* Appellationem *corrigendi, mutandi, & ſi opus fuerit de novo faciendi; proteſtans etiam, quòd quàm citò ſecurè potero, aut præfati Domini mei poterunt, & ipſis ſecu-*

rus

tus patebit acceſſus, quòd dictam Appellationem ſæpè dicto præten-ſo ArchiEpiſcopo, intimabo, aut Domini mei intimabunt & inſinu-abunt, ac intimare & inſinuare procurabunt: petens mihi nomine procuratorio, quo ſupra, de hujusmodi Appellationis *interpoſitio-ne & publicatione, omnibúsq; alijs & ſingulis ſupraſcriptis, per te Notarium publicum infra ſcriptum confici unum vel plura, publicum inſtrumentum, vel publica inſtrumenta &c.*

Tenor autem dictarum litterarum præfati prætenſi ArchiEpi-ſcopi, de quibus ſuperiùs ſit mentio, ſequitur & eſt talis.

NosConradus DeiGratiâ S.Prag. Eccl.ArchiEp.&c.

Et hæ erant ſigillo ipſius Conradi currenti rotundo, de cerâ rubea impreſſo ſigillatæ: in cujus ſigilli medio imago S. Wenceslai ſtans armis bellicis induta, & ex utraque parte ejus-dem imaginis, unus clypeus: à parte dextra clypeus Eccleſiæ Prag. & à parte ſiniſtra clypeus Conradi patrimonialis, in quo hircus ſculptus videbatur, literæ verò circumſtantiales erant tales: S. Conradi Dei Gratia ArchiEpiſcopi Pra-genſis.

Tandem ad eligendum novum ArchiEpiſcopum Prælati & Canonici Metrop. animos ac ſtudium omne converterunt: & quia hinc inde diſperſi, in unum convenire non poterant, ob pericula viarum, & malitiam perditiſſimorum hominum ipſis inſidiantium, in duos de gremio ſuo compromiſerunt, qui vice totius Capituli ArchiEpiſcopum eligerent. Patet id ex hoc Pu-blici Notarij inſtrumento.

Capitulares de novo ArchiEpiſcopo eligendo ſolliciti, in duos è gremio ſuo compromittunt, qui omnium nomine eligant.

Conſtituti perſonaliter Venerabiles DD. & Magiſtri, Joannes de Kralowicz Decanus Eccleſiæ Prag. & Stephanus de Stan-kow Decanus Eccleſiæ Omnium SS. *in Caſtro Prag. dictæ Ec-cleſiæ PragenſisCanonici. Expoſuerunt & exponere curârunt, quali-ter ſupponatur ArchiEpiſcopatum & Eccleſiam Prag. vacare, ex eo quòd* Conradus de Wechta, *dictæ Eccleſiæ ArchiEpiſcopus in ſe-ctas Wicleſiſtar. & Huſſit. condemnatas eſt lapſus & declinavit; prout id eſt notorium, manifeſtum. Undè cùm propter pericula & as-*

& diſcrimina viarum, & etiam paupertatem, ad locum ubi major pars fratrum Canonicorum moram trahere dignoſcuntur, & ſignanter in Olomucz, non poſſint, neq; valeant ſecurè & commodè pervenire ad Electionem futuri ArchiEpiſcopi celebrandam; meliori modo, viâ, formâ & cauſâ, quibus meliùs & efficaciùs fieri poteſt & debet, fecerunt, conſtituerunt & ordinârunt ſuos veros & legitimos procuratores, Venerabiles DD. Wenceslaum Gurim Scholaſticum Prag. & Nicolaum Ditleb de Znogma Archidiaconum Bielinenſem, Canonicos dictæ Eccleſiæ Prag. ſuos confratres abſentes tanquam præſentes, & onus hujusmodi in ſe ſpontè & liberè ſuſcipientes, ambos inſolidum, & eorum quemlibet, ipſisq; commiſerunt, quoad inſtantiam Electionis hujusmodi, totaliter mentem ſuam: dantes & concedentes ipſis, & eorum cuilibet, plenam, generalem, liberam & ſpecialem poteſtatem & facultatem nominandi, eligendi & poſtulandi, vice & nomine ipſorum, perſonam idoneam in paſtorem & ArchiEpiſcopum Prag. Eccleſiæ antedictæ &c. Et generaliter ad omnia & ſingula alia gerendi, faciendi & exercendi, quæ per ipſos Dominos Conſtituentes, ſi præſentes eſſent, poſſent in ipſo Electionis negotio fieri: promittentes prætacti DD. Conſtituentes, ſe ratum, gratum & firmum perpetuò habituros, quidquid per dictos procuratores ipſorum actum, geſtum, factúmq; fuerit in præmiſſis, & qualibet præmiſſorum, ſub obligatione & hyppoteca omnium bonorum ſuorum præſentium & futurorum; petentes ipſis depræmiſſis omnibus & ſingulis, per me Notarium Publicum infra ſcriptum, confici unum vel plura, publicum Inſtrumentum, vel publica inſtrumenta &c. Acta ſunt hæc anno, Indictione, Pontificatûs &c. horâ & loco, quibus ſupra: præſentibus &c.

Pro clariori hujus notitia, placuit apponere hanc quoque Joan. Decani, & Stephani Canonici, Budiſſinæ tunc degentium, ad cæteros ſuos Con-Fratres Epiſtolam.

Venerabilibus Dominis & Confratribus noſtris in Zittavia morantibus, Jaxoni Gynoch, Nicolao Hanslik, Nicolao Ditleb, Domino Johankoni de Duba &c. nobis ſyncerè dilectis, Canonicis præ- Circa idem ſolicitudo.

bendatis Eccleſiæ Pragenſis. Venerabiles Domini & Confratres chariſſimi. Exiſtimamus vos non latere, quendam Oſwaldum [Iſte alibi nominatur Oſwaldus de Mengerſtrewt, Magiſter in Artib. dicitúrq;, anno 1416. tertio Idus Aug. petijſſe ab Martino V. ſibi conferri Decanatum Eccl. Prag. poſt reſignationem Bohuslai de Krnovia; vel ſi id non poſſet fieri, Canonicatum ſaltèm ejusdem Eccleſiæ, poſt Joan. de Cralovicz factum Decanum. Decanatum non obtinuiſſe illum certum eſt, an Canonicatum, non conſtat.] *velle ſibi impetrare ArchiEpiſcopat. Prag. cujus notitiam communiter habent Domini Capitulares Eccleſiæ Miſnenſis & Budiſſinenſis: quod facilè poſſet nobis præjudicare, & intentionem noſtram impedire, vel ad minùs ad difficiliores exitus deducere. Ideò ego M. Joannes, & Stephanus, deliberavimus præſentibus ſcriptis ſub ſigillis noſtris, & ſubſcripſimus; damusq́; & concedimus, in vos omnes confratres Capitulares Canonicos præbendatos Eccleſiæ Prag. jus & poteſtatem, authoritatem abſentis tanquàm præſentis, ut in abſentia noſtri tanquàm præſentia, nomine noſtro, & cujuslibet noſtrûm, plenâ auctoritate & poteſtate, cum alijs Dominis Capituli Prag. poſſitis & valeatis eligere, conſtituere & facere cum pleno mandato, M.* Wenceslaum Gurim Scholaſticum Prag. & D. Nicolaum Ditleb Archidiaconum Bielinenſem *procuratores in ſolidum; ut vacante Sede ArchiEpiſcopatûs Prag. poſſint ac valeant eligere, vel optare perſonam idoneam, in ArchiEpiſcopum Prag. modo, vijs melioribus & expedibilibus juri conſonis, idq; In nomine Patris & Filij & Spiritus S. amen. & coram Notario authentico, præſertim Wenceslao Mnyskone hac agatis, cui fidem faciatis ſcriptis, ſigillis & ſubſcriptionibus noſtris, ac ſi adeſſemus præſentes. Pro alijs, ad dirigendum Dominum Nicolaum Micolaſkonem,* Matthiam de Biela *confratrem chariſſimum veſtræ diſcretioni committimus &c. Datum in Budiſſin, in Feſto SS. Martyrum Gervaſij & Prothaſij, die 19. menſis Junij, noſtris ſubſecretis. Confratres veſtri, Joannes de Kralowicz Decanus Eccleſiæ Prag. M. Stephanus Decanus Eccleſiæ Om. SS. &c.*

Nec

Nec multo poſt, electus eſt interim in Adminiſtratorem ArchiEpiſcopatûs Pragenſis in ſpiritualibus & temporalibus Joan. de Praga Epiſcopus Olomuc. & Litomiſslenſis, Vir ſupra togæ & ordinis ſui opinionem fortis & impavidus; de quo in Cathalogo Epiſcoporum Olomuc. Elogium hoc videre eſt: *Hic non Pontificem modò geſſit, ſed fortiſſimum & militem & Impemtorem, hæreticorum copijs ipſius auſpicijs ſæpe fuſis. Cùm is catapbracto etiam equo inſidens, inſtructis eorum aciebus identidem occurrere haud dubitârit, ob id vulgo* Ferreus *nuncupatus.* Nemo pro illius exulceratiſſimi temporis acerbitate ac periculis, moderandæ ſervandæq; Religioni Catholicæ, vel ejus ſaltèm reliquijs, ipſo aptior videbatur: omnium idcircò votis fuit expetitus, quòd is crederetur utiliter ſecuréque præfuturus. Et ea ſanè erant tempora, ut Eccleſiarum Paſtores, ad arcendas inhiantium ſacris poſſeſſionibus & animabus inſidias, non tam pedo imbelli, quàm ferro armatáque pietate indigerent. De hac Electione extant literæ.

Joannes de Praga Epiſcopus Olomuc. & Litomiſsl. in Adminiſtratorem ArchiEpiſcopatûs Prag. eligitur.

Nos Joannes de Kralowicz Decanus, Stephanus de Stankow, Jaxo Gynoch de Nova Plſna, Nicolaus Hanslik, Wenceslaus de Praga, *Johanko Ortel de Praga, Johanko de Duba, Nicolaus de Znoyma, & Raczko de Bierzkow Pragenſis Eccleſiæ Canonici, pro tunc in Zittavia congregati. Notum facimus tenore præſentium Univerſis. Quòd poſtquàm ex quadam charta præſentata accepiſſemus, qualiter nonnulli confratres noſtri, & Domini Canonici dictæ Eccleſiæ Prag. tunc in Olomucz conſtituti, ab obedientia Conradi prætenſi ArchiEpiſcopi Prag. qui eſt lapſus in hæreſim condemnatam Wicleſiſtar. & Huſſit. prout ex literis ipſius, quas per diverſas Civitates & loca direxit, conſtat evidenter, receſſiſſent, & ſeſe ab obedientia ipſius abſtraxiſſent, ac R. in Chriſto P. & D. Joannem Epiſcopum Olomuc. pro Adminiſtratore in ſpiritualibus & temporalibus elegiſſent. Nos dictis fratribus noſtris conformare volentes, ſimiliter ab obedientia dicti Conradi de Wechta prætenſi ArchiEp. noſtro & aliorum Confratrum abſentium, ac totius Cleri nomine recedentes cum effectu, præfatum Dominum Joannem Epiſcopum Olomuc. citra revocationem, Adminiſtratorem per nos in Diœceſi*

Electionis factæ publicatio

propter Cleri & populi faciliorem expeditionem, conſtituentes & deputantes, dudum meliori modo & formâ, quibus meliùs de jure potuimus & poſſumus, in Adminiſtratorem dictæ Eccleſiæ Prag. conſtituimus & ordinavimus, & præſentibus, noſtro & aliorum Confratrum noſtrorum abſentium nomine, conſtituimus & ordinamus. Dantes & concedentes eidem Domino Epiſcopo Olom. plenam, liberam & omnimodam poteſtatem, & facultatem eandem Eccleſiam Prag. cum ipſius bonis & juribus, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtrandi, regendi & gubernandi, & alia omnia, circa hujusmodi Adminiſtrationis officium neceſſaria, gerendi, exercendi & faciendi, quæ verus & legitimus Adminiſtrator habere poteſt, & habet de jure; rogantes & humiliter deprecantes præfatum D. Epiſcopum, Dominum noſtrum gratioſum, quatenùs nobis & Eccleſiæ Pragenſi deſolatæ, tanquàm pius Pater paternè compatiendo, hujusmodi Adminiſtrationis officium gratioſè ſuſcipere dignetur, exercendo illud, prout ſibi & eidem Eccleſiæ videbitur utiliùs & meliùs expedire; & hoc tamdiu, quousq; Dominus noſter Papa de ipſa Eccleſiâ Prag. duxerit providendum; in quo Sanctiſſimo, per hujusmodi conſtitutionem Adminiſtrationis, nolumus in aliquo derogare. Et licet dudum libenti animo hujusmodi conſtitutionem Adminiſtrationis antedicto D. Epiſcopo intimâſſemus, & direxiſſemus in ſcriptis, prout etiam nuncios certos ad hoc faciendum expedivimus; tamen quod propter pericula & viarum diſcrimina, tales nuncij ad dictum D. Epiſcopum ſecurè pervenire non potuerint hucusq;; ideò proteſtamur præſentibus, quòd hujusmodi mora non ſtetit per nos, ſed potiùs per impedimenta diverſa occurrentia. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes fieri, & ſigilli Capituli minoris appenſione juſſimus communiri. Datæ Zittaviæ, anno 1421. Die 21. Julij.

Conradus Ex-ArchiEp. in hæreſi perſeverat,

Interea Conradus Ex-ArchiEpiſcopus inſtaurandæ, ac in meliùs reformandæ Religionis prætextu, Synodum Pragæ, ùt refert Cochlæus, & nos paulo ante mentionem ejus fecimus, maximo ex univerſis Bohemiæ & Moraviæ tractibus hominum concurſu habuit; in qua Statibus acatholicis, & ab ijs inſtituto Huſſiticæ religionis Conſiſtorio, ſigillum officij contulit, & juris.

riſdictionem confirmavit *(o)* Alia ejuſdem Synodi Acta videantur apud eundem Cochlæum lib. 5. ad an. 1421. Eodem anno, die 25. Decembris Conradum Raudnicij obijſſe ſcribit *Procop. Lupacius*. *Cochlæus* poſteriùs vitâ functum memorat, dum ait: *anno 1423. obijt in caſtro Helſenburgenſi, infelici morte, Conradus ArchiEp. Prag. qui in Huſſitarum hæreſim lapſus, perfidiæ pœnas non diu potuit effugere.* *Theobaldus* de bello Huſſit. cap. 60. diem mortis ipſius habet VIII. Id. Auguſti, anno 1426. Ego invenio vixiſſe adhuc anno 1427. in Decembri *(p)* imò anno 1430. *(q)* adeóque puto omnino mortuum an. 1431. die & menſe, quem habet Lupacius. moritur an. 1431.

Cæterùm Joan. Epiſcopus Olom. â Metrop. Collegio Prag. in Adminiſtratorem ArchiEpiſcopatûs Prag. legitimè electus. & â Sede Apoſtolica confirmatus, ut, quantùm viribus & induſtriâ in ea perturbatione rerum, valeret, voto & deſiderio illorum, qui ipſum tam propenſis animis in Adminiſtratorem elegiſſent, ſatisfaceret, & Religionem Catholicam ſupra alias belli civilis, belli atrociſſimi clades, gliſcentibus indiès contrariæ partis & factionis injuriis expoſitam, & jam penè oppreſſam, alicubi ſaltèm conſervaret; ipſe verò officio ſuo immediatè fungi, Diœceſim ſibi concreditam viſitare, atque ita præſentibus malis remedium per ſe ferre nequaqam poſſet, armatâ hæreſi per univerſum Regnum, & jam per Moraviam quoque vicináſquè Regno provincias, crudelem in modum ſæviente, & per obvia quæque, potiſſimùm verò loca ſacra, ferro, cædibus, rapinis, incendijs, luctu, cadaveribus, cruore & alijs malorum generibus, quæ dici aut excogitari poſſunt, incredibili impietate graſſante; ita ut tandem, neque domi ſuæ â maleficioſiſſimorum hominum audaciâ, ſatis ſecurus, ad vim vi repellendam arma corripere, & ſe ſuóſque ferro tueri cogeretur; *(r)* Locò ſui Joan. de Kralowicz Decanum, & Iohankonem ſeu Ioan. de Duba

Joannes Epiſcopus Olom. etiam â Sede Apoſtolica in Adminiſtratorem ArchiEp. Prag. confirmatur:

(o) *Petrus Codicill. apud VVeleslaw. in Cal. Hiſt. ad 7. Julij. Stransky Reip. Boh. c.*
(p) *MS. Archivi Capitul. Litteræ Conradi ExarchiEp. Prag. ſuper oppignorat. pagi* Wořowice/ *datæ in caſtro Raudnicz an. 1427. Dominicâ poſt feſtum S. Luciæ V. & Mart.* (q) *Paprocius* ô Stawu Panſkým w Čzechách *cap. 16.*
(r) *Mars Morav. lib. 2. cap. 5.*

Vicarij ipſius conſtituti Joannes de Kralowicz Decanus, & Johanko de Duba Canon. Prag.

ba Canonicum Eccleſiæ Prag. Zittaviæ commorantes, viros jam antea in Fide, & Sanctæ Sedis obſervantia probatos, & ſcientiâ juris præ alijs eminentes conſtituit, ijsque Clerum & Populum Bohemicum in Catholicæ Religionis obſequio conſtanter perſiſtentem, ſummo Vicariæ poteſtatis jure in ſpiritualibus regendum commiſit.

Joan. Epiſcop. Olom. fit Cardinalis.

moritur anno 1430.

Nec multò poſt, anno ſcilicet 1416. ob ſua inſignia merita, egregiáque facta, pro Eccleſia & Catholica Religione magnis laboribus ſuſcepta, multóque ſudore, nec ſine manifeſto aliquoties vitæ periculo exantlata, â Martino V. Pontifice Maximo, in numerum Sacr. Rom. Eccleſiæ Cardinalium, ſub titulo S. Cyriaci in Thermis, eſt adſcitus. Obiit demum Strigonii in Hungaria, anno 1430. die 9. Octobris, Vir ſanè incomparabilis, & memoriâ æternâ digniſſimus.

Ejus ſucceſſor Conradus Baro de Zwole Moravus.

Succeſſit illi in Olomucenſi Sede Conradus, alio nomine Cuntzo Baro de Zwole, illuſtri ac vetuſtiſſimâ in Moraviâ Familiâ natus, Præpoſitus Olomucenſis, Canonicus Pragenſis, Juris Canonici Doctor, & Cauſarum Sacri Palatii Apoſtolici Auditor, â Capitulo Pragen. etiam in Adminiſtratorem ArchiEpiſcopatûs Prag. ritè electus, & ab Eugenio IV. qui Martino V. defuncto ſucceſſerat, approbatus. Vicarios, ùt vocant, Generales in Bohemia eosdem, quos defunctus inſtituerat, retinuit; mortuo demum Joanni de Kralowicz anno 1431. Simonem de Nymburga Archidiaconum Boleslav. Canonicum Pragen. virum & literis & morum probitate clarum ſubſtituit.

Sed anno 1434. dum Sigismundum Imp. Baſileâ, poſt reconciliatum Concilij Patribus Eugenium IV. in Hungariam ſecundo Danubio reducem comitatur, Ulmæ die 8. Julij moritur.

Canonicorum in exilio toleratæ ærumnæ & calamitates

Ad noſtros Capitulares tam Prælatos & Canonicos, quàm alios Metropol. Eccleſiæ Miniſtros redeo, qui toto illo quatuordecim annorum ſpatio, quo Regnum, cujusvis etiam ſceleratiſsimi injurijs expoſitum, diro atque atroci flagrabat bello, multiq; è peſsimo ſerviliq; genere ac fæce hominum collecti, ideóque licentiâ effrenes, palam in ſacra & profana ſæviebant im-

impunè, cuncta rapinis ferro & igne permiſcentes; nuſpiam in Patria tuti, ſed per varia diſperſi, caſibus & infortunijs multis jactati, exules, egentes & vagi, calamitates & miſerias ingentes pertulerunt: imò cordatiores aliqui pro SS. Religione Fidéque Catholica, vitam etiam ipſam impendere non dubitàrunt: uti M. *Wenceslaus de Praga, Matthias de Biela* Canonici, & *Peregrinus* Vicarius Eccleſiæ Prag. qui cum *Paulo Canonico Melnicenſi, Paulo* item *plebano in Wiſoka*, & alijs multis Sacerdotibus & Clericis, anno 1426. die 16. Junij vel ſequ. in communi illa oppidi Auſtenſis ad Albim ſtrage, ab execrabili Huſſitarum rabie, vel ferro conciſi, vel flammis extincti perierunt. (r) Quam miſerandam ſortem, ſed pulchram pro Chriſto mortem, ab ijsdem in Lubnæ (civitas eſt una è ſex præcipuis Luſatiæ ſuperioris) excidio, anno ſequenti, die 16. Maij ſubierunt, *M. Joannes de Launa* Canonicus medius Præbendatus Eccleſiæ Prag. *Andreas de Jablonna, Procopius & Marcus* ejusdem Eccleſiæ miniſtri, cum alijs multis in templo Parochiali, dum poſt Pſalmos Davidicos, Officij fortaſſe illius diei, *Regina Cæli* decantarent, omnes ad unum trucidati. (s) Item *Paulus Ribka* & *Wenceslaus Paſſer* Altariſtæ ejusd. Eccl. Prag. una cum *Georgio Tobiaſſek*, & *Joanne Wlczek* de Litomerzicz, in pago Libochowicz ab ipſo Zizka anno 1424. in feſto S. Georgij combuſti. (t) Ut alios taceam, qui alibi in perditiſsimorum hominum inciderunt manus, & quorum nomina Majores noſtri poſteritati commendare neglexerunt.

Aliqui etiam Martyrio coronati.

Qui ſacris Adminiſtratorum locò præerant, (quorum paulò ante meminimus,) Zittaviæ ut plurimùm ſtationem habebant, quòd cives, quotiescunque ab Huſsitis periculum ingrueret, auro ſibi ſuisq; rebus ſecuritatem comparabant; qui etiam ipſos liberali hoſpitio fovere, ac omnibus charitatis officiorúmque generibus proſequi non intermittebant. Hinc illorum Acta, quæ potiſsimùm in Libro XIII. Erectionum recenſentur,

Zittavia civitas in Luſatia Canonicorum aliorúmq; Catholicorum exulum receptaculum.

(r) *MS. Epiſt. Joannis Decani ad Johankon. de Duba data in Monaſt. Owin. an. 1426. die 26. Julij.* (s) *MS. Epiſt. ejusd. ad Joan. Epiſc. Olom. & Card.* (t) *MS. Anon. in Hiſt. Huſſitar. ad an. 1424. author coæv.*

ſentur, non alibi, per omnes illos triſtiſsimi calamitoſiſsimiq; temporis annos, niſi Zittaviæ data & actitata invenio: in quibus ſubinde, cum ſingulari præfatione honoris, fit mentio Adminiſtratorum. Exempli gratiâ: *Joannes de Kralowicz Magiſter in Artibus, & Baccalaureus in Decretis, Decanus; & Joanko de Duba, Canonici præbendati Eccleſiæ Pragenſis, Vicarij in Spiritualibus ArchiEpiſcopatûs Prag. per R. in Chriſto Patrem Dominum Joannem Epiſcopum Olomuc. Adminiſtratorem dicti ArchiEpiſcopatûs à Sede Apoſtolica confirmatum, conſtituti &c.* datum & actum Zittaviæ an. 1422. die 18. April. Item ibid. an. 1423. die 29. Martij, die 10. Junij. 21. Septembr. 16. Decembris die 22. ejusdem. Item datum Zittaviæ in Monaſterio SS. Petri & Pauli Apoſtolor. Ord. Fratrum Minorum. an. 1424. Indict. 2. die 4. Ianuarij, die 8. Martij. An. 1425. die 25. Septembr. Anno 1426. die 10. Iunij. Hucusque non invenio ullibi eundem Ioann. Epiſcop. Olomuc. nominari Cardinalem. Anno verò 1427. & ſeqqu. *Nos Joannes de Kralovvicz* Decanus *Eccleſiæ Prag. & Joanko de Duba Canonici præbendati dictæ Eccleſiæ Prag. Vicarij in Spiritualibus ArchiEpiſcopatûs Prag. Rmi. in Chriſto Patris, Domini Joannis miſeratione Divinâ titulo S. Cyriaci Presbyteri Cardinalis, Pragenſis & Olomuc. Eccleſiarum Commendatoris, &c.* Datum Zittaviæ 1427. die 8. Februarij. Anno 1428. die 13. Martij. die 18. Iulij. die 24. Novembr. anno 1429. die 1. Martij, die 22. Auguſt.

Vicarij Adminiſtratoris Joann. Epiſcopi Olomuc.

& Cardinalis.

Deinde ad an. 1431. Fer. VI. ante Feſtum S. Martini fit mentio, *Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Cunczonis divinâ favente clementiâ Olomuc. Eccleſiæ Epiſcopi, Adminiſtratoris in ſpiritualibus & temporalibus Archiepiſcopatûs Pragenſ s.* Anno 1432. & ſeqqu. Item Anno 1434. *Nos Simon de Nymburga Decretorum Doctor, ArchiDiaconus Boleslav. in Eccleſia Pragen. & Joan. de Duba Canonici Eccleſiæ Prag. Vicarij in ſpiritualibus ArchiEpiſcopatûs Prag. generales, à Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino Domino Cunczone Dei gratiâ Epiſcopo Olomuc. Prag. Eccleſiæ & ArchiEpiſcopatûs Adminiſtratore à Sede Apoſtolica conſtituto, deputati &c. Datum & actum Zittaviæ an. 1434. 28. April.*

Vicarij Adminiſtratoris ArchiEpiſcopatûs Prag. Cunczonis.

Dein-

Deinde anno 1435. *Simon de Nymburga & Joanko de Duba Canonici Eccleſiæ Prag. Adminiſtratores in ſpiritualibus ArchiEpiſcopatûs Prag. Sede vacante, per Venerabile Capitulum Pragen. conſtituti. Item anno 1436. dat. Zittaviæ.* Anno verò 1436. in collatione Præpoſituræ Eccleſiæ S. Petri Collegiatæ in Melnik, per mortem Sigiſmundi Præpoſiti vacantis, Domino *Wilhelmo filio Nobilis & Generoſi Domini Joan. de Riſmberg aliàs de Swibow. Nos Joan. de Duba Decanus Eccl. Prag. & Simon de Nymburga decretor. Doctor, ArchiDiaconus Boleslav. & Canonici præbendati in dicta Eccleſia Prag. Adminiſtratores in ſpiritualibus ArchiEpiſcopatûs Prag. Sede Vacante, auctoritate juris nomine Capituli deputati &c. Dat. in dicta Eccleſia Prag. anno 1436. Indict. XIV. die VII. Novembr. horâ quaſi tertiarum.* Et iterum ad annum 1437. *Nos Joanko de Duba Decanus Eccleſiæ Prag. & Simon de Nymburga decretorum Doctor, Præpoſitus S. Apollinaris Pragæ, & Archidiaconus Boleslav. in eadem Eccleſia Pragen. ipſius Eccleſiæ Canonici præbendati, Adminiſtratores in ſpiritualibus ArchiEpiſcopatûs Pragenſis, Sede vacante, auctoritate juris per Capitulum dictæ Pragenſis Eccleſiæ conſtituti &c. Datum Pragæ an. 1437. die 23. Junij.*

Adminiſtratores ejuſd. ArchiEpiſcopatûs ipſimet CanoniciEccl. Prag.

Ex hiſce poſterioribus Actorum fragmentis patet, poſt Huſſitarum diſturbia, pacatis utcunque in Bohemia rebus, per Sigiſmundum Imp. & compactata Synodi Baſilienſis, Prælatos & Canonicos Metropol. Pragam poſtliminiò reverſos, anno 1436. jam in poſſeſſione ſuæ Eccleſiæ fuiſſe; licèt ſupra modum orbatæ, & omnibus penitus Bonis, poſſeſſionibus, fundis, reditibus, quos profani homines, non ſine inexpiabili & deteſtanda rerum divinarum injuria fecerunt ſuos, ſpoliatæ. Unde Imperator ipſe, cultum divinum, & honorem Sanctorum Patriæ Tutelarium, in eadem Eccleſia inſtaurare cupiens, ſuſtentationi illorum, ſicut & aliorum inferiorum Miniſtrorum, de Camera ſive Ærario ſuo regio providere, ùt alibi jam memoravimus, (*) neceſſe habuit.

Canonici Pragam revertuntur.

* Rad. II.

Nec multo poſt, novum ac triſte in Eccleſia divortium exortum eſt: mortuo námque Sigiſmundo Imp. an. 1437. die 9.

Schiſma novū in Eccleſia, inter Pontificem & Concilium Baſilienſe.

Decembr. qui inter Pontificem Eugenium IV. & Synodum Baſilienſem erat, veluti medium concordiæ pignus; cùm aliquamdiu ſcriptis & Bullis ultro citróque certâſſent Pontifex, & Baſilienſis Synodus, illo Ferariam Baſilienſes ad Concilium evocante, his verò refragantibus; & jam etiam diris atque execrationibus ſeſe invicem impeterent: Baſilienſes tandem irâ & indignatione plus juſto abrepti, contra Eugenium ſententiam tulerunt, quâ illum ſupremâ PaſtoralisOfficij dignitate privatum declarârunt; ſurrogato in ejus locum Amadeo Sabaudiæ Duce, qui ſe Fælicem V. nominavit. *Qua ex re, graviſſima exorta ſunt in Eccleſia DEI ſcandala,* (verba ſunt Joann. Cochlæi Decani Wratislav.) *& animarum pericula: dum pars Chriſtianorum pareret Eugenio, pars Fælici, pars neutri. Mittebantur ab utraq; parte per Orbem mandata &c.* Capituli Pragenſis hic iterum enituit, erga legitimam Eccleſiaſtici Ordinis poteſtatem, immota fides. Aderant quidem nonnulli è Capitularibus huic Synodo, primis annis, ùt inſinuat ipſiusmet Synodi Bulla, quâ optiones Præbendarum in Eccleſia Prag. pridem conſuetas, & à Bonifacio VIII. publicâ lege approbatas, (*u*) ratas habet; ita videlicet, ut ſeniores Canonici gradatim poſſint, ſi velint, meliores Præbendas, dum vacant, per ſe, vel per alium optare; hoc eſt ſuas inferiores deterioréſque cum melioribus & dignioribus vacantibus permutare; in qua id habetur expreſſum: *Volumus & Auctoritate Univerſalis Eccleſiæ, tenore præſentium decernimus, illos ex Canonicis Eccleſiæ præfatæ, quibus Præbendarum earundem, quæ tempore diſturbij hujusmodi vacaverant, & vacant ad præſens, optiones juxta conſuetudinem & ſtatuta memorata competebant & competunt, ſingulos videlicet eorundem, qui apud dictam Eccleſiam per ſe ipſos, & qui apud Nos conſtituti, & Sacræ Congregationi noſtræ incorporati fuerunt, per ſuos ad hoc ſufficienti mandato ſuffultos Procuratores, ad optandum ſingulas, juxta ſtatuta & conſuetudines ſibi debitas Præbendas, intra certum eis ad hoc per Decanum & Capitulum ſtatuendum terminum*

Optiones Præbendarum in Eccleſia Pragenſi.

(u) *Boniſac. VIII. in cap. ultimo de conſuetud. lib. 6.*

minum competentem, admittendos fore &c. Dat, Baſiliæ IV. Cal. Julij an. 1437.

Poſtea tamen, ubi animadvertiſſent à Patribus, in Sedis Apoſtolicæ contemptum, & contra Papam legitimè Electum, confirmatum, & ab omnibus populis Chriſtiani nominis pro legitimo Petri ſucceſſore agnitum, pleráque attentari, ſaluberrimo ducti conſilio, ſubtraxerunt ſeſe, & domum redierunt.(*x*)

Capituli Prag. in eo Eccleſiæ divortio circumſpecta prudentia;

Nec impoſterum quicquam valuêre apud Capitulum, ejusdem Synod, utpote jam palam exorbitantis Monitoriæ; nec Bullæ, ut ajunt, plumbatæ, Eugenium loco motum, & aliæ Fœlicem electum & ſolenni ritu inthronizatum ſignificantes, quæ hodiéque in Archivo habentur: ſed neque comminatoriæ, tametſi in dirarum fulmen deſituræ exiſtimarentur. Ultimò officioſâ legatione Capitulum tentari placuit, ſi vel hâc viâ in partes ſuas reduci poſſet. Miſſi itáque in Bohemiam Chriſtianus Regino-Hradecenſis Bohemus, Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri Brunæ Olomucenſis Diœceſis Præpoſitus, (hunc ex primis Quatuor viris à Concilio pro Electione novi Pontificis deputatis, unum fuiſſe refert Æneas Sylvius, tum etiam Baſileæ præſens, & in eodem Concilio priusquàm errores ipſius cognoviſſet, primùm ſcriba, deinde literarum Apoſtolicarum abbreviator, ac tandem Duodecim Vir, qui Magiſtratus in eo conventu Cenſorius habebatur; aitq; (*y*) fuiſſe *recti Judicij & conſtantis animi virum*) Hieronymus item Cathedralis Eccleſiæ Olomuc. Præpoſitus, & Marcus Bonfilius, magnæ ſanè intelligentiæ viri, multáque in rebus Concilij hucusque geſtis experientiâ triti; & duo quidem primi, *Bohemis natione* juncti. Lubet hic apponere literas commendatitias, quas Credentiales vocant, ijsdem Oratoribus à Fœlice ad Capitulum Prag. datas: *Fœlix Epiſcopus Servus Servorum DEI. Dilectis filijs Capitulo Eccleſiæ Prag. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Habentes ſingularem affectionem ad inclytum Regnum Boëmiæ, & Marchionatum*

Legitimo Pontifici Eugenio IV. conſtantiſſimè adhæret

Mittuntur à Concilio & Pſeudo-papa Fœlice ad Capitulum Pragenſe Legati, qui illud in ſuas traducant partes:

dantur etiam ad Capitulum litteræ Fœlicis, & Concil.

(x) *MS. Acta Capituli ad an. 1437. & ſequ. conſcripta à Procopio de Kladrub Canon. & Decano Prag.* (y) *Æneas Sylv. de geſt. Baſil. Concil. lib. 2.*

tum Moravia, ſumméq; cupientes illarum partium tranquillitatem & pacem, mittimus ad veſtras devotiones, dilectos Eccleſiæ filios Chriſtianum Grezreginæ, Marcum Bonſilij Magiſtros, ac Hieronymum Præpoſitum Olomucenſem in Theologia Baccalaureum, Decretorum Doctorem, Sacri Baſilienſis Concilij & noſtros Oratores, ſuper nonnullis gravibus negotijs, ſtatum Univerſalis Eccleſiæ & noſtrum, ac præfatorum Regni, & Marchionatûs commodum & bonum concernentibus. Ideóq; Devotiones ipſas hortamur, quatenus eiſdem, vel duobus ex ipſis, in dicendis noſtro nomine, plenam præſtantes fidem, ſic velitis in agendis eiſdem aſſiſtere, quòd veſtra exinde probitas, & devotio apud Baſilienſe Concilium, & Nos, meritò debeat commendari; vóſq; exinde à retributore copioſo bonorum omnium Deo, condigna præmia conſequamini. Dat. Baſileæ X. Cal. Decembr. Anno 1441. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo. Infra ſubſcriptum legitur nomen: *Eneas*, quod ego Æneæ Sylvij eſſe reor, qui tunc Fœlici à ſecretis erat, propriâ ipſius manu appoſitum.

Verùm, Capitulo legitimi Papæ authoritas fuit major,

Ejusdem tenoris fuêre ab ipſa Synodo Baſilienſi, ad Decanum & Capitulum Pragenſe datæ. Nihil tamen hâc officioſiſſimâ legatione motum Capitulum, legitimo Pontifici conſtanter adhæſit; à quo etiam inter alia iſtud conſtantiæ ſuæ præmium tulit, quòd ex conceſſione ipſius ſpeciali data Romæ an. 1442. Calend. Julij, Bona reſidua & fructus menſæ ArchiEpiſcopali ante hac pendi ſolitos, in ſuum uſum convertere licitè potuerit. Quod idem Nicolaus V. Eugenij ſucceſſor, an. 1448. Pontificatûs ſui ſecundo, confirmavit.

CapituliPrag. vigilantia, ne Rokyczanus hæreticusHuſſita confirmaretur in Archi Epiſcopum.

Anno 1446. initio menſis Novembr. Conventus Ordinum Bohemiæ, & legatorum è Provincijs Coronæ Regni unitis, Pragæ celebratus eſt: in quo poſt aliquot dierum deliberationem, hæc duo imprimis conſtituta; ut mitterentur legati ad Pontificem & Imperatorem; ad illum, Joannis Rokyczani in ArchiEpiſcopum Prag. confirmandi & conſecrandi gratiâ; ad hunc, Ladislai Regis reſtituendi cauſâ. Romæ, quo minùs legatio ſuum ſortiretur effectum, obſtitêre Capitulares Metrop. neque enim expediebat, publicum Eccleſiæ Romanæ hoſtem, & manife-

nifeſtum hæreticum in ArchiEpiſcopum confirmare, & non Paſtorem, ſed lupum fidelibus Chriſti oviculis præficere. Coævus illius temporis ſcriptor, & è Calixtinis haud poſtremus, in (z) MS. Chronico Boh. ad annum 1446. de hoc memorat hiſce: *Comitia Pragæ habita, ut illa, de quibus in conventu Peldrzimovenſi convenire non poterant, feliciori tandem eventu terminarent. Actum ut plurimùm de Rege & ArchiEpiſcopo, deputati legati, qui ad Imperatorem, & alij qui ad Pontificem mitterentur. Requiſiti etiam Capitulares arcenſes, ut litteris Baronum & aliorum Romam mittendis, ſua quoq; nomina & ſigillum Capituli apponerent: ſed noluerunt, excuſantes ſeſe, quod pauci eſſent, & abſq; ſcitu aliorum id facere non poſſent: unde exortum eſt contra illos murmur in populo, & indignatio graviſſima.*

Anno 1447. famâ percrebruit certâ, monachum quendam, qui à Pragenſibus Canonicis miſſus fuerat Romam cum litteris, ne Rokiczana in ArchiEpiſcopum confirmaretur, in Bavariæ finibus fuiſſe captum. Eodem anno poſt feſtum Epiphaniæ, legati Bohemorum, Henricus de Straz, Albertus de Kolowrat, Joannes de Malowecz, & Matthias de Chlumczan ad Imperatorem profecti ſunt; & paulo poſt, alij Romam; Hi cognitâ ex itinere Eugenij Papæ morte, Romam tamen pervenerunt, & Nicolao ejus ſucceſſori poſtulata Bohemorum propoſuerunt. Sed invanum, eò quòd litteræ Capitularium Prag. ſuadebant Pontifici contrarium.

Quietiores interea res à domeſticis tumultibus in Bohemia fuêre, Maynhardo de Nova-Domo ſpectatæ prudentiæ, magnanimitatis, fidei & authoritatis viro, ac vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimo, Regni gubernatore, (Ladislaus enim Alberti Imp. & Bohemiæ Regis filius poſthumus, & Sigismundi Imp. ex Eliſabetha unica filia nepos, Rex Bohemiæ deſignatus, non dum per ætatem Regno adminiſtrando erat idoneus) de omnibus, quæ ad ſtabiliendam conſervandámque domi pacem facerent, diligenti curâ proſpiciente: niſi paulo pòſt novi circa

Meynhard. de Nova Domo Regni Gubernator, fautor Capituli.

(z) *MS. Przibyk. de Radonin Magiſtri Scholæ ad S. Ægidium Pragæ Chron. Boh. ad an. 1446. & ſequ.*

ca religionem motus, qui nonnihil conticuiſſe videbantur, ſubitò exorti, Reipub. tranquillitatem, potiſſimùm verò Capituli ſenſim refloreſcentis quietem, non mediocri invectoq; malorum turbine, agitare ac perturbare cæpiſſent; dum Joann. Rokytzanus, ſic ab oppido Rokytzana natali ſolo dictus, Huſſitarum coryphæus, homo inquies, & non tam ingenio, quàm linguâ ac verbis validus, & facundus malo publico, nihil jactatæ jam antea, tot maximis incommodis & periculis patriæ charitate permotus, Huſſiticæ factionis ſtudia, majore quàm aliàs unquam conatu viriúmque contentione, refricanda atq; amplificanda ſuſcepit. Tametſi autem ille boni publici cauſâ, promovendæque ſecundùm compactata Baſilienſia Religionis, laborare videri voluerit, re tamen verâ eò contendebat, ut Maynhardo Catholicæ Religioni unicè dedito in ordinem redacto, & in ejus locum Georgio Barone Podiebradio ſuæ farinæ homine ſurrogato, ſibi ad conſequendum ArchiEpiſcopalis dignitatis faſtigium certiora præſidia compararet, traductâ jam pridem in ſuas partes potioris nobilitatis ac popularium hominum, maximè verò civium Pragenſium voluntate. Cui rei perficiendæ, omnem operam, omnéque quod poterat ſtudium aſſiduè impendebat. Et illud quidem effecit negotio haud difficili, ut Maynhardo dolo & vi oppreſſo, in carcerem arcis Podebradenſis conjecto, ac brevi non ſine ſuſpicione propinati veneni extincto, anno 1448 die 3. Febr. Georgius ſubſtitueretur: alterum tamen, ut in ArchiEpiſcopum conſecraretur, licèt id ſummis votis expeteret, obtinere nequaquam potuit.

Georgius à Podiebrad Huſſitarum fautor

Meynhardo per inſidias oppreſſo, fit Regni Gubernator.

Hunc in modum ſublato Catholicorum unico, eóque validiſſimo præſidio Maynhardo, recrudeſcentéque hæreſi ac prævalente ejus dominatu, Prælatos & Canonicos Metrop. Prag. adverſa multa ſuſtinuiſſe, ex eorum Actis fideliter conſcriptis, & poſteritati in memoriam relictis, quæ hodiéque in Archivo Capituli legimus, probè conſtat: ob id potiſſimùm, quòd varijs modis tentati, & à Rokytzano Podiebradióque multoties ſolicitati, ut electioni ArchiEpiſcopi Pragenſis à Statibus acatholicis in perſonam Rokytzani factæ ſubſcriberent, aſſentiri nullo

Canonicorum Prag. quòd in electionem Rokytzani cōſentire nollēt,

nullo modo voluiſſent. Uterque hic nihil intentatum reliquit, quò illos tandem in ſuam ſententiam pertraheret, miris artibus animos illorum oppugnando, privatim ſingulos prehenſando, adeundo, hæc & illa pollicitando; jam blando comique alloquio, jam precibus & prece, jam apertâ clanculariâque largitione, jam aſtu & fraude agendo, ultimò etiam vim minitando. Sed in vanum omnia: res ſtetit inter minas & repulſam; nec precibus, nec ampliſſimis promiſſis, vel in minimo labefactari potuit cordatiſſimorum virorum conſtantia. Unde poſtea à Rokytzano tantò magìs irato, & quaſi in rabiem verſo plurimùm vexati multa mala ſuſtinere debuerunt; quæ tamen omnia, pro Deo & Eccleſia, Spartanâ quâdam fortitudine, citra omne faſtidium, utpote hujusmodi bolis jam aſſueti, concoxerunt. Tandem verò, cùm alijs atq; alijs gravaminibus premerentur indiès, ita ut nulla daretur afflictis requies, neq; ampliùs eſſent ferendo, rationes quoque occurrerent graves, propter quas ſtationem mutare, ad tempus expediret, Pragam deſerere, exiliúmque ſubire maluerunt. Ideóque relictis Vicarijs, ſicut & alijs inferioris ordinis Miniſtris, cum Cuſtode & Sacriſta, qui officia Divina in Eccleſia ſine intermiſſione peragerent, Plſnam commigrârunt.

tribulationes & exilium.

Quis demum fuerit in Bohemia Religionis ſtatus; Cochlæum (*a*) audiamus: *Fuit hoc anno*, nempe 1451. *gravis Pragæ peſtilentia, quæ cæpit in Quadrageſima, & duravit usq; ad feſtum S. Martini, quo tempore miserè affligebantur homines Catholici: morbo enim correpti, cùm peterent Venerabile Sacramentum Corporis Chriſti in viaticum, compellebantur per Sacerdotes Rokytzani ad Communionem utriusq; ſpeciei. Qui verò nolebant de Calice communicare, quando moriebantur, non dabatur eis ſepultura Eccleſiaſtica: nec permittebantur ſepeliri, vel circa Parochiales Eccleſias, vel in Monaſterijs, ſed efferebantur extra Urbem in locum calvariæ, ut ibi ſepelirentur ſepulturâ aſini.* Audiamus quoq; Æneam Sylv. jam tunc Epiſcopum Senenſem, (*b*) qui in Aula Frideri-

Miſerabilis Pragæ & alibi Catholicorum conditio.

Æneas Sylv. poſtea Pius II. Pontifex Max. Legatus in Bohem. mittitur.

(a) *Cochl. Hiſtoriar. Huſſit. lib. 10. ad an. 1451.* (b) *Æn. Sylv. Epiſtolar. lib. 1. Epiſtola 162.*

derici III. Imp. aliquot annis continuò verſatus, cúmque hæc in Bohemia agerentur, officio Legati Apoſtolici in eadem Aula functus, & ab Imperatore anno 1451. in Bohemiam, ad Proceres Regni Beneſſoviæ congregatos, Ladislai Regis cauſâ, Legatus miſſus, rerum Bohemicarum, ac imprimis Religionis ſtatum, habebat probè exploratum. Hic in Epiſtola ad Nicolaum V. Pontificem Max. inter alia de Bohemis refert iſta. *Interea Bohemorum legati Viennam venêre, petiverúntq; Regem, ad eos quàmprimum iter faceret, coronámq; regni acciperet: niſi hoc ageret, mutationes in Bohemia timendas dicebant. His reſponſum eſt, Regem ad Feſtum S. Michaelis iturum, priùs etſi maximè velit non poſſe, multis in Auſtria, Moraviâq; negotijs occupatum, & auro excuſſum non habere comitatum Regi convenientem: cum tempore fieri omnia. Legati, quamvis reſponſi eos tæderet, illud tamen in Bohemiam relaturos ſe promiſere. Interea fratres ſancti Franciſci, qui per Sigismundum Cæſarem poſt multas Huſſitarum clades Pragam reducti fuerant, conante Rochezanâ repulſi ſunt: Sacerdotes, ſi qui benè de fide ſapiunt, infinitis contumelijs afficiuntur: omnia in manu hæreticorum habentur, neq; illic Chriſtiana religio, póſtquàm Bohemi baptiſmum ſuſceperunt, magis unquam oppreſſa fuit, quàm modò: neque prædia, neque corpora tueri poſſunt, qui fidem Orthodoxam ſequuntur: ex arbitrio perfidi, & hominum qui vivunt ſceleratiſſimi Rochezanæ, cuncta geruntur. Ladislaus enim Rex Georgio Gubernatori poteſtatem Regni in Clericos Laicósq; conceſſit. Is verò quia Communionis labem induit, Rochezanæ quem maximè timet, nihil contradicit: temporalia ſolùm curat, ſpiritualia Rochezanæ permittit. Sic Regnum illud nobile & olim opulentiſſimum ab hæreticis ex integro gubernatur, quod ante hunc diem inauditum eſt. Quamvis enim Huſſitarum rabies primas in regno partes aliquando poſſederit, ſemper tamen aliquot civitates, atq; Barones Eccleſiæ Romanæ ritum ſervantes, extra imperium illorum manſere. Nunc omnis Nobilitas, omniſq; plebs Georgio paret: hic princeps, hic caput habetur; nec dubium eſt, quin mores dominantis imitari ſervientes ſtudeant. Inde malum ingens regno imminet, & vicinis regionibus immenſa calamitas, niſi*

Ejus de ſtatu illius temporis in Bohemia narratio.

niſi Rex Ladislaus citò Bohemiam ingrediatur, rebúsq; modum adhibeat meliorem, quod futurum multi ſperant: Ego cùm videro, tunc credam. Sed ad noſtra redeamus.

Non dum Ladislaus Regno ſolenni ritu inauguratus erat: itáque die S. Michaeli Archangelo in Eccleſia dicato an. 1453. qui coronationi ejus fuerat primùm deſtinatus, appropinquante, ſicut è Regno præcipui omnes, & ex unitis Regno Provincijs legati, ita etiam Capitulares Eccleſiæ Prag. Plſnæ, uti diximus, tunc commorantes, ad eam ſolennitatem, publico Georgij Podiebradij Regni gubernatoris programmate ſunt vocati; & hi quidem ſub interminatione indignationis Regiæ Majeſtatis, niſi parerent. Qui velut inter ſacrum & ſaxum ſtantes, diu hæſere dubij & ancipites, perplexè & cunctanter deliberando, num mandato gubernatoris parere, Pragámque ad conſtitutam diem redire deberent. Hinc enim obverſabatur in eorum animis certiſſima offenſa Regis & Procerum, ſi non comparuerint; inde verò periculum, ne per occultam inſidiantium fraudem ex itinere retracti, vel Pragæ capti, vi aliquâ, ac in virum etiam conſtantem cadente incommodi gravioris metu, Rokiczani Electionem, & alia hæreticorum placita probare cogerentur. Tanti fuit illis cura innocentiæ! Poſt multa igitur in utramque partem propoſita, & magnis conſilijs agitata, cùm tamen in ambiguo hærerent, & necquicquam certi ſtatuere ac determinare poſſent, ultimò ad conſilium Æneæ Sylvij Legati Pontificij, Græcij in Styria tum agentis confugere, illúdq; quodcunque eſſet, poſthabitis alijs omnibus, tutò amplecti & ſequi placuit. Reſponſum verò ipſius tale fuit. (*c*)

Canon. Prag. tunc Plſnæ commorantes ad Coronationem Ladislai Regis vocantur.

inſidias metuunt, & quid facto opus eſſet, in re tam ancipiti & periculoſa,

Æneam conſulunt.

Æneas &c. Decano & Capitulo Pragenſis Eccleſiæ, S. P. D. Venerabiles viri, amici honorandi. Literas veſtras accepimus, magnásq; illas mentium veſtrarum fluctuationes cognovimus, quæ vos in præſentiarum non ſine cauſa exagitant, & ſuper quibus noſtrum conſilium petitis. Reſpondebimus breviter prudentiæ veſtræ, quæ multa ex paucis comprehendere novit. Affecti fuimus ſemper

Æneæ reſponſum,

Gg *Eccle-*

c) *Libr. Epiſtolar. n. 157.*

Eccleſiæ veſtræ: utinam potuiſſemus aliquando, ùt optavimus, illi prodeſſe. Cæterùm miſſi ad partes iſtas per S.D. N. anno proximè præterito, ſperavimus etiam Bohemiam intrare, ad quam regionem Legati de Latere Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritatem habuimus, & adhuc habemus: ſed interciderunt aliqua impedimenta, propter quæ noſtro deſiderio locus eſſe non potuit; neq; nunc in his terminis ſumus, ut cum Sereniſſimo Rege Ladislao ad coronationem ejus tranſire poſſimus, niſi aliud Sanctitas Domini noſtri nobis injungeret, cujus mandatis parere cogeremur. Optaremus autem veſtri causâ id itineris aſſumere, ut vobis aſſiſtere, & veſtris rebus conſulere poſſemus. At ſi nos non veniemus, de qua re nullum mandatum habemus, forſitan alius veniet, ex diſpoſitione Romanæ Sedis, cujus directio & autoritas vobis utilior erit, quàm noſtra eſſe potuiſſet. Atq; hæc ad ea dicimus, quæ noſtrum in Bohemiam tranſitum reſpiciunt. Nunc ad conſilium, quod petitis reſpondere pergimus. Gravis & ardua res eſt, quæ vobis imminet, & major quàm per nos dirigi poſſit. Scimus vos eſſe prudentes, nec dubitamus ex duobus malis, quin id recipiatis, quod minùs poſſit nocere; tamen aliqua pro captu noſtro bonâ fide & ſyncero dicemus animo. Sanè percipimus in utramq; partem vobis imminere pericula, ſive Pragam intretis vocati, ſive recuſetis ire. Si pergitis, duo pericula inſtant: unum ne per inſidias adverſantium, in mortis aut carceris incommodum rapiamini: alterum, ne Campactatis conſentire, ac Rokizanæ electioni ſubſcribere cogamini; Magna ſunt hæc, & animi corporisq; diſcrimen in ſe habent. At ſi vocati nolitis ire, contemptus Regius opponi vobis poterit; multa contra vos dicentur, forſitan & in locum veſtrum alij ponentur, & implebitur Nobilis Eccleſia *Schismaticis & hæreticis miniſtris. Quid hic conſulamus, ſanè hæremus timemúsq; ne Scyllæ voraginibus immergamur, cupientes evitare Charybdim. Utcunq; ſit, illud nobis primâ fronte ſuadendum videtur: ſi vocat vos Regia Sublimitas, non exiſtimamus declinandum imperium, ſed petendum ſalvum conductum ad tempus non breve, quo recepto, poterunt aliqui veſtrûm intrare Pragam, ſemper aliquibus extra manentibus: invenietis apud Regem multos bonos viros, qui cauſæ veſtræ aſſiſtent, informabitis*

& Salubre cōſilium.

Con-

Conſiliarios ejus, jus veſtrum dicetis. Credimus equidem plures erunt cauſæ veſtræ affecti, quàm Rokizanæ. Neq; putamus vos compelli ad rem aliquam injuſtam, & contra ſtatum Eccleſiaſticum, dum publicæ ſecuritatis literas habebitis. Quod ſi vobis, aut de Rokizana in ArchiEpiſcopum recipiendo, aut de Compactatis amplectendis verba fiant, poteritis vos ſemper ad Dominum noſtrum Papam referre dicentes: Quòd ſine ejus ſpeciali mandato, nihil in talibus vos agere liceat, & ita vobis conſulimus. Neq; nunc aliud dicendum videtur, niſi quia rogamus, ut forti animo tentationes perferatis, quoniam virtus in adverſitate perficitur. Nos tamen hæc, quæ ad nos ſcripſiſtis, S. Domino Noſtro cuncta ſcripſimus: ſupplicavimúsq; ſuæ Sanctitati, ut de vobis veſtráq; Fidelitate *paterno more cogitet: ſperamus, aliquid ſua Sanctitas meditabitur, quod ad veſtrum ac Regni veſtri conſolationem pertineat. Nam etſi nunc ſuper rebus Græcorum afflictis multa diſponere habet, non tamen Orthodoxorum, qui ſunt in Bohemia, oblitus eſt. Chriſtus Dominus noſter vos tueatur. Valete & in Divina ſperate Miſericordia, quæ præſtò eſt cum ſynceritate ad eam recurrentibus. Datum in Gratz Stiriæ, die XXVII. Julij Anno 1453.*

Æneas ſolatur Capitulum, & benè ſperare jubet:

Idem ſcripſit Romam ad Cardinalem Firmianum, inter alia: *De Bohemia hæc ſunt, quæ cupio Sanctiſſ. Domino noſtro fieri nota. Rex Ladislaus ad feſtũ Michaelis eò ſe iturum, recepturúmq; Regni diadema promiſit. Georgiconem regni gubernatorem usq; in diem Coronationis, & ultra ad annum recepit: Compactata, ùt ajunt, cum Baſilienſi olim Concilio facta confirmavit. Catholici in regno malæ mentis ſunt, doléntq; ſe Georgiconi utriusq; ſpeciei fautori commiſſos. Canonici Capituli Pragenſis ad me ſcripſerunt; vocatos ſe ad coronationem, dicentes ſe neſcire, quid agant? Si non eunt, timent Regis indignationem; ſi pergant, formidant inſidias Gubernatoris & Rokizanæ, verentúrq; ne cogantur Compactata recipere, & Rokizanam in ArchiEpiſcopum admittere; petuntq; conſilium meum, quia tempus adhuc longum eſt. Scripſi eis, velle me de tali re S. D. Noſtrum conſulere. Ideo hæc, ſupplico, dignemini pietati Apoſtolicæ nota efficere, ut ſua ſapientia pro ſuo arbitrio provideat. Putarem bonum eſſe, Capitulo Eccleſiæ Pragenſis in Pilzna commo-*

* *Epiſtola 156.* Cardinali Firmiano ſtatum Capituli deſcribit

ranti, unum Breve ſcribi, per S. D. N. in quo mandaretur illis, ne quid in facto compactatorum ad cujusvis inſtantiam attentarent: id ſufficeret eis pro excuſatione. Poſſet autem hoc Breve dirigi Reverendiſſimo Domino meo S. Petri, & is ulteriùs facili modo ad Pilznam transmitteret. Hæc cum fiducia ſcribo R. dignationi Veſtræ, quam rebus pijs affectam non ambigo. Cupio me ſemper eſſe in mente Dignationis Veſtræ Reverendiſſimæ, & illi ſervire. Ex Gracio die XXVII. Julij an. 1453.

curam ipſius ſynceram gerens;

* *Epiſt. 158.*

Decano Prag. ſcribit, & illũ ad reſiſtendũ pravitati hæreticæ fortiter ac conſtanter, pluribus hortatur.

Exſtant ibidem ſpeciales etiam ad Decanum Pragenſem datæ (*) *Æneas Domino Wenceslao de Crumlow, Decretorum Doctori, Decano & Adminiſtratori Eccleſiæ Pragenſis S. P. D. Venerabilis & Eximie Doctor, amice honorande. Quamvis literas veſtras libenter accipimus, quæ veſtram memoriam recentiorem nobis fecerint, contenta tamen earum inviti audivimus; quippe dolemus* Eccleſiæ veſtræ inſigni, *negocia non benè ac votivè ſuccedere, ſimúlq; vobiſcum timemus, ne pejora emergant. Hortamur autem vos, quando vocati eſtis in arcem ſolicitudinis, ut forti pectore cunctis procellis reſiſtatis, & vim omnem adverſantis inimici ſolido ſcuto fidei repellatis; aſſiſtet vobis Dominus, & quamvis urgeri ventorum turbinibus ſuam navim patiatur, non tamen ſinit ſubmergi: Cùm magis tribulatur Eccleſia, tunc fortior aſſurgit. Confidite in Domino, & viriliter pugnate pro cauſa DEI; dabitur victoria legitimè pugnantibus. Scribimus Venerabili Capitulo veſtro, quid nobis in rebus veſtris ex uſu videatur; quia legetis unà cum Capitulo noſtras literas, non eſt cur verba repetamus. Compatimur veſtris laboribus; vellemus & conſilio, & auxilio eſſe, ſed tantum facimus, quantum poſſumus. Scripſimus Domino Noſtro, ſperamus Sanctitatem Suam res veſtras minimè neglecturam; quæ nobis reſcribentur, curabimus veſtræ prudentiæ nota facere, & ubicunq; poterimus, tam veſtræ perſonæ, quàm Venerabili Eccleſiæ Prag. uſui ſtudebimus eſſe. Rogamus nos magnificis Dominis de Roſenberg, patri & filijs, quorum memoriam colimus & obſervamus, commendatos faciatis, & ad vota eorum offeratis. Valete in Chriſto optimè. Ex Gracio die XXVII. an. ut ſupra.*

Ex his patet, Æneæ cordi fuiſſe EccleſiamPrag. ejúsque in priſti-

priſtinum decorem reſtituendæ, etiam dum ad Cardinalatûs, ac poſtea ſupremæ in Eccleſia poteſtatis faſtigium pervèniſſet; prout oſtendunt Epiſtolæ ipſius 239. 243. 246. 247. 259. Bullæ item complures, curam ſingularem habuiſſe; multáque idcirco egiſſe, quæcunque tantùm humanâ ratione excogitari provideríq; potuiſſent: tametſi occulta quædam fati neceſſitas ac vis, ſperatos ſucceſſus omnes eripuerint.

Æneas, etiam Pontifex exiſtens Pragenſis Eccl. & Capituli curam geſſit ſpecialem.

Cæterùm Ladislai coronatio in aliud dilata tempus, primò die XXIX. Octobr. SS. App. Simonis & Judæ memoriæ ſacra in Eccleſia Metrop. S. Viti, à Joan. Epiſcopo Olomuc. peracta fuit, adſtantibus alijs quatuor Epiſcopis, Petro Wratislavienſi, Dionyſio Strigonienſi ArchiEpiſcopo & Cardinali, Paſſavienſi & Waradinenſi; Benedicto item Adminiſtratore Epiſcopatûs Litomiſslenſis, ſimul & Priore monaſterij Svitavienſis in Moravia Ord. Præmonſtrat. & Capitularibus Metropolitanis, Guilhelmo de Hazmburg Præpoſito, M. Wenceslao de Krumlow Decano, M. Martino de Straſſecy Archidiacono, Jodoco de Roſenberg Scholaſtico, M. Joanne Papauſſek Præpoſito Litomeric. M. Nicolao de Auſti Archidiacono Zateczenſi, M. Nicolao Archid. Bielinenſi, M. Joanne Archid. Plſnenſi, M. Wenceslao de Trzemoſſna Præpoſito Eccleſiæ S. Apollynaris, M. Procopio de Plſna, M. Nicolao de Krumlow; M. Hilario de Litomerzicz, Petro de Bubna, Petro de Wlaſſim, Martino de Ponte &c. Canonicis: (*d*)

Ladislai Coronatio, an. 1453.

Coronatione peractâ priùsquam Rex Pragâ diſceſſiſſet, cùm videret Eccleſiam Metropol: omnibus penè Bonis deſpoliatam, nec ſupereſſe annuorum cenſuum, aliorúmque redituum tantum, ut vel inferiores Eccleſiæ Miniſtri congruè ſuſtentari poſſint, avi ſui materni Sigiſmundi Imp. liberalitatem imitatus, è redditibus ſuis regijs, Prælatis & Canonicis, alijsq; reſidentibus, proviſionem aſſignavit; præterquàm, quòd etiam non multo poſt, redimendi aut quomodocunque recuperandi Bona Capitu-

erga Capitulares regia munificentia,

Gg 3

(d) *MS. Tract. Bohemicus de Coronat. Ladislai, authore Anonymo, quem ego puto eſſe* Joannem Papauſs.

pitularia, uti ſuo loco meminimus, * ampliſſimam poteſtatem contulerit.

*. Rad. II.

Anno 1456. Caliſtus Papa III. dederat ad Capitulum Prag. litteras procurandæ unionis Regni Bohemiæ cum Eccleſia Dei cauſâ, quæ cùm ſingularem ejusdem Capituli commendationem à *Fidelitate* contineant, adeóque huc propriè ſpectent, audiamus illas.

Caliſtus Ep. Servus Servorum Dei. Dilectis filijs Decano & Capitulo Eccl. Prag. Salutem & Apoſtol. Bened. Poſtquam divinâ favente gratiâ ad ſummi Apoſtolatûs apicem vocati fuimus, usq; in præſens tempus expectavimus de die in diem Oratores inclyti Regni Bohemiæ, cum debita obedientia ad nos proficiſci: quemadmodum ex pluribus fide dignis perſonis, Communitatem ipſius Regni ſtatuiſſe, didiceramus; eramúsq; nos, prout etiam & nunc ſumus, voluntarij ad omnia, quæ pro ipſius Regni bona reformatione ac pace conducere viderentur. Sed miramur, cur hæc miſſio retardata ſit, ex qua multa Nationi veſtræ bona redundare potuiſſent? Cogitamus aliquos eſſe, ut aliquando accidit, qui ſuæ paſſioni & propriæ cupiditati faventes, communem utilitatem pervertere non verentur. Ea propter cùm Nobis relatum ſit, propediem certum Regnicolarum conventum apud Pragam congregatum iri; cúmq; certiores facti ſumus, Apoſtolicæ Sedis vos ſemper bonos fuiſſe filios, Fideles & devotos, *ac ea procuráſſe, quæ ſunt ad unionem & pacem in Eccleſia DEI & Regno illo, de veſtra devotione hujusmodi ſingularem fiduciam gerentes, hortamur vos, ut in dicto conventu proximè futuro, unà cum cæteris Baronibus Regni, & Magnatibus & Communitatibus, ad id tendere & conari velitis, ut Regnum ipſum integraliter ad Nos, & S. Sedem Apoſtolicam reſpicere velit, & Oratores mittere, de quibus ſæpe actum eſt; atq; ita efficere, ne extra Eccleſiam Univerſalem, ipſa Regni Communitas ampliùs reputari poſſit: in qua re facietis rem Deo gratam, animabus veſtris ſalubrem, & Nobis plurimùm complacebitis, qui ad veſtros ampliandos honores bono animo intenti erimus. Per dilectum autem filium Viceslaum Schinch Canonicum Wratislavienſ. in decretis Licentiatum, ac præſentium exhibitorem, qui hæc eadem ex Nobis audivit,*

Fidelitas Capituli,

divit, poteritis ſuper præmiſſis reſponſum commodè dare. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1456. IV. Cal. Febr. Pontificatûs noſtri II.

Capitularibus tamen diuturnâ pace & quiete gaudere non licuit: mortuo námque Ladislao in ipſo nuptiarum apparatu, ac ætatis flore, vitæ anno duodevigeſimo, Salutis noſtræ 1457. die XXIII. Novemb. cùm anno ſequenti, die 2. Martij, *Georgius deKunſtat & Podiebrad* inRegē electus eſſet,homoCalixtinis,ſeu calicis in ſacra Synaxi uſum amplectentibus addictior, quàm Catholicis, haud inanibus idcirco curis angi, metúque exorituræ iterum alicujus in religione tempeſtatis, non parum percelli conturbarique cæperunt. præmatura ac deploranda mors.

Augebat periculum Rokytzani,qui hucusque intra modeſtiæ limites ſeſe utcunque continebat,nova inſolentia, arbitrantis ſibi jam tandem licere omnia, quæ vellet; ex eo, quòd electionis regiæ magna pars, ac præcipuus auctor fuiſſet. Hic etenim præ alijs omnibus vetus Georgij cliens, & partium ejus acerrimus propugnator, cùm in publicis ſermonibus, tum in privatis colloquijs,aut aliàs quomodocúnq;: & ubicunq; ſe occaſio obtuliſſet, privatim hos & illos adeundo prehenſandóq;: noviſſimè verò,ante ipſamElectionem,in templo Bmæ. Virginis, vulgò inTeyn, ad Regni Status,qui ad Electionem Regis convenerant tantâ frequentiâ,quantam vix extitiſſe crederes, publicâ concione habitâ, ne cuipiam ſuffragia addicerent, quàm nato Bohemo,acri ſermone hortabatur.Neq; eſſe multùm quærendū, quemlegerent,ſed legendum,qui emineret. Talem verò præ cæteris eſſeGeorgium Regni gubernatórem,cujus converſatio,ſapientia, fortitudo, ſcientia rei militaris, authoritas, felicitas atque liberalitas toti Regno nota eſſent: virum profectò heroicis connumerandum ingenijs,magnitudine animi ac robore præſtantem, arte & uſu belli, conſiliorum celeritate ac promptitudine, rerúmque geſtarum gloriâ inſignem, ducùm maximum, famâ fortunáque celebratiſſimum, pacis & bello artibus clariſſimum, & hactenus ſemper verè alterum Reipub. lumen & caput. Debere omnes benè meminiſſe, valdè periculoſum per-

Rokytzanus inſolens

pro Georgio à Podiebrad in Regemeligendo perorat.

pernicioſúmque eſſe, dum ſceptrum dignitáſque regia, externæ nationis Principibus defertur; quod ij plerúmque avarè, crudeliter, atque adeò infelicibus auſpicijs imperitare, diráſque calamitates Regno invehere ſoleant; prout id pluribus exemplis oſtendi poſſit. *Accedit,* inquiebat; (*e*) *ſi Germanum elegeritis, longè majorem habebit reſpectum ad Germanos, quam ad Bohemos: ipſe Regiæ Cameræ alijsq́; officijs publicis Germanos, prætæritis Bohemis, ſicut quondam faciebat Joannes Rex, præficiet: ipſe per civitates Regni Germanos, neglectis Bohemis, ad magiſtratus & publicos honores evehet: ipſe Conſiliarios, advocatos, capitaneos, præfectos, & id genus cujuslibet officij utilis & lucroſi adminiſtratores, ex Germanis eliget, tum in Regno, tum extra Regnum: ipſe Bohemicæ linguæ ignarus, nullum Bohemorum vel in Conſilium admittet, vel in judicijs & cauſis per ſe audiet: ipſe non tam de nobis juvandis, quàm de rebus noſtris auferendis curam habebit. Et quod maximum eſt, ipſe fidem noſtram, pro qua tantum ſanguinis fudimus, extirpare conabitur. Vidiſtis, quæ ſub Ladislao contigerunt, quibus ille vijs & modis Germanos, repudiatis Bohemis, ad ſe traxit ac prætulit, altiúsq́; prætuliſſet, ſi auſus fuiſſet. Nec dubium erat, quin multa Bohemis mala illaturus fuiſſet, ſi ad plenum regimen perveniſſet. Quod ſi ab iſto, qui hæres Regni erat, & linguam noſtram callebat, tantum periculi nobis imminebat; quanto magis ab alijs metuendum nobis eſt, qui linguam noſtram juxta & ignorant & oderunt, fidémq́; noſtram, velut hæreſim deteſtantur.*

Cur Germanus eligi in Regem non debeat, ſed potiùs Bohemus?

Hæc & alia ejusmodi Rokytzanus, ſermone utique potens, identidem ingeminando, animos omniúm, quò volebat, flectere videbatur; & Georgius ipſe comi blandóque ſermone ſingulos alloquendo pollicitandóque, obtinuêre, ut vulgi applauſu, magnisque paſſim in foro Urbis Pragenſis ſublatis clamoribus, Rex acclamaretur magìs, quàm eligeretur. Exinde igitur Rokitzano tanto rei ſucceſſu elato, crevit audacia, ad res novas apertiùs, quàm ante feciſſet, contra Clerum Catholicum & Romana ſacra, moliendas; quandoquidem hoc ſtatim anno Capi-

Georgius Rex proclamatur.

Rokytzani in Canonicos odium & malignitas

(*e*) *Joan. Cochl. in Hiſt. Huſſitar. lib. 12.*

Capitulares Metrop. & alios longè acriùs infeſtare, modis omnibus perſequi, & ejectionem illorum non jam meditari, ſed conari palam, viſus eſt. *Eâ tamen animi moderatione* (verba ſunt Cochlæi) (*f*) *& longanimitate erat Georgius, ut interim nequaquam ſæviret, nec alium ullum ſævire permitteret in Clerum Catholicum, qui Praga, & in cæteris Bohemiæ Urbibus, palam Rokyzanæ ſectæ & doctrinæ contradicebat, & cum Eccleſia Romana* (quæ poſtea ipſum Regem diris perſequebatur) *conſentiebat in fide.* Perſtitère igitur Canonici Prag. in antiqua ſtatione, per aliquot adhuc annos quieti; ringentibus licèt Rokyzano & ejus aſſeclis, quorum tamen *vana fuit ſine viribus ira.*

Georgij lenitate & modeſtiâ temperatur.

Eodem quo Georgius Regni Bohemici gubernacula ſuſceperat anno, Æneas Sylvius Romæ Pontifex Maximus creatur die 20. Auguſti, qui *Pius* ejus nominis II. dici voluit. Aderat inaugurationi ejus Wenceslaus de Krumlow Decanus Eccleſiæ Prag. à Capitulo Romam ex conſtituto miſſus, ut Sedem Apoſtolicam de Statu Religionis in Bohemia edoceret: qui uti erat in rebus agendis perficiendisq; dexteritatis & ingenij excellentis, ac præter eximiam prudentiam, & cognitionem divini humaniq; juris, elegantiâ quoque morum & affabilitate ſermonis præſtans, facilè omnes, qui eum in ſecretiori Cardinalium Senatu, præſente Pontifice, perorantem audiverant, in ſui amorem pertraxit. Pontifex ipſe tanto benignitatis, munificentiæ & liberalitatis affectu illum proſequutus fuit, ut magnis honorum titulis exornatum, etiam inter primæ admiſſionis familiares adhibuerit; nec ſatìs duxerit ad petitionem ejus, Privilegia, ſtatuta, indulta, conceſſiones & alias prærogativas Capituli Prag. pro illorum ſubſiſtentia firmiori, authoritate Apoſtolicâ, de dato Romæ apud S. Petrum an. 1458. 3. Idus Septemb. Pontificatûs ſui anno primo, approbâſſe & confirmâſſe: verùm etiam domum reducem, poſtquàm ille omnia ex animi ſententia confeciſſet, in Adminiſtratione ArchiEpiſcopatûs Pragenſis

Æneas Sylv. creatur Papa, aſſumpto Pij II nomine, anno 1458.

Privilegia Eccleſiæ Prag. confirmat.

Hh tam

(f) *Cochlæus lib. cit. MS. Archiv. Capitul. Epiſtola Hilarij Canon. ad D. de Roſenberg.*

tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, confirmatum ſpecialibus literis Apoſtolicis, Capitulo ac toti Clero, Populóque fideli Bohemico commendavit. Tenor illarum ſic habet.

VVenceslaum Decanū Prag. Romæ tūc præſentem ampliſſimis honorū & dignitatum titulis exornat: Dato ad Capitulū hoc Brevi Apoſtolico.

Pius Servus Servorum DEI. Dilectis Filys, Capitulo & Clero, ac Populo Civitatis ac Diœceſis Prag. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Audivimus dilectum filium Wenceslaum de Krumlow Decretorum Doctorem, Decanum Eccleſiæ Prag. neceſſitates ac incommoda, & ſimul petitiones Eccleſiæ Pragenſis, monaſteriorum, & totius Cleri, diligenter & ſeriosè referentem, quibus Paternâ pietate & paſtorali affectu inclinati, præfatum Wenceslaum Decanum in perſona omnium veſtrûm, quos hujusmodi negotium contingere poterat, à quocunq; collectè aut cujusvis exactionis genere abſolvimus, liberamus & quietamus, ipſumq; abſolutum, quietatum, pacatum & liberum ad vos & Diœceſim veſtram, verùmq; indubitatumque Decanum Eccleſiæ prædictæ remittimus; quem propter ſua benè merita in Apoſtolicam Sedem, motu proprio, noſtrum & dictæ Sedis Capellanum, & Cauſarum Palaty Apoſtolici Auditorem fecimus, conſtituimus, & deputavimus. Et quia eundem Decanum ſuperiori tempore dignè & utiliter in officio Adminiſtrationis, tam ſpiritualium quàm temporalium ArchiEpiſcopatûs Prag. verſatum fuiſſe, & fideliter ſuum exercuiſſe officium invenimus, exigentibus ſuis meritis, & propter ingentes labores pro bonore ejusdem Sedis ſuſceptos, & periculo quibus ſe ſubycere non dubitavit, cùm in præſentiarum Eccleſia Pragenſis Paſtoris ſolatio deſtituta ſit, motu ſimili eundem Decanum Adminiſtratorem Eccleſiæ & ArchiEpiſcopatûs hujusmodi in ſpiritualibus & temporalibus, usq; ad noſtrum & dictæ Sedis beneplacitum, absque tamen derogatione privilegiorum, & ſtatutorum memoratæ Eccleſiæ, *auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus: curam, regimen, & adminiſtrationem plenam, & liberam ipſius Eccleſiæ, ac bonorum & jurium ejusdem, ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo, firmâ ſpe fiduciâq; tenentes, quòd dicta Eccleſia, divinâ ſibi ſuffragante gratiâ ſub ipſius adminiſtratione provida atq; ſalubri gaudebit ſe commiſſam, & continuè in eisdem ſpiritualibus & temporalibus felicibus proficiet incrementis. Volumus*

Privilegijs & ſtatutis Eccl. nil penitus derogatum vult:

mus autem, quòd dicto durante beneplacito, ejusdem Eccleſiæ debitu & conſuetis per eum ſuperportatis oneribus, de reſiduis menſæ ArchiEpiſcopalis Pragen. fructibus, redditibus & proventibus diſponere & ordinare liberè & licitè valeat, ſicuti veri ipſius Eccleſiæ ArchiEpiſcopi, qui pro tempore fuerunt, de eis diſponere & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt: alienatione tamen quorumcunq; bonorum immobilium, & precioſorum mobilium ſibi penitus interdictâ. Quò circa Devotioni veſtræ tenore præſentium mandamus, quatenùs eundem Adminiſtratorem, quem præcipuâ complectimur charitate, cujúsq; honores & commoda à quibuscunque ut decet conſervari cupimus, tanquam Patrem, ſynceră devotione tractetis, habeatis & reputetis, ipſúmque ut bonos filios convenit, filiali obedientiâ proſequamini; & ita hortamur vòs ac rogamus, ut ſicut dignè & laudabiliter ſyncero corde, & animi integritate Romanæ Eccleſiæ obedientiam hactenus obſervâſtis, *ita pio & firmo propoſito conſtantiſſimè usq; ad finem perſeveretis; ut veſtro boni operis exemplo, alios ad fidei veritatem, & ejusdem Romanæ Eccleſiæ obedientiam, excitetis & attendatis. Scriptum eſt enim non qui inceperit, ſed* qui perſevevaverit usque in finem, hic ſalvus erit. *Et nos benè ac rectè agentibus non deerimus; ac prout Eccleſiæ moris eſt, qua manſuetudine ac benignitate utitur, vos fovere & gratijs proſequi, quantum cum Deo poſſumus, curabimus. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ 1458. 3. Idus Septemb. Pontif. noſtri anno I.*

Capitulares laudat à fidelitate & ad perſeverantiam hortatur.

Optimi Pontificis, pro Catholica religione in Bohemia conſervanda, ſimúlque evellenda ſtirpitùs hæreſi, curam ſtudiúmque oſtendunt & commendant, hæ & aliæ plurimæ literæ, plenæ pietatis & affectûs, tam ad Capitulares Pragenſes, quàm ad Regni Proceres ſub obedientia Sedis Apoſtolicæ conſtanter perſiſtentes, datæ. Mortuo Wenceslao Decano & Adminiſtratore an. 1460. menſe Decembri, non ſine ſuſpicione veneni ab hæreticis propinati, ſingulari iterum Epiſtolâ Capitulares hortatus eſt, ut in ipſius locum eligerent virum talem, cui in præſenti rerum ac Religionis diſturbio, ſuperſtes grex Dominicus tutò committi poſſet.

VVenceslai Decani mors, quam

Pius Papa II. Dilectis filijs, Capitulo Eccleſiæ Prag. Salutem & Apo

Pius II. datis ad Capitulum litteris deplorat, &

& Apoſtolicam Benedictionem. Venit ad nos fama, Wenceslaum Decanum Veſtrum immaturâ morte carnis debitum exſolviſſe; & quoniam hæc mors integræ fidei Viri atq; ſolliciti, depoſcit (quantum fieri poteſt) paris virtutis ſucceſſorem, cui Adminiſtrationem Pragenſis Eccleſiæ ſecurè committere valeamus. Dilectiones veſtras hortamur in Domino, ut talem in Decanum eligatis, qui omni exceptione dignior ſit, & talibus præditus virtutibus, quibus Eccleſia Prag. & concrediti ejus ſubditi ex ipſo conſolentur, & bonorum actuum capiant incrementa; ipſúmq; quando elegeritis, nobis quantocyùs præſentari curetis, ut Confirmationis robur, ac dictæ Adminiſtrationis mandatum, ſi dignus fuerit, à nobis recipere mereatur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatorio die 5. Febr. Anno 1461. Pontificatûs noſtri anno tertio.

ad eligendum parem illi ſuccesſorem paternè hortatur

Electúsque eſt Nicolaus de Krumlow in Decanum: cui in Adminiſtrationis cura Collega datus, Joannes de Krumlow Scholaſticus. Breve tamen fuit Nicolai regimen; cui intra annum defuncto Hilarius de Litomerzicz ſucceſſit, vir à multo rerum uſu, ùt ex ipſius Actis & ſcriptis patet, innatáque prudentia, in omni conſilio exactè circumſpectus; qui ſpecialiter etiam à Pio II. fuerat Adminiſtrator ArchiEpiſcopatûs Prag. cum plena poteſtate conſtitutus, de dato Romæ apud S. Petrum anno 1462. 3. Idus April. anno Pontificatûs IV. Exſtat præterea aliud ejusdem pijſſimi Pontificis Max. Breve ad eundem datum, quod ſic habet:

Hilarius de Litomerzicz Canonicus, in Decanum eligitur, Vir omni laude digniſſimus; cui

Hilario Decano & Adminiſtratori Eccleſiæ Prag. Dilecte fili, Salutem &c. Jampridem Eccleſiæ Pragenſis Paſtore deſtitutæ, te per alias litteras noſtras, Adminiſtratorem illius in ſpiritualibus & temporalibus conſtituimus & deputavimus; prout in ijsdem pleniùs continetur: in quibus per inanimadvertentiam de Statutis dictæ Eccleſiæ, quibus caveri dicitur, Adminiſtrationem Eccleſiæ Pragenſis Sede vacante, apud illius Capitulum eſſe, nulla eſt facta mentio. Ut igitur ſalvâ conſcientiâ, poſſis onus tibi impoſitum liberè explere, nos ijsdem Statutis, quoad hoc aliàs in ſuo robore permanſuris, nihil ſpecialiter & expreſſè derogantes, pro honore & libertate dictæ Eccleſiæ, complacebimus nullas expectativas gratias concedendo,

Pius II. adminiſtrationem ArchiEpiſcopatûs ampla cum poteſtate confert.

dendo, quas nec conceſſiſſe arbitramur. Tibiq; noſtros Capellanos honoris, cujuscunq; ordinis fuerint, pro eorum demeritis corrigendi, puniendi & caſtigandi, quâcunq; exemptione per Sedem Apoſtolicam illis conceſſa non obſtante, licentiam pariter & facultatem. In contrarium facientibus non obſtantibus premiſſis ac cateris alijs quibuscunq;. Datum Tibura die IX. Auguſti, anno Pontificatûs noſtri Quinto. Videlicet an. Chriſti 1463. Exſtat etiam Bulla ejusdem. data Romæ apud S. Petrum 1461. Non. Julij, Pontificatûs anno III. quâ Dilectis Filijs, Adminiſtratoribus Eccleſiæ Prag. in Spiritualibus & temporalibus concedit, ut Bona reſidua, & fructus menſæ ArchiEpiſcopali debitos, in ſuos, & Eccleſiæ ſuæ uſus applicent & convertant; in eum modum, ſicut quondam Wenceslaus de Krumlow Eccleſiæ Prag. Decanus, dum viveret, ex conceſſione Apoſtolica percipiebat: conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſuetudinibus dictæ Eccleſiæ, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâcunque firmitate aliâ roboratis, cæterisq; contrarijs nequaquam obſtantibus &c.

Inter hæc ſuborta odia, inter Regem Georgium & ſubditos populos Catholicos, religionis cauſâ, gliſcebant indiès, donec accedentibus aliunde etiam diſcordiarum fomentis, ſumptóque à Sileſijs & Moravis principio, in atrox civile bellum erupit. Cujus quidem initia & progreſſus, *Daubravius Epiſcopus Olomuc. & Cochlaus Decanus Wrasislawienſis,* & quidam alij pro inſtituto operis ſui, fuſè deſcripſerunt, ſicut & *nos in Marte Moravico: (g)* hic ea tantùm, quæ Capituli Metropol. in avitæ Fidei Sacris, ac debito Sedi Apoſtolicæ obſequio conſtantiam, palam Orbi faciant & commendent, paucis explicare lubet.

Civile bellū, Georgium inter, & Proceres quosdam Catholicos.

SanèCapitulares eo turbulento periculoſóq; aliquot annorū tractu, oſtenderunt ſe viros, qui cum immortali nominis ſui laude auſi ſunt, contemptis omnibus periculis, reviviſcentibus Rokitzani inſolentijs, ſe veluti murum pro Domo Dei objicere, & ne

Capitularium integritas.

(g) *Daubr. in Hiſt. Boh. lib. 30. Cochlæus in Hiſt. Huſſ. lib. 11. Peſſina in Mart. Morav. lib. 2. cap. 5.*

ipſi quoq; Georgio admirationi.

& ne vel ipſi hæreſiarchæ, vel alijs peſtiferi ejus dogmatis ſectatoribus, omnia quæ vellent, & quidquid cuique liberet, etiam licere poſſet, modum ponere. Ideóque factum, ut etiam Rex ipſe conſtantiam hanc, & circumſpectam in omnibus prudentiam admiratus, ſalutaribus eorum monitis quandoq; auſcultare non dubitâvit, Princeps aliâs non malus, qui, ut dicit Cochlæus, *inter optimos Reges haud immeritò commemorari potuiſſet*, (*h*) ſi tantùm perniciosis Rokitzani conſilijs plus nimio tribuere non aſſuevisset.

GeorgiusCommunionis ſub Utraq; tenax.

Anno 1461. die 2. Febr. in publico Principum Imperij conventu Egræ celebrato (*i*) Georgius ab alijs amicè admonitus, ut ſeſe Eccleſiæ Romanæ ritibus conformare vellet, reſpondit: *ſe Pontificem Romanum, ut ſupremum Eccleſiæ caput omnino agnoſcere: ſcire ſe, extra Eccleſiam nullam eſſe ſalutem; neq; ullam hæreſim ſe tueri. Sed Bohemis à Concilio Baſilienſi, cui tot Sacrati viri ac totius Europæ doctiſſimi interfuerint, conceſſum in Sacra Communione Calicis uſum, certisq; Compactatorum legibus ſtabilitum, & ab Eugenio IV. etiam approbatum, ſe tenere conſtanter.* Domúmque redux, ut oſtenderet, quantum hæreticos odiſſet, edictum grave adverſùs Picardos, Taboritas, Adamitas alióſque omnes, qui neque Catholici eſſent, neque Campactata à Concilio data ſervare vellent, emiſit; quo veterem Caroli IV. ſanctionem revocavit; & niſi Catholicis acceſſerint, vel Compactatis ſeſe accommodârint, exuſturum ſe omnes minatus eſt. (*k*)

Pichardis alijsq; hæreticis infenſus:

Legatos ad Pontificem mittit, ſemel

Miſerat præterito Anno, ad Pium II. Joannem de Rabenſtein Præpoſitum Wiſſehradenſem, & Canonicum Pragenſem, in Curia Romana diu ante verſatum, exhibendæ regio ſuo nomine reverentiæ ac obedientiæ cauſâ: verùm, quia id referri juſſerat non palam, ſed in ſecreto, negavit Pontifex privatum hujuſmodi obſequium, ad conteſtandam ſynceram Sedi Apoſtolicæ ſubjectionem, poſſe ſubſiſtere, ideóque aliud quod juxta

(h) *Cochl. lib. 12. cit.* (i) *Hagek ad an. 1461. Lupac. in Ephemer. ad d. 2. Febr.* (k) *Stransky Reip. Boh. cap. 6. §. 9. Adrian. Regenwolsky in Hiſtor. Eccleſiarum Slavonicar. Provinc. lib. 2. cap. 8. MS. Przibik. de Radenin.*

xta conſuetudinem aliorum Regum publicè exhiberetur, re-quiſivit. Itaque anni 1461. principio, novam ad eundem Pontificem legationem adornavit; miſſis Procopio de Rabenſtein Regni Cancellario, Viro Catholicæ Religioni ex aſſe dedito, & Pio Pontifici, dum in minoribus eſſet, familiariſſimè noto, cum Zdenkone Koſtka, M. Wenceslao Wrbensky Decano S. Apollynaris, & Wenceslao Koranda ſacerdote Huſſita, qui ſuo & Regni nomine, Sedi Apoſtolicæ obedientiam palam præſtarent; eâ tamen lege, ut Compactata Concilij Baſilienſis, maximè quoad Communionem ſub utraque ſpecie à Concilio Bohemis & Moravis conceſſam, Pontifex approbaret. Romam venerunt die 10. Martij, cùm triduo priùs Orator Friderici Imp. & quatriduo pòſt Legati Regis Galliarum eò etiam appuliſſent, pro parte Georgij Sedi Apoſtolicæ ſupplicaturi. Die 15. privatim, die verò 20. publicè in Conſiſtorio Patrum, præſente Pontifice, fuerunt auditi; negavitq; Pontifex, prolixiori reſponſo, (cujus copia nobis præmanibus (*l*) eſt.) poſſe ſe Compactata vel calicis in Sacra Communione uſum probare, ob multas, eásque graviſſimas rationes, quas ordine in medium attulit, legatos tandem paternè hortatus, Regi ſuo authores eſſe velint, ut ab ejusmodi poſtulatis deſiſtere, & potiùs alijs Chriſtiani nominis Regibus & Principibus, in Orthodoxa Catholicæ Religionis obſervantia, ſe conformare non gravetur. Itáque legati re infectâ domum redierunt: quod ægerrimè ferens Georgius, palam deinde in Comitijs Regni menſe Auguſtò habitis, teſtatus eſt; ſe in religione & doctrina Fidei, quæ uſum Communionis ſacræ ſub Utraque ſpecie commendat, natum & educatum: ideóque nolle ſe, nec ſalvâ conſcientiâ poſſe, à tradita ſemel ſanctis in religione puritate ſecedere, ſed perſiſtere ad extremum usque velle, in præſcriptis à Concilio Baſilienſi Compactatis, quæ robur habeant, etiam nolente Papâ; neque poſſe Papam Concilij decreta reſcindere, quæ jam antea etiam Pontifex ipſe Eugeni-

atq; iterum,

Pontificis Pij II. reſponſum, quo Calicis in ſacra Communione uſum Laicis negat.

Georgius legatos Româ reduces publicè audit, &

Religionem ſub Utraque palam profitetur,

(*l*) *in Archivo Capit. in Libro MS. cujus Titulus*: Articuli hæreticorum de Communione.

genius IV. rata habuiſſet. Hæc ab irato dicta audaciùs, quàm ferret debita Sedi Apoſtolicæ reverencia, & inveteratus Eccleſiæ univerſalis ſenſus, Pontifici Max: veluti Supremo Sacrorum moderatori, ſummam in rebus Sacris decernendis, emendandis vel explanandis, tribuens authoritatem.

Aderant ijsdem Regni Comitijs, præter Jodocum Wratislavienſem, & Prothaſium Olomuc. Epiſcopos, etiam Hilarius Decanus, Martinus Archidiaconus, Venceslaus de Krzizanow & Petrus de Wlaſſim Canonici Metropol. quos illa Regis proteſtatio tam vehemens, ùt ipſemet Decanus in quodam ſuo ſcripto teſtatur, maximo dolore affecit. Sedebántque taciti, ac veluti attoniti, multa animis volventes, quinam motus eam ob cauſam ſequerentur: dolebant quippe Regem, quem hactenus benignum in multis, & à ritibus Romanis (ſolo tantùm calycis in ſacra Communione uſu excepto,) minimè alienum experiebantur, tam abruptè, in mala quæ brevi ſequutura prævidebant, ruere præcipitem. Cúmque Rex convertiſſet ſermonem ad omnes, qui aderant, & ſciſcitaretur, num Compactatis ſtare, ſibique in ijs tuendis aſſiſtere vellent? Huſſitæ quidem clamoſis vocibus, præeunte Zdenkone Koſtkâ, reſponderunt; omnino ſeſe velle. Catholici autem ſubmiſsè: Compactatis ſibi nunquam fuiſſe, nec eſſe, nec deinceps fore opus, ſed velle ſe in unitate & obedientia S. Romanæ Eccleſiæ vivere & mori: manſuros tamen in obſequio Regis, atque ea omnia præſtituros, quæ ſecundùm Deum & Juſtitiam, fideles ſubditos decent. Sed in eo plurimùm exorbitavit Georgius, iræq; exceſſit modum, quòd Legatum Pontificis Fantinum de Valle, ijsdem in Comitijs adverſùs Compactata acriùs perorantem, non tantùm verbis contumelioſis interpellârit, verùm etiam à conſpectu abripi, ac poſthabitâ fide publicâ, juréque gentium, quod Legatos violare vetat, in carcerem detrudi juſſerit; id ei imponens culpæ, quòd requiſitus à Rege, ut cauſæ patrocinaretur ſuæ apud Pontificem, certóque ſtipendio conductus, ſecús quàm boni viri officium poſtulâſſet, egerit: nec priùs, niſi poſt duos menſes, & 13. dies, ad Imperatoris & Ludovici Bavari interceſſio-

Huſſitis applaudentibus,

Catholicis indignantibus.

Legatus Pontificis in vincula conjicitur,

Dimittitur.

ſione, carcere miſſum fecit. *(m)* [Corrigendi ſunt hic ſcriptores illi, qui eundem Fantinum, contracto in carcere morbo, non ſine ſuſpicione propinati veneni, ex itinere, dum Romam reverti vellet, Ratiſbonæ mortuum perperam aſſerunt. Conſtat enim ipſum incolumem Romam rediſſe, & Cardinalem poſtea factum, diu glorioſum vixiſſe. *(n)*]

Porrò Georgius propoſiti tenax, & plus Rokitzani hominis perverſiſſimi malè ſanis ſuaſionibus, quàm aliorum bonorum humani Divinique juris peritiſſimorum virorum conſilijs, in ſui perniciem tribuere aſſuetus, quò plures in ſuam ſententiam pertraheret, Sacro Ordini ſive Eccleſiaſtico ſtatui univerſo, nempe Capitularibus arcis Prag. Cænobiorum Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Plebanis, tam qui Romanæ Sedis diſciplinâ regebantur, ſub Una cognominatis, quàm alijs ſub Utraq; dictis, novum ad diem 16. Septembr. anni ejuſdem conventum indixit. In eo, quid actum fuerit, Balbinus in Vita B. Arneſti I. ArchiEpiſcopi Pragenſis *(o)* ex Scriptore quodam, qui præſens aderat, recenſet: quod cùm ad decus & gloriam Eccleſiæ Prag. & Capituli non parum faciat, adeóque inſtituti noſtri eſſe videatur, repetere id etiam hîc nec ineptum, nec inutile duxi. *Cùm*, inquit, *parendi tempus appropinquáſſet, junximus nos alijs, & mandatis Superiorum paruimus, & cùm collecti fuiſſemus in Caſtro Pragenſi, quaſi ſeptingenti quatuordecim, nihil ipſo die actum eſt, quia diſtulit Rex propoſitiones ſuas, uſq; in finem Sabbathi ſequentem: Sed D. Doctor Hilarius ArchiEpiſcopatûs ejuſdem Adminiſtrator, ipſo S. Ludmillæ die, pulcherrimum beneq; comptum ſermonem omnibus Clericis pertexuit, ſugillans ſub roſa ſectam tam praviſſimam. Et poſt, ſextâ feriâ mandavit omnibus, ut per Spiritûs Sancti invocationem, ad eandem ſcilicet Metropolitanam Eccleſiam, omnes concurreremus. Nobis ibi exiſtentibus, ſolennis Votiva eſt celebrata; quod legiſtæ, ſeu potiùs Wicleſiſtæ videntes, id ipſum in die Sabbathi, in omnibus ſynagogis ſuis fecère;*

Diſputatio Catholicorum cum Rokyczano & ipſius aſſeclis præſente Georgio

Catholicorum Sacerdotum numerus, quos

Hilarius Decanus & Adminiſtrator,

 & cum

(m) *Cochlæus lib. 12. Hagec. Balbin.* (n) *Cochl. citat. MS. ex Actis Hilarij & Joan. Decanor. Prag.* (o) *Vita V. Arneſti lib. 3. in Not. ad cap. 4.*

& cùm tempus tam lugubre adveniſſet, ſummo diluculo, omnes in priſtino loco adventavêre, & ad audiendas propoſitiones tam infauſtas ſe præparavêre. Tempus nempe jam nobis erat præfixum ut puta, tertia decima hora. Tunc iterum providus Paſtor volens conſolari ſuas oviculas omnes, in Capellam S. Wenceslai juſſit ire, & diligenter lupos experiri, ne ovibus miſcerentur. His ergo peractis, dulciter nos affabatur, qualiter pergere, & coram Rege perſiſtere deberemus, nec qualemcunq; quæſtiunculam cum adverſarijs movere, & qui loqui, quive tacere deberent, indicavit. Et ſi, quod abſit, furere aût inſanire vellet, & violentas manus in aliquos mittere, reminiſci debetis, quòd omnes in multis membris unum corpus ſumus, & vos pro tanta violentia usq; ad mortem opponere. Hæc & multa alia valdè lacrymabilia protulit, ſic, quòd multi ad ejulatus & ſingultus fuerunt provocati. Omnibus ergo Amen reſpondentibus, in terram proſtrati, flexis genibus, Patronos Regni Bohemiæ humiliter precabamur, ut ſuffragium nobis in hoc negotio præſtare dignarentur, & Orthodoxæ fidei populum defenſare. Sicq; trini & trini paſſim incedentes, proceſſionem perpulchram conſtituerant à Caſtro, quousq; ad Regis Curiam iter perſolverent, alij flentes, alij ridentes: quia tanquam oves ad victimam ducebamur. Cùm igitur ibi veniſſemus, Rochyzanum cum ſuis complicibus nos præveniſſe reperimus: propoſitio ergo Regis primo talis erat. Nos quantum potuimus, regna coadunavimus, & pacem fecimus, vos autem Sacerdotes, inter vos jurgia excitatis, vos mutuò hæreticando, ſepulturam mortuis denegando, aliiſq; infinita mala perpetratis. Secundò, Sacerdotium fœdatis, cùm ſuſpectis mulieribus conſortia habentes, ludis, cæteriſq; nefandis operam datis; & niſi reſipueritis, ex quo ſpirituali judicio caretis, nos prò remedio providere oportebit. Tertiò, volumus & mandamus, ut Compactata, quæ antiquitùs nobis ſunt conceſſa, pro unitate & pace hujus Regni, ſolida & fixa, ùt authentica, conſerventur, & nullus aliquâ excuſatione ipſis contraire audeat. Ex quo prædeceſſores noſtri, Sigismundus, Albertus, Ladislaus, ipſa ut rata, approbata, & auctoritate Apoſtolicâ conceſſa, firmiter tenere, conſtituerunt, quod & ego attentare nullatenus cupio, ſed potiùs defenſare, & usq; ad mortem

pro

In Sacello S. VVenceslai, præmiſſis precibus, benignè ad conſtantiã hortatur, & quid cui faciendum foret, inſtruit.

ad Aulam Regiam vadunt.

Oratio Georgij

pro ipſis certare. Quod ſi facere proponitis, modicâ deliberatione poſthabitâ nobis ediſſeratis. Tunc paululum ſeceſſimus, & deliberatione habitâ, D. Doctor ad ſingula ſic reſpondit: Sereniſſime Princeps, ad propoſitionem propoſitam, unanimi voluntate ſic reſpondemus: Majeſtati regiæ immenſas gratiarum actiones referimus de pace, & tranquillitate, & multa proſpera ſibi imprecabatur. De ſecundo reſpondit: Verum etiam, multa mala agitantur per Sacerdotes, ſed nobis moleſtum eſt, & inſcium; quod ſi aliqui tales ex noſtris eſſent, vellemus Deo auxiliante, & authoritate quâ fungimur, tales acriter punire, ſed quia neſcimus, ergo quempiam injuſtè punire nolumus. De tertio, quod veſtra Serenitas movit, videlicet de Compactatis, breviter id reſpondemus; quod Generoſi pridem Domini reſponderunt: Nos Compactatorum nunquam indiguiſſe, nec adhuc indigere, ſed quibus permiſſa ſunt, ſi teneant, Deus ſit arbiter. Quidquid enim de pace in ipſis continetur, libenter amplectemur, ſed quòd nobis quidpiam ſalutis afferant, non cognoſcimus. Confidimus ergo de Majeſtate veſtra, quod Venerabilem hanc Eccleſiam Pragenſem, pro viribus defenſare, ſicut cæteri Chriſtianiſſimi Reges velitis & dignemini: nos alium ritum, quàm eum, quem à Romana Eccleſia recepimus, ignoramus; & mori plùs delectat, quàm huic Portæ cœli, *in aliquo contrariari. Tunc Doctor noſter vertens ſe ad ſuos, & quærens, utrum reſponſa talia nobis placerent? clamor validus inſonuit: placet, & in æternum placebit! Tunc Rex aliquantulùm in ſe fremuit, & volens talibus reſponſis obviare, obtulit quandam litteram, quam quidam Vicarius, Michaël nomine, Pragenſis Eccleſiæ, de Rege ad ſuam ſororem in eadem ſecta viventem conſcripſerat, quæ iſta continebat. Quomodo Rex parti ſuæ adhæreret, & in Legatos Apoſtolicos ſæviret, & ſe hæreticum declaraſſet, & his ſimilia; quam Rex oretenus lectitabat: ſed tamen, Deo volente, præfatus Dominus Michaël praſtò non erat. Inculcat ergo Doctori noſtro, & omnibus nobis ſæpiſſimè hæc ſcripta, per omnia ſe excuſans, & quòd nunquam reſtitiſſet Apoſtolicæ obedientiæ: ſed quæcunq; juraſſet, tanta eſſent, ſubjungens: quòd per hoc non eſſet inobediens, quòd communicaret ſub utraq; ſpecie, quia non eſſet contra legem, licèt eſſet contra decreta Papæ: aliquoties ſe*

Reſponſum Decani Hilarij.

Fortitudo & magnanimitas Catholicorum Sacerdotum.

Georgij contra Vicarium Eccleſiæ Prag. querela, & circa Legatum Pontificis conjectum in carcerem excuſatio.

ſe in hac ſecta mori declarans. Nec etiam, ait, Legatum Apoſtolici cepimus: ſed procuratorem noſtrum, & proditorem, ac malè diſpenſatorem; ergò petere pro tali nefando homine deſiſtatis(liberationem enim ipſius priùs petivimus) Tunc Doctor dixit: nos ſcimus, quod Venerabilis Pater & Doctor egregius Fantinus, Legatus verus ſit Papæ Sanctiſſimi, & quæ commiſſa ſibi habuit explevit. Cur autem tam propudioſè detentus ſit, nos in præſens latet. Tunc Rex: tantis blaſphemijs noſtram offendit Majeſtatem, quòd ſi tu talia faceres, tibi minimè parcerem. His ergo quæſtionibus finitis, mandat Rex, ut caperetur Dominus Michael per Doctorem, & præſentaretur ſuæ Majeſtati; ſed utrum factum ſit neſcio; ſicq; digreſſi ſumus. Sed antequàm poſtes egrederemur, reaccerſiti fuimus, tunc mandat ut in craſtino reverteremur omnes, vel ſaltèm Decani, & potior pars; ſicq; licentiâ captâ, in Randnitz profecti ſumus. Fuerant ergo noſtrates usq; in feriam tertiam ſic vexati, nec vocati, nec dimiſſi. Tertiâ autem feriâ quaſi fuerant calculata, & mandatum, quòd Compactata præ omnibus cuſtodirentur, nec partes diverſæ ſe mutuò lacerarent, ſed ſuperioribus ſuis qualibet obediret. Tunc Rokytzanus, ſuper quodam Magiſtro Andrea, noſtræ partis presbytero, eſt conqueſtus dicens, ipſum ſibi obedire nolle: tunc Rex; tu vis, ut tibi omnes obediant, & tamen nulli vis ſubeſſe. Sicq; noſtri abiverunt, & ad propria remeabant.

contra Rokytzanum indignatio.

Georgius Fridericum III. Imp. à Viennenſibus Auſtriacis rebellibus in arce ſua obſeſſum,

Quò minùs autem Pius Pontifex, uti aliàs conſtituerat, Georgium anathemate feriret, obſtitit magnis precibus Imperator inſigni ſub id tempus beneficio à Georgio devinctus. Nam obſeſſus Viennæ in arce à civibus rebellibus, ſummáque vi, nec minori ſeditioſorum pertinaciâ per viginti & ampliùs dies acerrimè oppugnatus, (de quo videantur alij Scriptores, (p) & advertat quisque Viennenſes non ſemper fuiſſe Principibus ſuis fideles) cùm aliter ſe ſuósque præſenti diſcrimini eximere non poſſet, & cum perduellibus compoſitionem aliquam inire, ſine honeſtioribus arbitris, infra dignitatem ſuam eſſe cenſeret, ad Georgium, cum quo non ita pridem Brunæ in Moravia de mutuo

cuo

(p) *Gerard. de Roo Hiſtor. Auſtr. lib. 7. Cuſpin. Daubrav. Naucler.*

tuo ſibi ferendo adverſùs quoscunque hoſtes auxilio, pepigerat fœdus, (q) confugiendum, rebúsque ſuis tanto in periculo verſantibus, opem maturè implorandam duxit. Nec ille quicquam, in tanta neceſſitate Cæſaris cunctatus eſt, ſed confeſtim filium Victorinum cum Zdenkone à Sternberg, & Zbynkone de Hazmburg, viris tum Nobilitate Familiæ, tum Diſciplinæ militaris ſcientiâ clariſſimis, & tribus peditum millibus, ac ſexcentis equitibus in Auſtriam citatis paſſibus, properare juſſit; quos deinde cum octo millium exercitu ipſemet ſequutus, cives ut depoſitâ inani ferociâ, Cæſari potiùs reconciliarentur, induxit, vim aliàs & extrema quæque civitati minatus. Hujus itaque beneficij haud immemor Cæſar, ſuas apud Pontificem pro Georgio interpoſuit partes, ne cenſuris contra ipſum ageretur, miſſúsque eſt ea de cauſa ad Pium II. legatus à Cæſare Wolffgangus Baro de Roggendorff. liberat anno 1462. Imperator mittit ad Pontificem, Legatum pro Georgio.

Tandem anno 1464. idem Pontifex omni ſpe, quam hactenus Imperator, alijq; Principes de Georgio in meliorem viam reducendo dabant, früſtratus, diem illi dixit, ut à XVII. Cal. Julij, infra centum & octuaginta dies, quorum ſexaginta pro primo, ſexaginta pro ſecundo, ſexaginta pro tertio ac peremptorio termino aſſignarentur, coram Tribunali Apoſtolico ſuper allegata reſponſurus, ac judicium ſubiturus compareret: additæ minæ, fore ut ſi ad diem dictam non adeſſet, velut in contumacem, citra ullam comperendinationem, anathematis fulmine animadvertatur. Dedit quoque literas ad quosdam Bohemiæ Proceres, præcipuè verò ad Roſenſes, Swihovios, Lobkovicios, Sternbergios, Kolowrateos, Guttenſteinios, Hazmburgos, Leones de Rozmital & alios, paternè & clementer illos hortando, ut Regem, prolapſum in malorum ultima, flecterent ad mentem ſaniorem, & ad obedientiam Romanæ Sedi debitam, quam jure jurando promiſerat, quocunque tandem modo reducerent. Sed priùsquam terminus citationis veniſſet, Pontifex Pius II. Georgium ad dicendam cauſam citat; moritur, ſuccedente Paulo II.

(q) *Anno 1459. die 11. Auguſt. apud Goldaſt. in Append. Document. ſuper Commentar. de Privileg. Regn. Boh.*

tifex Anconæ, quò ſe contulerat expeditionis Aſiaticæ contra Turcas ſuſcipiendæ cauſâ, moritur die 16. Auguſti.

Comitia Regni

Anno 1465. Georgius comitia Statibus Regni Bohemiæ indixit, ad diem 2. Februar. in quibus denuò certatum fuit diſputatione ſolenni, inter Capitulares ex una, & Rokitzanum ejusque aſſeclas ex altera partibus, de vera falſâque religione. Duravit certamen quinque diebus continuis: Hilarij Decani & Wenceslai Krzizanowsky Canonici, tunc ſingularis enituit virtus, à præclara immotæ Fidei conſtantia, ejúsque tuendæ zelo, doctrina, & circumſpecta in omnibus prudentia ſanè memorabili; qui uti erant viri in Apoſtolicæ confeſſionis petra benè ſolidati, præter officij debitum, etiam honori & gloriæ ſibi ducebant, in cauſa tanti momenti tuenda propugnandáque, ne in minimo deviare à veritatis tramite, ſed perſiſtendo conſtantiſſimè ſancto in propoſito adamantinam firmitatem imitari.

Capitularium inſigne præconium.

Diſputatio hæc habetur typis vulgata, & in Archivo Capituli, etiam manu propriâ Hilarij Decani conſcripta, (r) quæ ſic incipit. *Diſputatio Capituli S. Eccleſiæ Pragenſis cum Rokyzana, de Huſſiticis controverſijs, habita per dies quinq; anno 1405. coram Gyrzikone ſeu Georgio Rege Boëmiæ.*

Alia ſolennior Diſputatio inter Capitulares & Huſſitas, in Comitijs, præſente Rege & Ordinibus.

Anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo quinto, in die Purificationis B. Mariæ Virginis, facta eſt magna congregatio Dominorum Baronum, militum, clientum & civitatum Regni Bohemiæ, per Dominum Regem. Et electi ſunt ex toto Regno primùm illi, qui ſunt de Conſilio Regis, deinde potiores terrigenæ ex parte Catholicorũ quadraginta quinq;, ex parte Rokyzanæ totidem, & de civitatibus utriuq; bini & bini. Convocatiq; ſunt, Decanus & Capitulum Prag. & Rokyzana cum presbyteris ſuis ſimiliter, in ſtuba majori Curiæ regalis. Et die 7. Febr. hoc eſt Feriâ quintâ poſt Purificationem Mariæ, horâ XV. cùm jam omnes convocati conveniſſent in loco prædicto, poſitus eſt Decanus cum Doctore prædicatore, (Krzizanowsky, qui tunc agebat in Eccleſia Metrop. concionatorem) & ſuis Confratribus, ad partem ſiniſtram Regis, & Rokyzana ad dextram in ...

(r) *MS. Archiv. Capitul. Libri ſub ſigno* ✠ & ☉

in eminentiori loco; ſicq; Rex habito ſilentio locutus eſt. A quo p ſiti ſum in ſolio Regni, ſemper quærebamus pacem, & ea, quæ fuerunt pacis & unitatis: & quia annis omnibus iſtis, ex utraq; parte Sacerdotum multa conqueſtiones & accuſationes coram me fuerunt depoſita, & per Decanum & Magiſtrum multoties rogati, ut emendarentur; nos nolentes ampliùs ſimilia pati, fecimus convocare hanc congregationem, & eligere iſtos aſſeſſores, ut eos audiamus, & audientes quantùm poterimus cum Deo, pacem inter vos faciamus: & alia plura ſimilia multùm extendit. Deinde mandavit, ut quæ ſunt neceſſaria, proponerentur. Poſt hoc Rokyzana loqui capit, ponens fundamentum ſermonis ſui. Quòd cùm Bohemi quatuor articulos defendere ſtatuiſſent, propter veritates cognitas, multa bella geſſerunt, & proſperati ſunt: deinde cùm fuiſſent hæreticati, volentes fidem noſtram toti mundo apertam facere, comparuimus in Concilio Baſilienſi, & ibi ſufficienter probavimus, & Compactata facta ſunt, non propter nos, cùm inniteremur fidei & legi Dei, ſed propter iſtos, ut non hæreticaremur ab ijs, & ſi quando nos impedirent, quòd poſſemus eos admonere, ut teneant nobis pacta. Et quoniam nobis fit impedimentum per iſtos, (demonſtrato Capitulo,) & multa faciunt mala in iſta terra, cùm tamen per Compactata pax in terra eſt introducta; ideo Veſtræ Serenitati gratias agimus, quòd de bono pacis curatis, & nos libenter volumus ſervare Compactata. Poſtea Decanus cum Capitulo petierunt deliberationem: quâ habitâ ita loquutus eſt Decanus: Terra Boëmorum, terra jucunda, fœcunda & ſana, quam Dominus in naturalibus, in fortuitis multipliciter reſpexit, habétq; pinguem glebam, ſanam auram, homines fortes & ingenuos. &c. &c. &c.

Georgij Regis Oratio.

Rokytzanus loquitur.

Longum eſſet totam ipſius ſeriem hìc recenſere, Authori futuri Operis id curæ relinquo. Unum tamen atque alterum Hilarij, ad Regem dictum, utpote *Fidelitatis* ejus, ac cæterorum Capitularium ſub obedientia Romanæ Eccleſiæ conſtantiſſimè perſeverantium, inſigne teſtimonium, pro ratione inſtituti, prætermittere non debeo, nec poſſum. *Sereniſſime Rex: ſicut Serenitas tua optavit compoſitionem circa materiam Compactatorum, Eccleſia Pragenſis, ſicut dixi, ſemper fuit in obedientia Romanæ Eccle-*

HilariusDecanus recenſet Anteceſſorũ ſuorũ fidelitatẽ Eccl. Romanæ ſemper ſervatam; & idcirco ab adverſarijs

cleſiæ : & quando iſta turbatio facta eſt in Regno, tunc Patres no-

toleratas calamitates & cætera lia :

ſtri pulſi ſunt, vexati ſunt, quidam in pulverem redacti, incinerati, & multa mala in iſto Regno facta ſunt, & per quem iſtud ivit, & propter quos, intelligit Veſtra Serenitas. Deinde Sigismundus Imp. miſertus terræ, fecit aliquos tractatus & vias, ut induceret pacem in terra ; & ſacrum Concilium conſenſit propter bonum pacis, ad illam intentionem, ut per hoc homines inducerentur ad priſtinam obedientiam: Nec erat intentio Concilij illud perpetuò tenere : hoc

Compactatorum rationem explicat:

dico ideo, quia ſic in Curia Romana intelligitur, & ubiq;. Et dico, quòd Compactata non ſunt facta propter nos, quia nunquam receſſimus ab obedientia ; nec cum noſtris Prælatis aliquid de his factum fuit : & quia Magiſter dicit, quòd propter nos facta ſunt ; tamen nos illis non indiguimus unquam, quia ſemper fuimus ſub obedientia, vos videte, ſi ita ut ſunt, tenuiſtis, & ſi vobis manebunt. Nos autem rogamus veſtram Serenitatem, ſicut in priori convocatione petivimus, ut Serenitas veſtra nos & Eccleſiam Pragenſem conſervet, ſicut prædeceſſores veſtri, quorum nullus nos arctavit ad obſerva-

manſurum ſe, & Capitulares cæteros, ad mortem usq;, ſub Romanæ Sedis obedientia, palam profitetur:

tionem illorum Compactatorum, quia nos ſemper ſtetimus, ſtamus & ſtabimus, ſub obedientia, & in praxi Communionis unius Speciei, quoad fidelem populum deceat, & in ipſa vivimus & morimur; ſed & veſtri Capellani ſumus, & pro veſtra ſalute oramus. Hoc in Seſſione prima. In Secunda, præter alia multa : *Rex Sereniſſime: Magiſter iſte,* nempe Rokitzanus, *cum Dominis ſuæ partis multa loquitur pro obſervatione Compactatorum ſuorum : respondimus jam pridem Serenitati veſtræ, quòd Compactata pro nobis facta non ſunt ; nec unquam Eccleſia Pragenſis aliquid deliquit con-*

Compactatorum originem & cauſam fuſiùs recenſet;

tra Eccleſiam Romanam, ut cum ea pacta faciat : (& ibi ſatis materiam dilatavit) tamen ut intelligat, quod ipſe cum ſuis ea nunquam tenuerit, nec teneat, volo in forma loqui, aſſumendo aliquot puncta de Compactatis, in quibus expreſſè non tenentur &c. Item

Rokytzanum audacter aggreditur,

ad Rokitzanam. *Et tu Magiſter primus es, qui unitatem Eccleſiaſticam diviſiſti. Cùm enim ſit unus Epiſcopatus, (quia una Diœceſis Pragenſis) tu uſurpâſti pro te Presbyteros tuæ partis, & fecîſti tibi Conſiſtorium, & nominas te Adminiſtratorem, & uteris ſigillo mortuo. Dic mihi, rogo, quâ auctoritate adminiſtras, & illud ef-*

fi-

ficium exerces? non potes dicere à Conrado, quia ille propter exceſſus ſuos depoſitus fuit, & caruit adhuc vivens adminiſtrandi poteſtate Cui fuit ſubſtitutus Epiſcopus Olomuc. Dominus Joannes, deinde Cunſſo. Unde ex commiſſione Domini Eugenij Papæ patet expreſſè, quòd ipſis data eſt & commiſſa adminiſtratio. Et poſtea tamen fuit in Regno Philibertus, qui per ſe exercuit adminiſtrationem; & quando eam tibi commiſit, oſtendas? cùm tamen omnes Sacerdotes à die receptionis Compactatorum, usq; ad diem, quo introîſti Pragam, & diviſiſti Clerum & populum, ſemper habebant reſpectum ad Eccleſiam Pragenſem. De ſigillo verò, quo uteris, dico, quod mortuum eſt, & exſpiravit cum illo, cujus erat. Sic ſigillum Ladislai, ſi nunc quis haberet, nullius eſſet roboris & valoris: mortuo enim principali, moritur acceſſorium. Iſti enim ſunt defectus tui, & tuorum Sacerdotum: cùm igitur illa omnia emendaveris, ita quòd dimiſſo tuo Conſiſtorio, habebis ad Eccleſiam reſpectum, & tui Sacerdotes; & dimittes communionem parvulorum, cantum vulgarem, & alia corriges, quæ ſunt corrigenda, ex noſtra parte non deficiet ad illa ſe habere, quæ ſunt pacis, unitatis & charitatis. Poſtea multi articuli lecti ſunt contra Sacerdotes ejus diverſos, de ſermonibus, quos eſſet nimis longum enarrare. In Seſſione Tertia. *Primum & ante omnia proteſtamur, quod credimus, dogmatiſamus, & practicamus ſacroſanctam Communionem unius ſpeciei fidelibus populis eſſe dandam, & ſufficientiſſimam ad ſalutem hominum, & in ipſa eſſe plenitudinem dignitatis, cum omnibus gratijs, ſicut credit, dogmatiſat, & practicat S. Romana Eccleſia Mater noſtra. Item, cùm eadem S. Mater Eccleſia finem litibus, & omnibus diſputationibus de hac materia ſufficienter impoſuerit, non intendimus ampliùs, nec eſt noſtræ facultatis revocare in dubium, & de eo diſputare, quod concluſum eſt, & receptum per S. Romanam Eccleſiam.* Et paulò poſt: *Nulli fas eſt, vel velle, vel poſſe transgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta: ſit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus, quisquis Apoſtolicis voluerit contraire præceptis ſeu decretis, nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, ſed extorris à ſancto miniſterio fiat; nec de ejus judicio quiſquam poſtea curam habeat, quoniam jam damnatus à Sancta & Apoſtolica Eccleſia, ſuâ inobedientiâ atq;*

Defectus ipſius enumerat.

pro Communione ſub una ſpecie perorat.

Authoritatem Sedis Apoſtolicæ tuetur.

Kk præ-

præſumptione eſſe non dubitatur; quia majoris excommunicationis dejectione eſt abjiciendus, cui S Eccleſiæ commiſſa fuerit diſciplina, qui non ſolùm Prælatus S. Eccleſiæ juſſionibus parere debuit, ſed etiam alÿs, ne præterirent inſinuare; ſitq; alienus à divinis & Pontificalibus officÿs, qui noluerit Apoſtolicis præceptis obtemperare. Ideò proteſtor primùm, quòd hic nihil intendimus dicere temerariè, quod eſſet contra S. Matrem Eccleſiam, nec diſputare ſuper jam concluſis: ſed illa recipimus, quæ illa recipit, & illa refutamus, quæ illa refutat. Sed quia nos urget, neceſſitas fidei, ne corda fidelium ſimplicia ex verbis Magiſtri, in fide & Communione unius ſpeciei infirmentur, intendo de adjutorio DEI confiſus de heſternis allegationibus reſpondere, & fidem S. Eccleſiæ explanare. In Seſſione IV. *Ex his omnibus apparet, quòd Communio unius ſpeciei, populo fidei, à Chriſto fundata & practicata, & ab Apoſtolis ſimiliter Canonibus firmata, & Conciliorum auctoritate & Doctorum ſententÿs laudata & approbata, non hæretica, non ſacrilega, ſed fidelis & Catholica, & ad ſalutem Chriſtianam ſit ſufficientiſſima. His peractis, quia jam dies deſcendebat, Rokyzanus petÿt dilationem, ut dictis his reſponderet.* In Quinta. *Heſterna die coram Serenitate veſtra vocati ſumus, & comparuimus, fecimúſq; ſatis pro debito noſtro, ſufficienter oſtendimus Communionem unius ſpeciei ſufficientem eſſe ad ſalutem; nec diſputavimus, nec diſputare intendimus, ſicut proteſtati ſumus, ſuper jam concluſis in materia fidei; nam illud eſſet primùm contra fidem Apoſtolicam, contra cujus præcepta & Canones nemini licèt venire: nec ad diſputationem nos ſumus vocati, ſed ad exceſſus iſtorum declarandos ſeu exponendos; quod & fecimus. Item quia ad diſputationem, ſi fas eſſet nobis diſputare, nec eſt locus, nec Judex, nec auditores competentes. Interim iſti inclamant, ſubvertunt, derident in plateis & ex cathedris ſuis. Sed ne ex parte noſtri poſſit aliquid deficere, ſi iſta non ſufficiunt, adhuc damus hanc viam: conſcribantur omnia dicta & facta noſtra fideliter, & ſigillentur annulo regio, mittantúrq; ad Dominum noſtrum Sanctiſſimum; quicunq; reportabit ſententiam, ille victor ſit. Quodſi difficile videtur, habet Dominus noſter Sereniſſimus Rex, amiciſſimum Cæſarem, habet Chriſtianiſſimum*

Proteſtatur, ſe nihil velle dicere, niſi quod recipit & docet Sancta Mater Eccleſia:

Iterum pro Communione ſub una ſpecie dicit, & ſufficientiſſimam ad Salutem oſtendit:

Regem alloquitur,

rationem præſentis colloquij reddit,

& de veritate dictorum ſuorum, ad Sedem Apoſtolicam, vel etiam ad vicinos Reges, Principes, imò & Univerſitates provocat.

mum

mum Regem Francorum affinem, habet Reges, habet Principes & affinitate & amicitia junctos. Sunt in Imperio, Regnis & terris Univerſitates: Romana, Bononienſis, Pariſienſis, Oxonienſis, Toloſana, Salemantina, Veronenſis, Avinionenſis, mons Peſſulanus, Ladomienſis, Orlienſis, Cantabrigenſis, Paduana, Peruſiana, Ferrarienſis, Senenſis, Florentina, Papienſis, Parmenſis, Erfordienſis, Cracovienſis, Viennenſis, Livonenſis, Roztocenſis, Lipſenſis, Heidlbergenſis, Baſilienſis. Mittat ad illos, & ad illas noſtra ſcripta; mittat in Græciam, vel quò placebit, aut ſcripta noſtra, aut perſonas noſtras: & cujus ſententia laudabitur, ſit contentus, &c.

Inter hæc etiam accidit, quòd Rokitzanus exhibuerit literas, quas Decanus ad quendam Sacerdotem propriâ manu ſcripſerat, prohibens dari vel concedi cuiquam alteri ſacros Liquores, qui Romanæ Sedis Religionem, ſive ſub Una, non profitetur. Non negavit Decanus, uti erat vir cordatus, & cum magnitudine animi, tum dicendi libertate ante alios inſignis; palamque faſſus eſt, audientibus Rege & Statibus: ſe omnino prohibuiſſe, prohiberéque defactò, nec velle dare ulli, niſi fuerit ſub obedientia. Vir profectò heroicis connumerandus ingeniis, & ſupra ordinis ſui opinionem fortis & impavidus: ſicut & Collega ejus Krzizanovvsky, pari pietatis zelo pro Religione Catholica flagrans. Tanto námque ardore, & tot potentiſſimis rationibus in medium productis, támque divinâ penè facundiâ, Catholicæ Religionis placita, ac imprimis Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ſunt tutati, ut niſi inſana maleferiatorum judicia ſchismaticas aures occupâſſent, palmam certò fuiſſent de impietate relaturi. Id ſaltèm tulêre fructûs, quòd non modò impune pro veritate dixerint, ſed licuerit ambobus, & cæteris qui cum ipſis erant, ſecurè ad propria reverti. Et quàmvis Rokitzanus confuſus toties id ferret graviſſimè, & ad nocendum pro ſua malignitate promptus, quæſitis ad ſpeciem cauſis, Regem contra innocuos ſæpe ſæpiùs incitaret: non impetravit tamen, ut duriùs quicquam vel in unum ſtatueretur.

Hilarij ad obiecta Rokytzani

hæroicum reſponſum.

Canonici Prag. præclari Veritatis Catholicæ Defenſores.

Huc pertinet P. Georgij Crugerij Soc. JESU in SS. Pulveri-

Canonicorum Prag. eximia laus.

ribus (*s*) de ijs latum encomium. *Caterùm Magni illi ad D. Vi-ti in Metropolitana Eccleſia Prælati, vivant in poſterorum me-moria, ſintq; in Tiara illa fulgurantes carbunculi! Promeruerunt ta-les notas, ſuis illis glorioſis vindicijs, quin & paulo poſt etiam tole-ratis exilijs. Sed hæc decora tulerunt, non ſoli iſti duo, verum & alij multi: quorum humeris, veluti Atlantium ac Herculum quo-rundam, toto interſtitij tempore, quod ad Antonium usq; Archie-piſcopum AA. CCXXXII.* (malim ego CCXL.) *duravit, Eccleſiam illam ſuam D. Viti, ac univerſim per Regnum Bohemiæ, Catholi-cam, etiam fortiter & magnificè impendendo ſumptus, ſanguinem ac vitam quoq;, ſuccolaverunt.* Addo ego: *vexari ab infideli-bus potuerunt, vinci non potuerunt;* & quod de Monocerote: *interimi poteſt, capi non poteſt;* hoc ego quoque de Capitulari-bus noſtris viris fortibus dictum puto. Item P. Joannis Tan-ner ejusd. Societatis in Veſtigio Piæ Bohemiæ. (*t*) *Quamvis diu-tem turpiſſima hæc hæreſis dominatum poſtea obtinuerit in Bohe-mia; Capitulum tamen Canonicorum Eccleſiæ Pragenſis Metropo-litanæ manſit ſemper Deo & Eccleſiæ* Fidele, *ſempérq; hæreticis, ut potuit, reſtitit: prout apparet etiam ex acerrima illa diſputatione apud Henricum Caniſium in antiquis lectionibus typis vulgata, ha-bita in regia Pragenſi anno 1465. à 2. February per dies aliquot; ubi coram Georgio Rege, Proceribúsq; Bohemiæ, fortiſſimè doctiſſi-méq; Joannem Rokyczanam, & alios hæreticorum anteſignanos re-futavêre Doctor Hilarius de Litomerzicz Capituli Pragenſis Deca-nus, & Doctor Wenceslaus Krzizanowsky Canonicus, præclari ve-ritatis Catholicæ propugnatores.* Juvat, pro Fidelitate Capituli, Eccleſiæ ac Romanæ Sedi conſtantiſſimè ſemper ſervata, meli-

Litteræ Pauli II. ad Capitulum Prag. quibus fidelitatē ejus deprædicat, &

ùs elucidanda, litteras quoque Summi Pontificis Pauli II. qui Pio piê defuncto ſucceſſerat, ad Capitulum datas, hìc referre: (*u*) *Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filijs Capi-tulo Eccleſiæ Pragenſis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

Inte-

(*s*) *Ad diem 5. Febr. ubi Diſputationis hujus proceſſum refert.* (*t*) *Tann. in Veſtig. Piæ Bohem. cap. V. impreſſo Coloniæ Agripp.* (*u*) *Arch. Ca-pitul.*

Locuturus nobis dilectiſſimi filij ad vos, qui ritum & communionem Apoſtolicæ Sedis profitemini pariter & tenetis, det Apoſtolicus ſermo principium, ut audiant fideles diſcipuli illius, qui prædicavit gentibus magni verba Doctoris. Primum, inquit, gratias agimus Deo noſtro per JESUM Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur univerſo mundo. Rectè, inquam, fides veſtra annunciatur atq; laudatur; quando Sanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis fidem unitatémq; tenentes, de Sacramento Euchariſtiæ ea docetis atq; ſervatis, quæ ſacroſancta Romana Eccleſia, veſtra & cunctorum fidelium Mater ſervat & docet: ſcientes, quod quicunq; extra Eccleſiam agnum comederit, prophanus eſt. Quoniam Beato Cypriano teſte, hoſtis Chriſti eſſe probatur, qui Romanæ Eccleſiæ non retinet unitatem. Gaudemus equidem hâc veſtrâ conſtantiâ; rogantes Dei noſtri clementiam, ut quod incepit, in vobis confirmet atq; perficiat. Et quoniam vos Sacerdotes atq; Dei miniſtros, in populo ſuo Spiritus Sanctus inſtituit, ut ſuperintendatis gregi dominico, ad regendam Eccleſiam, quam Chriſtus Deus noſter acquiſivit ſanguine ſuo, hortamur vos & obſecramus in Domino, ut in hac fidei ſynceritate perſeverantes, confirmetis infirmos, puſillanimes erigatis, docentes ritum Communionis ſub una ſpecie, ab univerſali Eccleſia, & Sanctis prædeceſſoribus veſtris Apoſtolicis viris retentum fuiſſe, atq; ſervatum. Et ne quiſquam fomentum erroris ex Romanæ Eccleſiæ obſervatione ſuſcipiat, ſcitote glorioſæ memoriæ Sigiſmundum Romanorum Imperatorem & Regem veſtrum, cùm à felicis recordationis Eugenio Papa IV. præ deceſſore noſtro, & nobis ſecundùm carnem avunculo, Imperiale diadema ſuſciperet, ſub Una tantùm ſpecie Communionem ex manu Sancti Pontificis ſuſcepiſſe, ut fidem quam profitebatur, toto mundo ſpectante, ſuo exemplo firmaret. Idem Fridericus qui modò imperat obſervavit, cùm imperiales Infulas à Nicolao V. ſuſciperet. Nos verò, ut Prædeceſſorum noſtrorum fidem & morem apertiùs teſtaremur, & adverſantium deteſtaremur errorem, proximo Paſchate omni populo ſpectante ſub Una tantùm ſpecie Sacramentum Euchariſtiæ Laicis exhibuimus. Quæ quidem recenſere voluimus, ne quiſquam imbecilliores inanibus verbis, ritum Eccleſiæ Romanæ jactando, ſeducat. Vos autem hor-

hortamur dilectiſſimi filij, quibus veluti ſcientibus lo[quimur ſapien]tiam inter perfectos, adeſtote Catholicæ Fidei, Eccleſiaſticæ [...] conſulite! rogantes atq; ſervantes, quæ ad pacem ſunt H[ieruſalem]. Induite vos armatura Juſtitiæ, & galeam ſalutis appr[ehendite], ſcientes quòd qui legitimè certaverit, coronabitur. Non v[os terreat] perfidia impiorum; ſed potiùs moveant exempla S[anctorum], qui ſeminantes in lacrymis, cum exultatione metebant. N[ulla est] tribulatio temporalis, ſi ante oculos perenne præmium proponatur. Sic enim clamat S. Apoſtolus: non ſunt condignæ paſſiones hujus ſeculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. V[os igitur], omnésq; Catholicos in commune, noſter hic ſermo compl[ectitur, ut] magis ac magis roborati, & confidentes in Domino non terr[eamini]. Quin imò medeamini infirmitatibus aliorum: vobis enim com[mendamus] infirmos, quibus tamen, & nos ipſi non deerimus; ſed v[obis] & illis, quantum nobis Dominus permiſerit, pro zelo Catholi[cæ Fi]dei opem & auxilium miniſtrabimus. Datum Romæ apud S[anctum Pe]trum, anno Incarnationis Dominicæ, 1465. XI. Calendas M[aji, Pon]tificatûs noſtri anno I. Hunc in modum Capitulum Pragenſe per ſe aliàs conſtantiſſimum, ſed per hanc Summi Pontificis paternam cohortationem adhuc magis confirmatum, tanto obſtinatiùs etiam deinceps in debita Fidei Orthodoxæ, Sedisque Apoſtolicæ obſervantia, cum immortali laude perſtitit.

ad conſtantiam hortatur, — *opem & gratiam Apoſtolicam promittens.*

Hoc & ſequenti anno, Georgium inter & Barones Catholicæ Religioni addictiores, gliſcebant odia & ſimultates graves, tamdiu, donec ad extremum, út jam alibi innuimus, erumperunt in atrox civile bellum: dum Pontifex non amplius cunctandum ratus, Georgij tanquàm hæreſeos pridem damnati nomen, die 23. Decembris, anno 1465. piorum Albo expunxit, declarando privatum Regiâ, & quâvis aliâ dignitate, Regnis, provincijs, bonis, ac juribus omnibus: abſolvendo item ſubditos ab homagij ſubjectione, juratæ fidei nexu & obligatione quacunque. Hinc igitur nova turbarum inteſtinarúmque ſeditionum materies.

Pontifex Georgium Sacrorū communione & regiâ dignitate privat,

Prælati & Canonici Metropol. aliquamdiu adhuc quietam apud Eccleſiam ſtationem continuabant, quòd Georgium utca-

utcunque ſibi lenem & benignum, neque dum à Pontifice diris premeretur, averſum experirentur. Tandem, cùm alia rurſum mandata anno 1466. atque iterum anno 1467. Româ fuiſſent allata, quibus Georgius omni Regio, Ducali & Marchionali honore, non in præſens modò, ſed in perpetuum privabatur, cum denunciatione Apoſtolici fulminis, ijs, qui contrà agendo aut ſentiendo, in obſequio ejus obſtinatiùs perſiſterent, nihil ampliùs cunctandum rati, Plſnam quamprimùm ſecedere conſtituerunt. Sanctius illis fuit nomen Pontificis, quàm ut Georgij blanditijs aut humanitate moverentur, & Schisma probarent: adeóque conſtantiam hanc exilio, & fortunarum imminutione luere maluerunt. Ne verò conſuetus Sacrorum in Eccleſia Metropol. ordo, ſi, ne uno relicto, qui Vicarijs & alijs inferioribus Eccleſiæ miniſtris præeſſet, abſcederent, defectum aut diſturbium aliquod pateretur, placuit, ut aliqui tantùm, cum Decano tanquàm Adminiſtratore ArchiEpiſcopatûs, præſertim quos ille in ſocietatem oneris à Capitulo conſtitutos habebat, & qui ipſi lites cognoſcenti pro tribunali aſſidere ſolebant, Plſnam vel quocunque aliò, ubi tutiores ſeſe futuros exiſtimarent, migrarent, ibíque officio ſuo liberè fungerentur; reliqui autem, ſi tamen id Legatus Pontificius Rudolphus Epiſcopus Laventinus, Wratislaviæ agens, probaret, domî penes Eccleſiam ſeſe continerent. Dum hæc ſecretiori colloquio ſtatuunt, jamque de modo, quo iter ſuum inſtituant, ut Plſnam tutò pervenire poſſint, conſultant, (neq; enim ignorabant, quod paſſim fama ferebat, infeſta eſſe quaquaverſùm itinera, multóſque per inſidias intercipi) venit Jodocus de Unſidl, qui Georgio à ſecretis erat, ad Decanum, cum regio mandato, ut ad diem XIV. Aprilis, unà cum alijs tribus Eccleſiæ Prag. Canonicis, in Curia Regali Veteris Urbis Prag. compareret: plures alios tam Eccleſiaſtici Ordinis, quàm ſecularis ſtatûs, & quidem è Proceribus Regni præcipuos, cò eſſe vocatos; Regem habere quodpiam ſingulare, quod pro tuenda regia ſua dignitate, procurandáque publica regni quiete, proponeret, & quod ad univerſorum notitiam perduci neceſſarium eſſet. Plena periculi res erat

& illis, qui in obſequio ipſius perſiſterent fulmen Apoſtolicum denunciat.

Capitulares Plſnam migrare conſtituunt.

dúmq; de itinere ſuſcipiendo conſultant,

à Georgio in Aulam Regiam vocantur, ubi ille,

erat, ſecùs facere, quàm juberetur. Itáque aſſumptis Wenceſlao Krzizanowsky, Stanislao de Welwar, & Nicolao de Hurzepnik Canonicis, die quæ deſtinata fuerat, in Regia comparet. Venerant etiam Joan. Abbas Strahowienſis Ordinis Præmonſtratenſium, Paulus Præpoſitus Zderaſenſis Ord. Cruciger. Dominici ſepulchri, & F. Paulus Quardianus Monaſterij S. Ambroſij Ordin. Minor. de Obſervantia, juſſu Georgij. Barones item & Nobiles quàm plurimi: Leo de Rozmital Supremus Regni Præfectus, Henricus de Michalovvicz Supremus Camerarius, Procopius de Rabenſtein Supremus Regni Cancellarius, Slavata de Chlum & Koſſmberg Magiſter Curiæ Regalis, Borzita de Martiniecz Capitaneus Caſtri Pontenſis, Wilhelmus de Riſmberg & in Rabie, Hermannus de Zwirzetice Joannes de Kolowrat & de Bezdruzicz, Joannes de Kolovvrat & de Cerhovvicz, Czenko Miczan de Klinſtein, Joannes Kuna de Kunſtat, Jeſsko de Bozkovvicz & de Swoganow, Zbinko de Kolovvrat reſidens in Kornhaus, Parciffal de Lichmberg Ludovici Bavariæ Ducis Conſiliarius, Joannes de Raupovva, Nicolaus Strzela de Rokycz, Wenceslaus de Waleczovv, Samuel de Hradek, Borzivog de Lochovvicz, & alij.

præſentibus etiam alijs Prælatis, Baronib9 & Nobilibus Regni,

contra ſententiam Pontificis ſolenni ſcripto, in forma Appellationis ad generale Concilium provocat.

In horum conſeſſu Georgius, præter omnem expectationem, aliquibus tamen conſcijs, ſolenni ſcripto, quod ipſemet Bohemico idiomate legerat, contra ſententiam Pontificis, in forma Appellationis, primò ad ipſum Pontificem pleniùs de re informandum; deinde ſi perſiſteret ille in propoſito, ad ejus Succeſſorem, vel ad proximè futurum generale Concilium, eſt proteſtatus; petens illud à quatuor Notarijs Publicis, qui juſſu ipſius aderant, ad notam, ùt ajunt, accipi, in Latinum transferri, ac confectis deſuper inſtrumentis authenticis, pro debito Tabellionatûs ſui officio, omnibus quorum intereſſet, vel intereſſe poſſet, publicari. Quæ proteſtatio tam vehemens multorum animos, ac imprimis Decani haud mediocriter perculit; qui tametſi non ignoraret *nunquam magis ſimulatione opus eſſe, quàm cum apud illos agis, in quorum manibus vita ſalúsq; tua eſt, ut etiam injuriam accepiſſe, injuriam eſſe neges, contume-*

liam

liam non agnoſcas, ignores dolos tanquam inſidiarum neſcius: hic tamen anthoritatem Summi Pontificis ſugillari videns, contineri non potuit, quin etiam, obtentâ loquendi veniâ, contra palam proteſtaretur; ſe quidem mandato Regis haud gravatè paruiſſe, & ad præſentem conventum vocatum cum Collegis ſuis, poſthabitâ omni tergiverſatione veniſſe, ignarum licèt cauſæ; jam verò mentem Regiæ Celſitudinis (hâc phraſi tum adhuc uti oportebat) prolixè cognoviſſe: probare tamen ſe nullo modo poſſe Appellationem hujusmodi, quæ ſupremæ in Eccleſia poteſtati tam manifeſtè deroget. Notum omnibus eſſe, Pium II. Pontificem Maximum, non ita pridem, in Mantuano Concilio tales appellationes ad futurum Concilium, ſeveriſſimo edicto prohibuiſſe, & in Sigismundo Archiduce Auſtriæ etiam damnâſſe; atq; non ſolùm ita appellantes, verùm etiam Notarios, teſtésq; & alios adhærentes omnes, veluti hæreſeos læſæq; Majeſtatis crimine reos, latâ lege excommunicâſſe. Petere igitur Regem & obteſtari, ut repudiatis hiſce pernicioſis conſilijs, alia potiùs ſalubriora, per quæ Sanctæ Sedi reconciliari poſſit, ſyncerâ mente amplecti & ſequi velit, ne aliàs propoſito ſuo pertinaciùs inhærendo, ſeram, nec ſine dedecore pœnitentiam, cum irrecuperabili famæ, dignitatis, fortunarúmque omnium detrimento, ſentiat, atque adeò inauſpicatis conſilijs ſpes ſuas ulteriores omnes fœdè corrumpat, ac tandem etiam in ruinam præcipitet. Converſo demum ad Tabelliones ſeu Notarios publicos ſermone, proteſtationem hanc ſuo & Collegarum ſuorum nomine factam, ad notam quoque accipi, & præſentis Actûs protocollo inſeri petijt. (*x*)

Hilarij Decani in propuganda Apoſtolicæ Sedis authoritate Zelus; qui Appellationem hujusmodi reprobat, & Proteſtationẽ ſuam contrà, à Notarijs Publicis in tabulas referri petit.

Hæc ab Hilario Decano, præter aliorum opinionem, dicta Georgij animum altiùs penetrârunt: tametſi enim illum cultorẽ Romanæ Sedis extitiſſe ſemper ferventiſſimum non ignorabat: hæc tamen dicere in publico, & voluntati ſuæ tam audacter

Ll. con-

(x) *MS. Epiſtola Hilarij data ad Jodoc. de Roſenberg. VVratisl. Epiſc. & Præpoſ. Prag. dat. in Zbirob. die 21. Apr. 1467. Alia Procopij Supr. Cancell. ad Joan. de Rabſt. Præpoſ. VViſſebrad.*

Cujus dicti libertatem & audaciam Georgius egregiè diſſimulat.

contraire, vix auſurum putabat. Et tunc iræ utcunque potens, vel uti aliàs, ſimulandi diſſimulandiq; faber egregius, ne verbo quidem aſperiore illum ſic contradicentem interpellavit, minùs ut probris & convitijs proſcinderet. Nec aliud poſtea loquutus, quàm ſe aliter honori & dignitati ſuæ hic & nunc conſulere non poſſe, ſic etiam probatæ fidei amicos, ſic alios juris Divini & humani peritos ſuadere, Conventum dimiſit.

Hilarius cum alijs, auxilio Hanuſſij Baronis de Kolovvrat, Plſnam pervenit.

Nec multo poſt Decanus, opportunam & tutam occaſionem perveniendi Zbirohum, ad arcem Hanuſſij Baronis de Kolovvrat nactus, eò cum Krzizanovvskio, ac inde Plſnam ſe contulit. Baro hic fuit Catholicæ pietatis obſervantiſſimus, & non minùs vetuſtate Nobiliſſimæ in Bohemia familiæ, quàm doctrinâ, rerum uſu, morum gravitate, prudentiâ, bellicâ etiam virtute, atque animi fortitudine inſignis; qui mortuâ conjuge, Statum Eccleſiaſticum, hoc ipſo anno 1467. amplexus, ſacriſque initiatus, primò Canonicus Prag. & Wiſſehradenſis, deinde poſt obitum Jodoci de Roſmberg Epiſcopi Wratislavienſis, Eccleſiæ Prag. Præpoſiti eodem anno die 12. Decembr. defuncti, Præpoſitus, ac tandem poſt Hilarij mortem Adminiſtrator ArchiEpiſcopatûs Pragen. factus, pro Bohemia in Romano Catholica Religione retinenda, magnâ ſanè curâ atque conſtantiâ laboravit: cujus proinde inferiùs erit nobis crebrò meatio facienda.

Hanuſſij laus: qui mortuâ uxore, fit Canonicus, ac demum etiam Præp. Prag.

Pius II. Eccleſiam Prag. Hanuſſio tum adhuc in ſeculo exiſtenti, commendat:

Pius II. Pontifex Max. ſciens virum priſcæ religionis eſſe tenaciſſimum, & protectorem Cleri Catholici ſingularem, ac in multis probatum, per ſpeciales anno 1461. ei Eccleſiam Prag. commendavit: quarum tenor.

Dilecto filio, Nobili viro Anuſſio de Zbiroh. Dilecte Fili, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quamvis Fidei tuæ conſtantia & devotio, quam ſemper habuiſti, & habes ad Apoſtolicam Sedem, non indigeat confortatione aut exhortatione, ut in bono perſeveres: tamen caſus Wenceslai Decani Prag. expoſcit, ut te & alios fideles ad vigilandum excitemus, ne adverſarius Fidei Sathan, princeps perfidorum ſiniſtri aliquid introducat. Hortamur igitur Nobilitatem tuam, ut Orthodoxæ Fidei noſtræ virili devotione aſſiſtas

ſtat, & Pragenſem Eccleſiam, quæ omni auxilio indiget, etiam noſtri intuitu, ut verum Nobilem decet, recipias commendatam. Datum Romæ, apud S. Petrum, ſub annulo Piſcator. die VII. Febr. M. CCCC. LXI. Pontif. noſtri an. III.

Sequenti rurſum anno has ad illum dederat.

Pius Epiſcopus Servus Servorum DEI. Dilecto filio Hanuſſio de Kolowrat, Salutem & Apoſtolicam bened. Venerunt ad nos Oratores chariſſimi in Chriſto filij noſtri Georgij Bohemiæ Regis Illuſtris, & inſtanter ipſius Regis nomine apud Nos egerunt, ſupplicantes, ut in vim Compactatorum permitteremus Communionem ſub utraq; ſpecie. Nos habitâ cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. Rom. Eccl. Cardinalibus diligenti ſuper his examinatione, & plenâ diſcuſſione, reperimus non poſſe, cum DEI, & noſtro ac Sedis Apoſtolicæ honore, regias petitiones in ea parte exaudire, nec id ad quietem illius Regni & aliorum cederet, ac ea quæ tanquàm Compactata per nos confirmari petebant, nullam vim habere: & ita de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, & maturâ deliberatione, in publico Conſiſtorio reſpondimus & declaravimus. Quapropter hortamur in Domino devotionem tuam, ut te, prout hactenus viriliter feciſti, in obſervantia & ritu S. Matris Eccleſiæ Rom. conſerves, & alios, ut ſe eisdem ritui & obſervantiæ conforment, omni ſtudio inducere procures: quod nobis, qui unionem Chriſti fidelium, & ſalutem animarum præcipuè deſideramus, gratiſſimum erit, & tibi alijsq; ad honorem apud homines, & apud Deum ad meritum, & animarum ſalvationem cedet. Mittimus autem ob hanc cauſam, dilectum filium Fantinum de Valle Nuncium noſtrum præſentium exhibitorem: cui nonnulla commiſimus noſtro nomine Devotioni tuæ referenda, ſuper quibus plenam fidem ſibi adhibeat. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1462. V. Id. April. Pontificatûs noſtri IV.

Paulus II. ſingularem ei gratiam confert;

Paulus II. verò, per ſpeciales ei hanc gratiam indulſit, ut tam pro ſe, quàm pro ſua conjuge, liberis & cognatis, eligere poſſit Confeſſarium quemcunque, qui illos à quibuscunque peccatis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolvere valeat. *Paulus Epiſcopus Servus Servorum DEI. Dilecto filio Nobili viro Hanuſſio de Kolowrat Domino Loci de Zbiroh, Pragenſis*

Diœceſis, & ejus in præſentiarum Uxori, eorũmq; ſororibus ac liberis utriusq; ſexûs, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis veſtræ ſinceritas promeretur, ut votis veſtris, in his præſertim, quæ ad animarum veſtrarum ſalutem cadere valeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ut Sacerdotem idoneum ſecularem, vel regularem, in veſtrum poſſitis eligere Confeſſarium &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1466. Calend. Januarij, Pontificatûs noſtri anno tertio.

atque iterum aliam,

Alijs iterum, cùm ille mortuâ paulo poſt conjuge, ad StatumEccleſiaſticumSacróſqueOrdines quantocyùs ſuſcipiendos ſeſe determinâſſet, datis ad Epiſcopum Laventinum Legatum ſuum, cum illo, ut etiam extra tempus in Eccleſia conſuetum Sacris initiari poſſet, clementiſſimè diſpenſavit.

nimirum ut ſtatum Eccleſiaſticum ingredi cupiens, Sacris initiari poſſit, etiam extra tempus.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum DEI. Venerabili Fratri Rudolpho Epiſcopo Laventino Apoſtolicæ Sedis Nuntio. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis, quam dilectus filius Nobilis vir Hanuſſius de Kolowrath, Dominus loci de Zbiroh Pragenſis Diœceſis, ad nos & Romanam gerit Eccleſiam, promeretur ſynceritas, ut votis ſuis, quantum cum DEO poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dicti Hanuſſij petitio continebat, quòd ipſe qui olim cum unica, & Virgine jam defuncta conjugatus fuit, ex magno devotionis fervore militiæ clericali adſcribi, & ad omnes ordines promoveri, & in illis Altiſſimo perpetuò famulari deſiderat. Cùm autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, olim ex mandato ipſius Hanuſſij nonnulli malefactores, qui plura & diverſa facinora exceſſus & crimina, in locis ſui temporalis Dominij perpetraverunt, eorum demeritis exigentibus, per Officiales ſuos ultimo ſupplicio affecti fuerint, ipſéq; Hanuſſius interdum in bellis, in quibus homicidia commiſſa & rapinæ factæ fuerunt, interfuerit, licèt nullum unquam proprijs manibus interfecerit; pro parte dicti Hanuſij nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſecum, ut ad omnes Sacros Ordines, etiam extra tempora à jure ſtatuta, promoveri, atq; in illis ac Altaris miniſterio miniſtrare libere ac licitè valeat, diſpenſare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos

igi-

igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs, ſi eſt ita, cum præfato Hanuſſio, ut ad omnes hujusmodi Ordines, etiam extra tempora à jure ſtatuta (tamen Dominicis aut alijs feſtivis diebus) per te duntaxat promoveri, & in illis ac Altaris miniſterio miniſtrare liberè ac licitè valeat Auctoritate noſtrâ diſpenſes. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Datum Romæ apud S. Marcum, anno 1467. XVIII. Calend. Maij, Pontificatûs noſtri an. III.

Hilarij ad ſuos Pragæ degentes litteræ:

Redeo ad Hilarium Decanum, quem initio Maij ad Capitulares Pragam has literas dediſſe invenio: *Venerabilibus Dominis & Confratribus in Eccleſia Prag. conſtitutis, ſalutem. Quia nos apud Eccleſiam Pragenſem, ùt ſcitis, perſonaliter reſidere non poſſumus, ſuper quo etiam diſpenſationem habemus: quapropter nos Venerabilem Dominum M. Petrum pro nobis Vice-Decanum in actibus & officijs Divinis, ac Eccleſiæ diſpoſitione duntaxat conſtituimus. Vobis verò Venerabilibus Dominis Wenceslao Bartlikoni, M. Joanni, & Domino Plebano præcipimus & mandamus, ut ab Eccleſia recedatis, certis nos ad hæc cauſis moventibus, ſive ad nos, ſive aliò, ubi placet. Dominis verò Vicarijs & Altariſtis ibidem præſentibus, ſub pœna Excommunicationis præcipimus & mandamus, ut nequaquam ab Eccleſia Pragenſi recedant, niſi aliud à nobis per expreſſum habuerint in mandatis, ſi indignationem Sedis Apoſtolicæ, & pœnas per nos fulminandas voluerint arctiùs evitare. Dat. in Nova Plſna 2. Maij, anno M. CCCC. LXVII.*

Interdictum per Bohemiam contra Georgij fautores

Juſſu deinde Pontificij Legati, vel potiùs mandato Summi Pontificis Pauli II. Interdictum per Bohemiam publicari fecit, illúdque etiam in quosdam, qui pertinaciùs adhærebant Georgij partibus, tulit. Sed ut magìs pateat, ardens ipſius in tuenda authoritate Apoſtolicæ Sedis ſtudium ac zelus, quædam ex Actis ejus, ac imprimis ex litteris ad varios hac in cauſa datis, paucis hic delibemus. (x)

(x) *MS. Acta D. Hilarij Decani & Adminiſtr. Prag.*

Hilarius Parocho Kadanenſi ſententiam Summi Pontificis contra Georgium latam publicari mandat:

Vobis Honorabili & Religioſo Patri Cyriaco Commendatori Domûs Cadanenſis & Plebano, mandamus, & in virtute S. Obedientiæ, authoritate Apoſtolicâ, quâ in hac parte fungimur, præcipimus, ſub pœna Excommunicationis, ut ſententiam Sanctiſſimi Domini noſtri, quam vobis tranſmittimus, in præſentia populi ex ambona publicetis, publicariq; in lingua materna faciatis: quatenus ab obedientia Georgij de Podiebrad, civitas Cadanenſis, cum ſuis pertinentijs, â die publicationis infra ſex dies recedat. Quod ſi animo indurato, aut timido, aut alio quocunq; quæſito colore illud, quod abſit, facere noluerint: ex tunc auctoritate nobis commiſſâ, vos & omnes Vicarios, altariſtas & Capellanos, volumus à Divinis Officijs penitùs abſtinere: quorum reſtitutionem Reverendiſſimo Domino Legato, ac Sanctiſſimo Domino noſtro duntaxat reſervamus. Non obſtantibus Privilegijs quibuſcunq;, quæ in hoc caſu nullatenus vobis poſſunt ſuffragari. Dat. in Nova Plſnæ Anno 1467. die 4. Maij.

Idem etiam alios facere jubet:

Sub eodem tenore ſcriptæ Cubitum, Chomotovium, Pontum, Auſtam, Budvicium, Franciſcanis Cadanenſibus, Commendatori Ponti, Præmonſtratenſibus Teplenſibus & Merklinenſibus. Item Magiſtro Nicolao Canonico Eccleſiæ Prag. Archidiac. Zatecenſi.

Archi-Diacono Zatecenſi, ſi ſecus fecerit, cenſurâ minatur.

Venerabilis Domine Archidiacone. Miramur quòd negotium fidei ita remiſſè agitis, & cives veſtri tam ſegnes ſunt & deſides, præ timore mundano: verbis fidem confitentur, & factis negant. Oraſtis pro illis, ut ſuperſederemus ab executione &c. Quapropter niſi citò obtemperaveritis, & ad diem 1. Junij nobis aliquid certi reſponderitis, ex tunc, prout ex nunc, vos & Clerum veſtrum, auctoritate Apoſtolicâ, ſuſpendimus à Divinis &c. Ex Nova Plſna. XXVI. Maij. ſub noſtro Secreto.

Religioſis Fratribus, Petro in Kaczerow, & Erhardo in Libſtein.

Alios ab infidelium converſatione dehortatur, quod

Quoniam vos in maximum periculum animarum & Status veſtri, contra Sedis Apoſtolicæ mandata, & abſq; noſtra requiſitione, præſumitis Divina celebrare coram fautoribus, adhærentibus & auxiliatoribus hæreticorum, & impugnatoribus Chriſtianorum: qui quamvis ſe dicant eſſe Chriſtianos, tamen Dominos Catholicos, & alios Chriſti fideles perſequuntur, mandata Apoſtolica & ſui Le-

gatis

gati contemnentes, neq; obedire volentes; quibus nomen Chriſtiani non proficit, ſi operà aliud loquantur; nam conſentientes, & facientes eâdem pœnâ puniuntur. Quare vobis in virtute S. obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut poſt lapſum XII. dierum, à converſatione Dominorum veſtrorum, & à Divinorum celebratione abſtineatis. Quod ſi non ceſſaveritis celebrare, ex tunc noveritis vos in irregularitatem & excommunicationem incidiſſe. Vos autem Domine Erharde, has litteras mox ad Kaczerow ſub obedientia mittatis. Datum in Nova Plſna 6. Junij.

Religioſo Fratri Adalberto Canonico Reg. Ord. Præm. Monaſt. Teplenſis.

Salutem. Domine Adalberte dilecte. De damno vobis illato multùm doleo, & quantum potero intercedam ad Dominum (hic erat Burianus de Guttenſtein) *ne vos lædere permittat. Si tamen homines illi non ſunt contra fidem Catholicam, ne dum verbo, quod non ſufficit, ſed opere & facto. Votis autem veſtris favere non poſſum, quamdiu Domini veſtri adhærent illi depoſito & excommunicato: ſic ex litteris eorum intelligere poteritis. Quapropter eos moneatis, ut faciant, prout decet bonos Catholicos facere cum effectu. Et ego ero paratiſſimus ipſis ſervire, & officium divinum admittere, & alia facere, quæ meum officium concernunt. Aliàs ſi præter hoc mandatum celebraveritis, noveritis vos excommunicatiônem & irregularitatem incurriſſe ipſo facto. Datum Plſnæ in Vigilia Viſitationis Virginis Matris glorioſæ.*

nisi cessent, excommunicationem minitatur.

Venerabilibus & Honorobilibus Dominis Magiſtris, Nicolao Archi-Diacono Zatecenſi, Stanislao Decano Kadanenſi Canonicis Eccleſiæ Pragenſis, Cyriaco Commendatori, & Conrado Quardiano Kadanenſi. Salutem & Apoſtolicis mandatis obedientiam. Mittimus ad vos litteras ſeu brevia plumbata Sanctiſſimi Domini noſtri, mandantes vobis in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis privationisq; beneficiorum veſtrorum, quatenùs populum vobis ſubditum ad hoc inducatis, hortemini & ſtrictiùs, cùm jam ſeveritate opus ſit, adſtringatis, ut mandatis his Apoſtolicis firmiter obtemperare ſtudeant. Etenim niſi fideles & Catholici hactenus cenſiti fuiſſetis, Sedes Apoſtolica, quæ de vobis diffidere viſa eſt,

Archid. Zatecenſem & alios ad parendũ mandatis Apoſtolicis ſeriò admonet

ſa eſt, cum tot litteras benignitate paternâ plenas ad vos miſiſſet. &c. Verùm vos iſta quâdam conniventiâ, & ut dicamus, ſurda aure pertranſire omnia vultis; ſunt ne iſta ſigna obedientiæ? ſunt filiales timores? degenerant hæc ab ordine veſtro, & in maximam inobedientiæ notam, propter temporalium fortaſſe amorem obliquant. Quapropter niſi mox viſis præſentibus (conſentiat populus, quod confidimus; vel non conſentiat, quod abſit) ita ut mandat Sanctiſſimus Dominus noſter, feceritis in effectu: Vos in ſolidum, & quemlibet veſtrum auctoritate Apoſtolicâ, quâ in hac parte plenè fungimur, ſuſpendimus à Divinis. Interdicentes vobis per expreſſum, ne audeatis Divina Officia peragere, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare civitati & viciniæ circumquaq; donec ad cor redeuntes, quæ filiorum ſunt ſanctæ obedientiæ fideliter exequamini. Indignum eſt enim quòd membra à Capite audeant diſcrepare. Ex Plſna in die Viſitationis Virginis Glorioſæ.

Venerabili Patri Domino Nicolao Abbati Inſulæ Ord. S. Benedicti. *Salutem. Quia diebus his Clerus ob malitiam hæreticorum perſequutionem paſſus plurimùm anxiatur; nec tamen ſic quidam mitiores, & animo humiliores coram Deo & hominibus efficiuntur. Sunt enim, ùt intelleximus, in Caſtro Zbiroh, unà vobiscum collecti nonnulli per Nobilem & Generoſum D. Hanuſſium pietate ſuâ: ſed illi non ita ſe gerunt, ut eorum Status requirit. Quare cùm ibidem perſonaliter conſtitui non poſſumus, vobis vices noſtras ad præſens committimus, ut eosdem, in quibus exceſſerunt, præſertim circa ſtatum ſuum, & honorem Domini ſui, arguendi, corrigendi, puniendi plenam habeatis facultatem. Quam concedimus per præſentes, usq; ad noſtrum beneplacitum duraturum. Dat. Plſnæ in die S. Procopij.*

Abbati Inſulæ Clerum in Zbiroh congregatum regendũ committit:

Presbyteris Pontenſibus. *Domini & amici dilecti.*

Interdictum auctoritate Superioris latum, ego laxare non poſſum, ſi minantur manus ſeculares, patientiam habete; arcta via ducit ad Regnum Cœlorum: mementote S. obedientiæ, & nunquam prætereatis mandata Apoſtolica. Exponite vos ſicut fideles ignibus & ferro, certi de præmio Cœleſti: Omnes enim Sancti multa paſſi tormenta, ut ſecuri pervenirent ad Regna Cœleſtia. Si facient Cives,

quod

quod mandat Sanctiſſimus Dominus noſter, & vos celebrate: ſi non facient, nequaquam poteſtis celebrare, abſq; nota hæreſeos, excommunicationis & irregularitatis. Valete & ſtate fortes in agone, expectat vos cœlum apertum: Sitis exemplum conſtantiæ fidelibus, quia ad hoc vocati eſtis. Iterum valete. Ex Plſna die S. Bartholomæi.

Epiſcopo Ratisbonenſi Henrico.

Epiſcopo Ratisbonenſi cõtra Egrenſes conqueritur, & petit illorũ correptionem

Reverendiſſime Pater, & Domine Domine obſervandiſſime. Poſt ſui humillimam commendationem, cùm à P. Veſtra profectus redierim in propria, Nobilibus Dominis noſtris, & alijs Chriſti fidelibus devotionem & humilitatis officia V. P. R. erga eosdem latiſſimè expoſui. Qui gratiſſimis animis, uti à Domino ſuo, hanc pietatem recéperunt, & lætati plurimùm, quòd Egra obediet votis Paſtoris ſui. Sed jam video, quòd rei etiam nomen concordat; verè etenim Egra ægra, quia à S. Obedientia & ſana doctrina in peſtem inobedientiæ recidit; verè ægra, quæ ſe lepræ hæreticorum immiſcet, & morbum adjuvat; imò & mortua dici poteſt, quæ honoris oblita & fidei, nec cenſuras Eccleſiæ, nec paternam vocem, imò nec Apoſtolicam audit. Itáq; Reverendiſſime Pater, ſi adhuc eſt ſpiritus vitæ in eâ: ſuſcitate illam paſtorali baculo: quod ſi emortua ſit, illam ut cadaver à conſortio fidelium ejicite. Magno nobis eſt ſcandalo, majori impedimento, & maximo periculo: propter eam enim Cadanam oppidum perdidimus, propter eam oppidum Cubitus vacillat: Ipſa alit, ſuſtentat inimicos Eccleſiæ: ó Egram medico indignam, ſed extra caulas ovium abijciendam &c. Ex Plſna in die SS. Dyonyſij & Sociorum ejus.

Fratri Procopio Plebano in Kladrub.

Parochum Kladrubienſem, ne præſentibq infidelibus Sacra peragere præſumat, monet:

Religioſe Pater. Quoties in rebus veſtris Fratribus veſtris ſcripſiſtis, ipſi me, ut debuerunt, conſuluerunt. Quæcunq; igitur vobis per eos conſulta ſunt, illa amplectimini, illa tenete, ſalubria ſunt, ſancta ſunt. Nec tamen ex his infertur, ut vos locum veſtrũ deſeratis, ſed ita illum tenete, ne Cœleſtem Curiam perdatis. Quid enim, mi Procopi, prodeſſet Monaſterium retinere, & non monaſtico ordine cum excommunicatis, interdictis, DEI & Chriſtianorum inimicis, & Monaſteriorum eorúmq; libertatum violatoribus Sancta

ćta peragere; hoc eſt Monaſterium perdere, ſcilicet muros ſolos feſtivare & tenere. Si igitur ibi manere cupitis, nunquam coram illis occupatoribus divina peragite: nullo modo defenſoribus, fautoribus &c. Sancta miniſtrate. Quod verò allegatis Privilegium: novi ego Privilegiorum conditionem, nunquam Privilegium datur, ut fides perdatur. Quale hoc eſt privilegium, Chriſtum Judæ tradere, ſancta canibus projicere? non erit hoc Privilegium, ſed priviledium, animam & corpus lædens, &c. Ex Plſna, in die SS. Gereonis & Sociorum ejus.

Legato Regis Poloniæ Pragam miſſo, peramanter ſcribit,

Venerabili Patri, & Eximio Domino Joanni Dlugoſs, Cuſtodi Wislicenſi & Canonico Krakowienſi &c. Decretorum Doctori, Domino & amico chariſſimo.

Venerabilis Pater & Domine, amice chariſſime. Poſt ſui debitam commendationem. Cùm in anxia temporis hujus expectatione, quid diæta illa Pragenſis pariet, fuiſſem, venerunt literæ, & illæ quidem perjucundæ P. V. Gaudeo ſummopere, & ipſum mihi exilium jam quaſi Patria videtur, cùm per vos id agitur, ut pax turbata componatur & firmetur, & quisq; ſuo gaudeat jure. Non eſt id actum absq; magno DEI conſilio, ut cùm ſingulæ Viciniæ ſuper rebus noſtris quaſi faſtidiant: illa tamen inclyta Soror & Amica gens Polonica, linguâ, moribus, armis & viribus Bohemis agnata, noſtri eſt oblita minimè. Sit igitur Veſtræ P. & Magnificis illuſtris Dominis Polonis gloria! ſit Inclytiſſimo Principi veſtro decus & triumphus! donec immortalis DEUS vobis ſapientiam, quâ Regnum noſtrum in Fide & civilitate concuſſum, ad unitatem & publicam tranquillitatem reducere valeatis; delectet vos labor, quem & à DEO præmia, & ab hominibus immortales gratiæ expectant. Feliciſſima mihi & fauſta dies eſſet, ſi poſſem de rebus noſtris cum V. P. coram conferre: quod ſi efficere non potero, me tamen abſentem, quaſi præſentem V. P. & Magnificis Collegis veſtris humillimè commendo. Et cùm de Eccleſia Pragenſi, & Clero ejus, nobisq; aliquando interloquendum ſermo erit, etiam noſtri meminerint, oro. Ex Plſna XXI. Novembr.

cui Eccleſiam Prag. & Clerũ totum commendat:

Plebano in Budiegowicz.

Salutem & ſui commendationem. Venerabilis Confrater, & ami-

& amice chariſſime. Trevgæ nunc factæ ſunt, inſtituta dies Congregationis omnium ex Regno & attinentijs Bohemiæ. In litteris trevgalibus & noſtrorum & illorum, deſignati quiq; ſunt, cui parti adhæreant; veſtra Civitas in nullius numero eſt. Videte & vigilate, ne more illius, quæ inter aves & quadrupedes media eſſe voluit, & acto augurio, neq; avis, neq; beſtia manſit. Deſignare ex nomine in illa dicta Pragenſi debet Magnificus Capitaneus fidei, omnes qui ſunt ſub Vexillo ejus & obedientia, & pro illis uno contextu aget Reverendiſſimus Dominus Legatus, cum alijs Reverendiſſimis Dominis, & Illuſtriſſimis Dominis Regis Poloniæ Oratoribus. Curate, ut ad illum diem in numero Bonorum ſitis, & ut inter noſtros computemini, ne veniat ſuper vos ille, qui unitati contrarius eſt; hoc ſcientes vigilate, & plebem totam commonete; quam ego auctoritate Sanctiſſimi Domini noſtri commoneo, & ſub interminatione Divini Judicij obteſtor, ut depoſitâ neutralitate, Fidei & Capitaneo, nobisq; per expreſſum ante diem S. Lucæ adhæreant, & ſeſe incorporent Dominis Catholicis, ut eos, cùm tempus venerit, poſſint in litteris ſuis nominare. Aliàs à me non deerunt Cenſuræ, & ab hoſtibus gladij, ut utrinq; conſummamini; quod ut DEUS avertat, iterum dico cum affectu, Vigilate. Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt &c. Valete, & iterum atq; iterum, Vigilate. Ex Plſna 27. Novembr.

Parochũ Budvicenſem hortatur, ut ſuis Parochianis neutralitatem excutiat, & in partes Fidelium ipſos quam primùm reducat.

Præter has, centenas alias & ampliùs litteras proferre in medium poſſem, ex quibus Viri hujus ſanè incomparabilis eluceat virtus (quod utiq; ad Capituli gloriam ſpectat) & in propugnanda Religione Catholica, ac potiſſimùm Sanctæ Sedis auctoritate ſtudium, à præclara immotæ Fidei conſtantia, omnium periculorum contemptu, & ſingulari in rebus ordinandis, gerendisque circumſpectione ac prudentia, maximè deprædicandum: ſed ne plus juſto, ac præter inſtitutum longior, Lectoribus faſtidio ſim, hæc interim ſufficiant. Vnum tamen adhuc Pauli II. Pontificis Max. cùm plurimùm ad ejus commendationem faciat, hic adjungo.

Hilarij Decani prædicata.

Paulus Papa II. Dilecte Fili. Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Referentibus multis & ſignificantibus, intelleximus bona

Pauli II. ad Hilarium Breve, quo Zelum ipſius in propugnanda Religione Catholica commendat.

bona opera tua, & quam ſalubriter & benè, ac quàm rectè & providè te habeas, & geras in iis, quæ rem Catholicæ Fidei protegendæ, & verorum Chriſtiani nominis profeſſorum conſervationem continent. Quapropter optimam mentem, & ſyncerum devotionem tuam admodùm probamus, & plurimùm in Domino commendamus. Exinde tibi, ipſisq; Religionis noſtræ & Fidei Orthodoxæ cultoribus veris benedicentes: ac tuam eorúmq; ſynceritatem hujusmodi in Domino exhortantes, ut in integritate veſtra perſiſtatis, nec ullo pacto patiamini templum DEI, qui ſunt quicunq; Fidem Catholicam rectè tenent, pollui aut contaminari. Scimus non deeſſe qui tempteent; nam teſte Apoſtolorum Principe, Diabolus tanquam leo rugiens ſemper circuit, quærens quem devoret; ſed tu pro inſtituto tuo, te ipſum & reliquos benè ſentientes conforta jugiter & confirma, ut ejusdem Principis ſalutari doctrinâ ſobrij exiſtant, & vigilent reſiſtentes fortes in fide: ubi enim major pugna, ibi glorioſior de hoſte triumphus. Inde quidem devotioni tuæ ab hominibus immortalis laus, & æternum ab Omnipotente DEO præmium proveniet: quod imprimis te ipſum innoxium, & exemplo hortatúq; tuo quàm plurimos ab hæreſi mundos conſervaveris, ſed errantes quoq; multos revocare curaveris. Perge igitur in ſancto fidei concepto fervore, & cæteros tecum benefacientes aſſiduè confovere non ceſſes. Nam præter laudem & meritum antedictum, nos & Apoſtolicam Sedem deſiderijs tuis gratioſos ſemper adeſſe cognoſces. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die XVII. May M. CCCC.LX, VII. Pontificatûs noſtri anno tertio.

Sed & hanc à Legato Pontificio datam adjicere placuit.

Legati Pontificij ad eundē Epiſtola, quâ ei ampliſsimā in ſpiritualib9 poteſtatem concedit.

Dilecto Filio Hilario de Liebomericz Decano & Adminiſtratori Eccleſiæ Pragenſis. Rudolphus DEI Gratiâ Epiſcopus Laventinus Sacro Sanctæ Apoſtolicæ Sedis ad Alamaniæ & Regni Bohemiæ partes Legatus miſſus. Reverendo Patri in Chriſto nobis ſyncere dilecto Domino Hilario Decretorum Doctori, Decano & Adminiſtratori Eccleſiæ Pragenſis, Salutem in Domino. Conſtat vobis, quod aliàs honeſtis Conſulibus & Civitatibus in Brüx, Cadana, Egra & Cubitu, qui nobis ex parte Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ obedientiam per litteras ſuas præſtiterunt, certis ex cauſis animum

noſtrum

noſtrum tunc moventibus, ne in eorum Eccleſijs, ſententiam definitivam Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & litteras executoriales deſuper, contra Georgium de Podiebrad Regni Bohemiæ occupatorem emanatas, ſolenniter publicare & exequi tenerentur, quousq; aliquam notabilem aſſiſtentiam haberent, conceſſimus. Jam prout accepimus, Sanctiſſimus Dominus noſter Papa novas Bullas & mandata eis transmiſerat: ſuper quibus vos cenſuras Eccleſiaſticas & proceſſus debitos fulmináſtis, ac propterea prætactæ Civitates per eorum Oratores ad nos miſſos cum gravi querela exponi fecerunt, quomodo in faucibus hæreticorum conſtitutæ, ac caſtris & fortalicijs hæreticorum circumdatæ ſint: & ſi hujusmodi ſententiam & litteras executoriales ac proceſſus, contra dictum hæreticum Georgium & alios ſibi adhærentes debitè exequi, & ipſum Georgium occupatorem diffidare, & alia in Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri & proceſſibus veſtris contenta facere debeant, graviſſima pericula eis imminebunt, & perpetuò deſtruerentur absq; profectu, imò in confuſionem fidelium; ſupplicantes humiliter nobis, ut interdictum & cenſuras tollere, & eos cum proceſſibus quousq; potens Princeps, & caput Regno Bohemiæ præficiatur, cum quo unà cum alijs Catholicis Regni ſecuriùs ad executionem proficiſci valeant, gravare non vellemus. Nos autem qui in remotis & alijs arduis Regni Bohemiæ negotijs agimus, atq; de earundem Civitatum & præmiſſorum circumſtantijs & conditionibus non adeò, ut vos, qui eis vicinus eſtis, informati ſumus. Idcirco de veſtra legalitate & circumſpectione in his & alijs plurimùm confiſi, vobis auctoritate noſtræ legationis committimus, atq; damus plenariam auctoritatem atq; poteſtatem, conſideratis diligenter circumſtantijs & conditionibus præfatorum exponentium, pro eorum commodo, & pro fidei Orthodoxæ gloria ac augmento, ac pro Sedis Apoſtolicæ reverentia & honore, agendi, faciendi, relaxandi, ſuſpendendi, diſponendi & mandandi, prout vobis juſtè & utiliùs videbitur expedire. Inſuper accepimus ex Scriptis P. V. & ex relatione Sacerdotis, quem ad nos miſiſtis intelleximus, vos dubitare, quis modus ſervandus ſit, cum Domino de Roſis & Clero in ejus Dominio? Item, quid de Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, inter hæreticos commorantibus, & Divina coram eis

eis celebrantibus, ac Religioſis in Civitate Prag. & rurſus de divinis in Summa Pragenſi peragendis, ac de reliquis per vos nobis ſignificatis? In his & alijs ſimili auctoritate vobis plenariam facultatem & auctoritatem denunciandi, publicandi, agendi, faciendi, diſponendi, mandandi, ſuſpendendi; cenſuras autem relaxandi per tempus, prout utilius videbitur expedire, concedimus & indulgemus per præſentes. Datum Wratislaviæ in domo Reſidentiæ noſtræ ſolitæ, die 20. July, anno Domini 1467.

Hilarij obitus, Verùm, dum in hunc modum Hilarius pro re Catholica magno cum fructu deſudat, & adhuc 26. Decembr. expediendis curis & laboribus negotiisque vacat, repentè malignâ febri tentari cæpit, ad quam cum etiam angina ſive inflammatio gutturis vehementior acceſſiſſet, maliq; hujus vis magis ac magis invaleſceret, ita ut omnem medicorum induſtriam ſuperare videretur, ſextâ poſt die, quæ erat ultima anni 1467. vir longè omnium virtute & doctrinâ florens ac memorabilis, rebus humanis eſt exemptus: magno herclè omnium Catholicorum, & imprimis Capitularium Pragenſium dolore, qui tot palmarum pugilem, tam properantibus fatis, ſibi & Religioni Catholicæ eripi moleſtiſſimè ferebant. Elogia, & Non dum annum ætatis quinquageſimum ſextum exceſſerat, cùm Theologorum & Juris conſultorum ſui temporis in Bohemia Phœnix, doctrinæ miraculum, rei Catholicæ columen, invictus adverſariorum terror, Capituli Metropolitani ſydus, apud juſtos virtutum ipſius & eruditionis æſtimatores audiret & eſſet. Fuêre qui ejus ſubitam immaturámque mortem, ad venenum ab adverſarijs per domeſticos ipſius auro corruptos propinatum referrent: ſed quòd nullo certo judicio inniterentur, res ſilentio involuta fuit.

Succeſſores in Adminiſtratione, Hanuſsius de Kolovvrat Præpoſitus, & Joannes de Krumlovv Decanus. Obfuiſſet non parum Catholicis in Bohemia mors ipſius, niſi fuiſſent, qui ejus munia implerent. Hi erant *Hanuſſius Baro de Kolowrat, & Zbiroh*, de quo ſuperiùs, jam tunc Eccleſiæ Prag. Præpoſitus, & *Joannes de Krumlow* Decretorum Doctor, Canonicus, brevi etiam Decanus, à Capitulo circa finem Februarij, anno 1468. Pilſnæ congregato, pro Adminiſtratoribus ArchiEpiſcopatûs Prag. conſtituti. Litteras Capituli ad Rudol-

dolphum Epiſcopum Laventinum Legatum Pontificium datas, hic pro rei notitia meliori audiamus.

Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine. Reverentiam debitam & obedientiam cum ſui commendatione. Noverit Reverendiſſima P. V. noſtros magnis laboribus, propter inſidias inimicorum Eccleſiæ DEI, poſt obitum Venerabilis D. Hilarij Adminiſtratoris & Decani, pro Electione ad officia vacantia, & Capituli celebratione vix conveniſſe. Convenerunt tamen Novam Plſnam Feriâ II. poſt Reminiſcere, *licèt pauci perſonaliter, omnes tamen votis per nuncios literaliter. Quibus viſis, ex unanimi conſenſu, ut meliùs congruit tempori præſenti, multis habitis ſuper his reſpectibus,* Elegimus, *pronunciavimus, & publicavimus duas perſonas in Adminiſtratores Sede vacante ArchiEpiſcopatûs Prag. uti latiùs in Inſtrumentis publicis ſuper his factis continetur. Commendamus nos igitur omnes, & præfatas perſonas, &* Statuta noſtræ Eccleſiæ Prag. multùm emeritæ *in defenſionem, promotionem & tutelam, quatenùs his in robore priſtino permanentibus, ad regimen ejuſdem Eccleſiæ, ut opportunitas temporum depoſcit, auctoritatem pro incremento Fidei Catholicæ, uti Domino Hilario piæ memoriæ, generalem & ſpecialem in caſibus occurrentibus velitis benignè elargiri. Ex Plſna ultimâ menſis Februarij, ſub ſigillo Venerabilis Domini & D. Joannis de Kolowrat & de Zbyrob Præpoſiti Eccleſiæ Pragenſis & Adminiſtratoris ejusdem anno 1468.* Nomina ſua ſubſcripſere: *Joannes de Kolowrat & de Zbyrob Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis & Adminiſtrator ejusdem, Procopius de Plſna, M. Stanislaus Canonici præſentes & abſentes in votis, & totum Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, ex conſenſu omnium.*

Litteræ Capituli ad Legatũ Pontif.

Interea poſt tentatam à Polonis, Georgium inter & Catholicos Proceres, fruſtra pacificationem, bellum civile longè atrocioribus odijs, ùt fit exaſperatis duriùs partium animis, recruduit: quod demum, cùm Matthias Rex Hungariæ à quibusdam Proceribus Bohemis, licèt numero paucis, Olomucij Rex Bohemiæ Electus, & à Sede Apoſtolica approbatus, Regnum ſibi armis vindicare contenderet; è contra verò Georgius vim vi fortiter repelleret, haud mediocre incrementum, maximis inve-

Matthias Rex Hungariæ declaratur Olomucij in Regẽ Bohem.

invectis omnium rerum perturbationibus, ſumpſit. Videantur Hiſtorici hæc ex inſtituto referentes: (y) nos noſtra proſequamur.

Hanuſſius in officio Adminiſtrationis à Sede Apoſtolica confirmatur.

Conſtitutus á Capitulo Adminiſtrator Hanuſſiûs Præpoſitus, nihil priùs duxit, quàm ut veſtigijs Hilarij inſiſtendo, muneris ſui numeros omnes integrè adimpleret; quod ut etiam deinceps legitimè valeret ſuſtinere, miſſo F. Mauritio Priore Monaſterij S. Benignæ Ord. Eremit. S. Auguſtini Romam, Adminiſtrationis ſuæ confirmationem à Summo Pontifice, Capituli totius nomine, pro ſe & Collega ſuo, petijt & impetravit; delegatus inſuper Commiſſarius in negotio Fidei authoritate Apoſtolicâ creatus.

Joannes Decanus & quidam Canonici toto illo exilij tempore, Krumlovviæ degunt.

Per id tempus Joannes Decanus Eccleſiæ Prag. continnabat ſtationem ſuam Krumlowiæ cum alijs quatuor Canonicis, Nicolao Archidiacono Bechinenſi, Joanne Raczek de Praga, Joanne de Horzicz, & Joanne Kaplicar: alijs, uti Procopio Smutek de Plſna, M. Stanislao de Welvvar, Nicolao de Horzepnik, Wenceslao de Plana, vel Plſnæ vel Zbirohi; Petro autem de Wlaſſim, Joanne de Utery, Wenceslao Bartlyk, Wenceslao plebano ſeu animarum Curato Canonicis, penes Eccleſiam Metrop. cum Vicarijs & alijs miniſtris degentibus. Cùm igitur allata eſſet Româ confirmatio Præpoſiti in officio Adminiſtrationes, & alia quædam gravioris negotij, viſum fuit Præpoſito Capitulares quotquot poſſet, ad ſe Zbyrohum convocare: quod & fecit, datis ad Krumlow'enſes litteris hiſce:

Hanuſſ. Præpoſitus in arce ſua propria Zbyroh: in qua

convocatis Plsnâ & Krumlovià Prælatis & Canonicis, qui adeſſe poterant, Capitulum celebrat

Venerabiles Domini, ac Confratres & amici chariſſimi. Salutem condignam in vera charitate. Litteras quas Domino noſtro Sanctiſſimo, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus miſimus, ejus Sanctitati, & eorum Dominationibus ſunt præſentatæ. Super quas nunc die Dominico proximò elapſo reſponſa à Sanctiſſimo, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus recepi, per Venerabilem & religioſum Virum D. Mauricium Priorem Monaſterij S. Benignæ, quæ tangunt

totum

(y) *Bonfinius, Daubrav. Cromerus. Gerard. de Roo, Curæus. Hagec. Mars Moravicus lib. 2. cap. 5.*

totum Capitulum noſtrum & Eccleſiam. Ideóq; neceſſe eſt nos invicem convenire, ſi damna Capituli & Eccleſiæ noſtræ volumus evitare. Et licèt conveniat Domino Decano ex officio Capitulum convocare, tamen pro hac vice, ob inſtantem Eccleſiæ noſtræ neceſſitatem decrevi, quatenùs die Dominico proximo poſt feſtum S. Ægidij in Caſtro meo Zbiroh conſtituamini; quia hoc idem omnibus Confratribus noſtris, ſcriptis meis intimavi. Et quamvìs ſit difficile iſtis temporibus, hinc propter diſcrimina viarum, hinc propter pericula omnibus perſonaliter parere, id tamen neceſſitas Capituli noſtri expoſcit, ut convenire non differamus. Igitur Domine Decane, convocatis Dominis Confratribus noſtris vobis adjacentibus, & receptâ ab eis plenariâ auctoritate, ad minùs met ſecundus ad Viridem Montem venire non differatis, & dum veneritis, etiam intimare non negligatis, & ego ulteriùs providebo, ut ſecurè ad me pervenire valeatis. Ex Caſtro noſtro Zbiroh, die 28. Aug. an. 1469.

Non ita pridem acceperat Præpoſitus à Georgio litteras optimorum plenas affectuum; quibus inter alia, negabat quicquam ſibi æternis bonis, DEO, Fide & Eccleſia potius & dignius unquam fuiſſe: pietatem religionémque, quam cum lacte imbiberat, ſyncerâ mente ad ultimum usque ſpiritum inviolatam ſervaturum, ſuóque ſi opus ſit, ſanguine obſignaturum. Interim diris Pontificijs impeti ſuam innocentiam, regno regiáq; dignitate privari, aliquo fortaſſe famæ, nullo conſcientiæ periculo: in DEI tamen omnia cernentis vultu acquieſcentem, atque impavidum inter humana odia ſtaturum. Ad arma, quibus hucusque ſuperſedere voluiſſet, ſe compelli, ideóque DEI & hominum fidem obteſtari, quàm invitus eò uſque abripiatur: malorum quæ inde ſequantur, & ingentium calamitatum, quas innoxia plebs & populi ſubditi ferre cogantur, non ipſum, ſed adverſarios cauſam eſſe; (ſic culpæ ſuæ calvam aut potiùs falſam prætexens excuſationem) ſperare tamen, DEUM immortalem non defuturum meliori cauſæ & conſilijs, quæ æquitate & juſtitiâ nitantur. *Georgius ad Præpoſitum dat litteras amicißimas, quibus facta ſua excuſat.*

Ad quæ ille, quæ appoſitè dici poſſe putabat, paucis reſpondit: Georgium benè meminiſſe, quàm ſyncerè ante hac, *Reſponſum Præpoſiti.*

& quàm fideli integerrimóq; animi affectu, eum fuerit ſemper proſequutus, talia ſuggerendo conſilia, tam opportuna, quam neceſſaria, ut ſi ea amplecti voluiſſet, certò certiùs in tantum malorum abyſſum ſe ſuóſque nunquam præcipitâſſet. Sed & in præſentiarum cupere illi benè; nihilq; conducibilius ſibi videri, quàm ut repudiatis à ſua conſuetudine Rokiczano, & alijs pravorum conſiliorum miniſtris, quibus ſe corrumpendum dederat, ad cor redeat, & ſaluberrima ſua & aliorum conſilia ſequi, Summóque Pontifici, petitâ ſubmiſſiſſimè veniâ, reconciliari velit. Eccleſiam Sanctam eſſe benigniſſimam Matrem, nihilque aliud velle, quàm errantes, & ad obedientiam ac gremium ſuum confugientes in gratiam recipere. Quod ſi tamen maluerit obſtinatè agere, extrema quæ ipſum manent, jam jam è veſtigio imminere. (z) Et alia hujuſmodi; quæ omnino promptum ipſius animum, & flagrans reducendi ad Eccleſiæ gremium Georgij, reſtituendæq; in priſtinum ſtatum Catholicæ religionis deſiderium oſtendebant. Nihil tamen aut parum his, ſicut & aliorum Principum monitis, motus fuit Georgius: ideo fortaſſe, quod jam fervente utrinque pertinaciſſimis animis bello, res eò devenerat, ut ſe ipſum revocare vix poſſet.

Georgij pertinacia.

Renovatis itáque in Georgium diris Pontificijs, Præpoſitus quoque pro officij ſui munere ſuas repetijt, emiſſo ad omnes Eccleſiarum Catholicarum moderatores, & ad civitates, oppida, communitates alióſque, qui adhuc in ſyncera Religionis unitate perſtabant, edicto, quo illi Romanæ Curiæ ſententiam in Georgij caput, publicè è pulpitis detonare, cæteri conſortium omne & obſequium ubivis vitare jubebantur.

Hanuſſij Præpoſ. edictum, quo per omnes Catholicorum Eccleſias, Georgij & fautorum ejus, excommunicationem,

Univerſis & ſingulis Prælatis, Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, Decanis, Prioribus, Cuſtodibus, Plebanis, Viceplebanis, Vicaryjs, Capellanis, Locatenentium cujuſcunq; dignitatis præfulgeant honore, Religioſis, ſive exemptis, ſive non exemptis. Salutem in Domino. Meminimus dudum Domini noſtri Sanctiſſimi mandata

(z) *MS. Acta Hanuſſij de Kolowrat Præpoſ. fol. 12.*

ſe accepiſſe, aggravationis & reaggravationis ſententias, & illa exequuta fuiſſe, per Venerabiles Patres & Dominos, circumjacentibus in Provincijs, & in hac diœceſi, contra Georgium de Podiebrad hæreticum obſtinatum, & filium perditionis Satanæ traditum &c. Sed heu audimus, & certis ex relationibus didicimus, non ſine gravi noſtri animi perturbatione, quosdam terrena Cœleſtibus anteponentes, conſcientias ſuas fœdantes, continuè hæreticis cohabitantes, claves Eccleſiæ DEI contemnentes, ac mandata Sanctiſſimi annullantes &c. Hortamur itáq; vos omnes in talibus periculis non dormitare, nec aliquo favore extraneo irretiri &c. Mandamus inſuper, quatenus ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, dum major populi multitudo convenerit, ipſum Georgium hæreticum depoſitum, occupatorem Regni & ſibi adhærentes, favorem, conſilia, auxilia, arma bellica, victualia & alia ferentes, ut latiùs in Bullis Sanctiſſimi Domini noſtri & ſententijs exprimitur, habeant, & pronuncient in ſuis ambonis excommunicatum & excommunicatos, & excommunicent candelis extinctis, in terram projectis, campanis pulſatis, coram imagine Crucifixi lapidibus projectis, ubi facultas haberi poßit, & cæteris cæremonijs, quæ agi conſueverunt contra hæreticum & filium Satanæ: etiam cum votivis Miſſis & Proceßionibus. Et cùm jam tempus opportunum invaleſcit, quo ſperamus noſtris orationibus bonum effectum aſſequi, & hæreticis interitum, eò devotiùs, pro feſto S. Bartholomæi Apoſtoli Domini noſtri proximè venturo, eadē exequantur, & incipiant exequi; & alijs demandent Interdictum & mandata, ſub pœnis Domini noſtri Sanctiſſimi ibidem inſertis diligentiùs obſervare, & populum DEI ad pugnam contra hæreticos, pro Fide & Corona aſſequenda excitent, arment & animent &c. Ex Zbiroh Caſtro noſtro, die Solis XX. Auguſti, anno 1469.

ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, præſente populo, adhibitis ſolitis cæremonijs, publicari juſſit.

Plura hujusmodi, etiam deinceps, illo & ſequenti anno, ad Decanos, Parochos, quos timidiores noverat, religioſáque Collegia emiſit quaquaverſùm edicta, ab Aris arcendo, imò etiam pœnas excommunicationis, non niſi Sedi Apoſtolicæ vel ejus Legato reſervatas comminando, quicunque id imperij detrectarent. Hinc, cùm non nulli metu impendentium periculorum abſterriti, ſolito remiſſiùs mandata exequerentur, triſte in

In non obtemperantes Interdictum tulit;

in templis arisque ſilentium, non ſine ingenti ſacrarum & profanarum rerum confuſione, tolerare cogebantur. Quia tamen per hoc ſequuturi melioris eventus ſpes omnis ſe ipſam corrumpebat, ideo ſequenti anno, menſe Febr. &Martio omnibus qui tantùm petierunt, interdictum laxavit, datis ad ſingulos ſpecialibus litteris. Exempli gratiâ. *Vobis Venerabili Magiſtro Joanni Decano Eccleſiæ S. Stephani in Litomericz. Salutem & in commiſſis diligentiam. Pro hoc ſacro tempore Quadrageſimali &c. authoritate Reverendorum Patrum & Dominorum Legatorum, & noſtrâ, quâ in hac parte fungimur, relaxamus in totum, admittentes celebrationem Divinorum &c. excluſis excludendis, ſingulariter nominatis excommunicatis &c. Ex Zbiroh penultimâ Feb. A.1470.* Idem Joanni Abbati Oſſecenſi, Matthæo Præpoſito Raudniczenſi, Religioſæ Virgini Adeliſcæ de Daupow Prioriſſæ Monaſterij in Swietecz, Fratri Wenceslao Ord. S. Benedicti in Monaſterio S. Procopij, Fratri Joanni Turonio Commendatori Kadanenſi, Ord. Cruciger. S. Joannis, Civibus Pontenſibus, Cadanenſibus Cubitenſibus, Bilinenſibus, Krupnenſibus, Auſtenſibus, Horſſo-Teynenſibus.

quod poſtea laxavit.

Quia verò certâ relatione exploratum habebat, Georgij partiarios, ex provincijs Regno vicinioribus, contra manifeſtam Summi Pontificijs inhibitionem armis, ſale, vino, pannis & alijs id genus ſubſidijs, victui & amictui neceſſarijs, multùm juvari, Saxoniæ Ducem Albertum, & Ottonem Comitem Palatinum Neofori in Bavaria reſidentem, hac de re primo quoque tempore litteris commonefaciendos duxit. Litteras ad Saxonem datas, quò clariùs pateat Viri zelus, audiamus.

Saxoniæ Ducẽ hortatur, ne ſubditos ſuos ſubminiſtrare hæreticis arma &commeatum permittat.

Illuſtriſſime Princeps & Domine Magnifice. Salutem in Domino in obſequium Fidei Catholicæ & augmentum. Quia Authoritas Apoſtolica ſaluberrimè invigilans circa erectionem Fidei Orthodoxæ, unitatis & pacis, & extirpationem hereſis, per Reverendiſſimos Dominos Legatos, creberrimè Reges, Duces, Principes, Barones, Milites, Communitates & ſingulos filios obedientes, in virtute Sanctæ obedientiæ & cenſuris graviſſimis, monet, hortatur & præcipit; ne hereticis faveant, auxilia in armis, mercibus, ſale, vino,

vino, pannis & alijs quibuscunq, nominibus cenſeantur, adminiſtrent &c. Multi immemores ſalutis ſuæ, avaritiâ ducti, uti de Drazdian & Miſna, ſalem, radices, aromata, mercimonia & alia neceſſaria hæreticis porrigunt, quod nullo modo negare poſſunt. Cùm igitur Magnificentiam Dominationis Veſtræ, ad Scripta Reverendiſſimorum Dominorum Legatorum deceat & oporteat, ſuos ſubditos ubilibet à talibus cohibere: nos eâdem Auctoritate in hac parte nobis conceſſâ, Magnificentiam Veſtram præſentibus adhortamur gratioſiùs, quatenus omni excuſatione retrojectâ, ut Princeps Catholicus & filius S. Matris obedientiſſimus, infamiam quæ exinde poſſet oriri, auxilia veſtrorum ſubditorum hæreticis deinceps præſtanda reprimatis. Aliàs Interdictum per totam diœceſim, & Cenſuras Eccleſiaſticas, ex Commiſſione Reverendiſſimorum D. Legatorum, vix eo facto poteritis evitare. Ex Zbiroh.

Idem ad Theodoricum Epiſcopum Miſnenſem.

Reverendiſſime Pater. Salutem in Domino, & diligentiam in Fidei Catholicæ obſequium. Quia compertum eſt, quoſdam ex P.V. diœceſi Miſnenſi, ſpecialiter de Drazdian, Miſna & Perna, contra probibitiones Apoſtolicas, immemores ſuæ ſalutis, ſalem, radices, mercimonia & alia neceſſaria pro commoditate hæreticorum miniſtrare; quod nullo modo negare poſſunt. Ex qua re Illuſtri Principi Domino Alberto terrarum veſtrarum, ex parte Reverendiſſimorum Patrum & Dominorum Legatorum, uti ſæpiùs antea ſcribitur, quatenus tales ubilibet in Dominio ſuo coerceat, & auxilia hæreticis omnimodè prohibeat. Quod ſi factum non fuerit, quod tamen abſit, auctoritate Reverendiſſimorum D. Legatorum in hac parte nobis conceſſâ, Interdicimus præſentibus, & Interdictum per totam diœceſim publicari præcipimus, ſub pœnis graviſſimis, Sedi Apoſtolicæ duntaxat reſervatis &c. Idem Henrico Epiſcopo Ratisbonenſi, ut Interdictum ferret in civitates & oppida ſibi ſubjecta, quæ porrigunt ſubſidia hæreticis. Idem Epiſcopo Paſſavienſi; Alberto item Marchioni Brandeburg. propter Norimbergenſes. Tantum illi fuit in tuenda Romani Pontificis auctoritate, ejúſque mandatis exequutioni dandis ſtudium, vir priſci moris, recti tenax, accuratus ad invidiam usque improbi-

Idem Epiſcopo Miſnenſi ſcribit.

ſub comminatione Interdicti.

Idē Ratisbon. & Paſſavienſi Epiſcopis. Idē Marchioni Brandeburg.

tatis cenſor; & hinc non modò hæreticis, verùm etiam tepidioribus quibusdam Catholicis, qui tempori aliquid tribuendum voluiſſent, ipſis adeò ſuis agnatis, gravis & exoſus.

Ad Matthiam Regem in Moraviam proficiſcitur, VVolinenſis dominij recuperandi cauſâ;

Cognito demum Matthiam Regem, poſt inducias cum Georgio pactas, quæ à feſto S. Laurentij an. 1470. ad Calendas usque Novembr. durarent, Znogmæ in Moravia ſubſtitiſſe, eò ad finem menſis Auguſti iter ſuſcepit, tum præſtandi novo Regi approbato etiam à Pontifice obſequij cauſâ, tum ut cauſam Dominij Wolinenſis ad Præpoſituram Eccleſiæ Pragenſis olim pertinentis, quod per Judocum Roſenſem Epiſcopum Wratislavienſem Ord. Militiæ S. Joannis Hieroſol. Magnum Priorem, & Eccleſiæ Pragenſis Præpoſitum, conſentiente Georgio pro tunc Rege, à Przibikone de Klenowa pro certa pecuniæ ſumma, erat quidem redemptum anno 1460. non tamen Præpoſituræ, uti debuiſſet, ſed Magno Prioratui Strakonicenſi, contradicente licèt Capitulo, in uſum fructum cum dominio utili datum & adſcriptum, Regi commendaret; eo conſilio, ut illud tanquam Eccleſiæ Metropolitanæ proprium, ipſúmque DD. Viti ac Wenceslai patrimonium, in priſtinum poſſeſſionis ſtatum reducere poſſet; rediretq; ad Dominum, quod erat ante ſuum. A Rege, ùt ipſemet fatetur in litteris ad Stanislaum de Welwar Canonicum Prag. & Archid. Litomeric. cui interea adminiſtrationis vices commiſerat, IX. Septembr. Znogmæ datis, *porrectâ dextrâ, ſumma cum benevolentiæ ſignificatione fuit exceptus, benéq; de omnibus quæ poſtularet, ſperare juſſus.* Quod idem Stanislaus etiam Joanni Decano, Krumlowium per ſuas retulit: *Sciatis etiam Dominum Præpoſitum Znogmam ad D. Regem in feſto S. Ægidij veniſſe, eiq; benè ſuccedere: quem cum gaudio brevi tempore ſperamus reducem. Ex Zbiroh. XVI. Sept. 1470.* Manſit in Aula Regis toto fermè menſe, vocatúsque non ſemel in Concilium intimum, & quidem non ultimo inter cæteros loco cum dignitate ſententiam dixit. Invenio litteras Matthiæ Regis, ſuper ſalvo conductu Ottoni Czigenfelder Canonico S. Apollynaris in nova civitate Prag. datas Znogmæ in Vigilia S. Matthæi Apoſt. anno 1470. Regnorum Hungariæ 13. Bohemiæ 2. Et

à quo humaniſſimè excipitur,

2. Et infra hoc appoſitum. *Ad relationem R. P. & D. Hanuſſij de Kolowrat Præpoſiti Pragenſis Eccleſiæ.*

Peractis poſtmodùm negotijs, cùm illum non tantùm domeſticæ & privatæ res, ſed etiam publicæ Religionis Catholicæ rationes & neceſſitates domum revocarent, acceptâ à Rege abeundi veniâ, initio Octobr. Zbirohum redijt, & commiſſo ſibi officio rurſum inſiſtens, novas patentes ad univerſos Eccleſiarum Rectores Catholici adhuc nominis, hoc ſub programmate emiſit. *Univerſis & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, Decanis Archidiaconis, Abbatibus, Prioribus, Plebanis ſecularibus ſive regularibus, exemptis ſive non exemptis, cujuscunq; conditionis exiſtunt; & generaliter toti Clero in & per Diœceſim ArchiEpiſcopatûs Prag. conſtituto. Mandata Reverendiſſimi P. & DD. Laurentij Epiſcopi Ferarienſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli Papæ II. Legati digniſſimi, innoteſcere præſentibus decrevimus. Quia in negotio Fidei multi cupientes prodeſſe, commiſſiones varias & indulta particularia receperunt: alij autem ſiniſtrorſum auſu temerario ſibi uſurpârunt, ligata ſolventes, & ſoluta ligantes; ex quo non profectus Eccleſiæ, ſed ſcandalum & enormitas generatur. Qua re auctoritate præfati Reverendiſſimi Domini in hac parte Znogmæ nobis conceſſâ, ad tollendum tales defectus, omnes commiſſiones, ſive indulta hujusmodi quibuscunq; perſonis ſecularibus ſive regularibus ſint conceſſa, tenore præſentium irritamus, caſſamus & in nihilum redigimus, omni excuſatione poſtbabitâ: niſi per nos hi vel alij ex certa ſcientia fuerint conſtituti. Inſuper mandamus, ne ullus veſtrûm tales audire præſumat, niſi certior officij nobis commiſſi litteris patentibus extiterit, ſub pœnis graviſſimis Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Ex Zbiroh caſtro noſtro an. 1470. die IV. Octobris.* (a)

Jámque Georgius poſt captum ab Hungaris Victorinum filium natu majorem, quem ſui locò Moravis præeſſe juſſerat, ad æ-

rebùsque peractis domum revertitur.

Nova mandata emittit,

quibus particularia quædã indulta annullat.

Georgius ſapit, reditque ad cor,

(a) *Hæc omnia ſunt deſumpta ex MS. codice, qui continet Acta Hanuſſij de Kolowrat Præpoſ. Prag. ab an. 1468. usq; ad an. 1470.*

ad æquiora inflecti cæpit: ac ſerio reputans animo, quot præterea alijs incommodis acceptis, quantoque detrimento & periculo, præteritis duobus annis, ab æmulo Matthia Rege Hungariæ illatum ſuſtinuiſſet, quot Urbes validas, præſertim in Moravia Brunam, Olomucium, Znogmam, Iglaviam & alias, quantúmve ditionis amiſiſſet; omnibus rationibus pacem parandam, & tranquillitati populorum conſulendum exiſtimabat; ſcilicet ut ij poſt tot tantáſque clades, parto ocio, aliquantùm reſpirarent, nec cum dira rerum omnium conturbatione funditûs ſubverterentur. Hæc cogitantem, & tamen adhuc nonnihil nutantem impulerunt diræ Pontificiæ in ipſius caput toties jactatæ, & ſub id tempus majore cum execratione renovatæ, impacta fæda hæreſeos nomina, injuſtáque nota Schismatis; dubia item quorundam domeſticorum fides, Moravorum defectio: maximè verò Leonis de Rozmital affinis Regis, Wilhelmi Swihowsky de Rizmberg, Slavatæ de Chlum & Koſsmberg, Zbinko de Kolowrat, & aliorum quorundam Baronum recta ſuadentium auctoritas; ſicut etiam Doctoris Pauli Zidek Collegiatæ Eccleſiæ Om. SS. in caſtro Prag. Canonici, & nominati Epiſcopi Litomislenſis, Joannis de Utery Canonici Metropol. & Joannis Abbatis Strahovienſis, quorum conſilijs aliquid ſubinde tribuere erat ſolitus, ſalubria monita. Hi igitur apud illum rebus adverſis ſi non dum ſubactum, tamen ſolito tractabiliorem, mollia nacti fandi tempora, rogârunt; revocaret ad animum, quas quantáſque calamitates bellum præſens in Regnum invexiſſet: manifeſtum reddi, eventúque doceri, illud improſperè plerumq; & ingenti cum Reipub. detrimento, nec ſine rerum omnium perturbatione fuiſſe geſtum, ex quo Rex Romanæ Sedi cæpiſſet eſſe contrarius. Id gravatè ſentire Bohemiam, & incorporatas ei *Provincias*; præſertim Moraviam & Sileſiam tot malis feſſas, non poſſe ſua fata non dolere, & credere ſe alienæ culpæ ſubire pœnas. Nec poſſe diſſimulari, paucos ſupereſſe, qui impoſterum manus & ſtudia ſuæ commodent cauſæ, quam minimè jam probare poſſint: ſecuturi potiùs fortunam, cui tacitis cogitationibus confidant.

Conſilia Prælatorum & Catholicorum Procerum ſaniora ſuadentium admittit;

Ab

Ab omnibus igitur flagitari pacem cum DEO, & Summo ipſius in terris Vicario; quæ ſi nequeat impetrari in tempore, metuendum fore, ne recrudeſcentibus ancipiti belli tempeſtatibus, divina atque humana omnia, dubio rurſum ac longè formidabiliori eventu miſceantur. Quæ deinde malorum Iliades in ipſius Regis caput, præſertim ubi à pluribus indiès deſereretur, ſint incubituræ, non eſſe difficilis conjecturæ.

Talibus & alijs multis rationibus, Georgio tuta hæc & ſalubria conſili, ommiſſis præcipitibus, ſuâ jam ſponte capeſſenti, facilè perſuaſerunt, ut is præteritorum pænitudine tactus, Eccleſiæ ac Sedi Apoſtolicæ quâcunque tandem lege reconciliari conſtituerit. Primò omnium Canonicos Metropol. qui hucusque ad Eccleſiam S. Viti ſtationem ſuam continuabant, multa licèt adverſa à Rokiczano & aſſeclis ipſius paſſi: Wenceslaum Bartlyk, Joannem de Utery, Wenceslaum Plebanum, & Franciſcum Seniorem Vicarium, ad ſe vocari juſſit, ijsq́; animo ſupplici & ad pænitendum compoſito, ſuam de ineunda cum Romano Pontifice reconciliatione mentem aperuit, culpam omnem in prava & perverſa conſilia eorum, qui perturbatâ Repub. lætarentur, ſeditioſorum hominum, maximè autem Rokitczani, viri quidem ad ſpeciem literati & ſancti, ſed damnoſè facundi transferens: hujus & aliorum ſtudijs ſe obſeſſum circumdatúmque in tantum famæ pietatisque ſcopulum impegiſſe, ut niſi in præſens de ſingulari divini Numinis benignitate à ſupremo interitu, reſipiſcendo à malè cæptis, eriperetur, neque poſt naufragium ſe perijſſe animadvertiſſet. Sed ſuo exemplo, regiæque dignitatis & fortunarum ac exiſtimationis, quæ vitâ charior eſſe debet, diminutione & periculo edoctum, alijs quoque jam documento eſſe poſſe, ſtudioſè ſemper inſpicere, quàm probis hominibus, non quibus Doctoribus, Principes ſe résque ſuas commendent, néve Religionis cauſas ad ſe inauſpicatò revocent; rarò ſiquidem faciunt tunc bonũ fructum, dum ſeſe ingerunt in meſſem alienam, Deo, uti hic eventus docet, talibus conatibus nunquam adſpirante. Jam igitur ita ſe facti pœnitentiâ duci, ut nihil magis in votis habe-

Canonicos, qui penes Eccleſiam remanſerant, ad ſe vocat,

culpamq; omnem in mala Rokytzani conſilia transfert,

at geratq́;, quàm ut reconciliatus Eccleſiæ Matri ſuæ, veniam delictorum, pro ejus benignitate & clementia quàm citiſſimè impetret. Velint itaq; etiam ipſi, utpotè quorum tanquam domeſticorum & præ alijs rei conſciorum, major eſſet futura fides, & impetrabilior oratio, cùm apud Legatum, tum apud ipſum Pontificem Maximum ſuas interponere partes, quò citiùs faciliùsque deſiderij ac optatæ veniæ compos effici poſſit. Quæ adverſùs Pontificem & Sacroſanctam nominis ipſius Majeſtatem acta eſſent, omnia reſciſſurum; receſſurum quoque à ſua appellatione, nec detrectaturum pœnitentis perſonam, ſed agniturum omnino ſe exceſſiſſe, tantâ animi demiſſione quanta meritò à Chriſtiano Principe, Summo Eccleſiæ Capiti debeatur. Jam Rokiczanum, uti & Gregorium Heimburgum, qui appellationis illius primarius author fuerat, alióſq; ejusdem farinæ homines ſe ultro deteſtari, ac dolere non citiùs agnitos, ſub pietatis & juſtitiæ ſpecie, peſtilentiſſimos hypocritas. Poſt hæc addidit: ſibi nihil unquam fuiſſe, nec in præſens eſſe, Sacroſanctâ Metropol. Eccleſiâ prius & antiquius; hanc aliarum omnium Eccleſiarum in Bohemia Principem & Matrem agnoſcere, ideóque dolere, quòd ſeveriſſimâ Interdicti lege à ſacris peragendis, alienam ob culpam, abſtinere cogatur: fateri quidem ſe prædia quædam illius profanis hominibus, non ſine manifeſta rerum Divinarum injuria, utenda fruendáque tranſcripſiſſe; id tamen non tam ſibi, quàm malis ſuaſoribus tribuendum: paratum ſe nihilominùs ad juſtè in omnibus ſatisfaciendum. Cupere etiam ex animo, ut cæteros Prælatos & Canonicos abſentes, de hac in melius commutata voluntate ſua quamprimùm edocere, ijsque reditum ad Eccleſiam ſuadere velint: pollíceri omnibus regiâ fide, non modó ſecuritatem tutúmq; ab inſidiis inimicorum præſidium, verùm etiam omnem libertatem immunitatémque: Bonorum item reſtitutionem, cenſuum annuorum auctionem & alia quæcunq; ad inſtaurandum priſtinum Eccleſiæ & Capituli decus ſervire poſſent.

conciliari Eccleſiæ petit,

emendationẽ promittit,

Conſiliarios ſuos deteſtatur;

Eccleſiæ Metropolitanæ miſerijs compatitur,

Prælatos & Canonicos revocari ab exilio jubet,

Bona Eccleſiæ & Capitula reſtituere, damnáque omnia reſarcire ſpondet.

Quàm lætis animis hanc Georgij conteſtationem Canonici

nici exceperint, facilè eſt conjicere; qui nullâ factâ morâ, id per celeres nuncios, Præpoſito Zbiro hi, & alijs Plſnæ, Decano item Krumlowiæ degentibus referri curârunt. Et cordatiores aliqui, ex ijs qui Plſnæ morabantur, bonâ Præpoſiti & Decani veniâ, redire Pragam illo adhuc autumno circa FeſtumOmnium Sanctorum non dubitârunt; alij tamen ad redeundum erant nonnihil difficiliores, eò quod antea Georgium talia ſubinde promiſiſſe, ſed nihil præſtitiſſe meminiſſent: adeò difficile eſt illi credere, qui ſemel fallit fidem. Nec multo poſt Præpoſitus & Decanus à Rege Matthia, Legatóque Pontificis Laurentio Epiſcopo Ferarienſi, Poſonium in Hungariam vocati, initio Februarij anno 1471. eò profecti ſunt.

Rokytzanus Georgium denuò pervertere conatur,

Accidit interea, ut Rokytizanus, cognitâ Georgij in partes Catholicorum propenſione, & idcirco non parum conturbatus, eum ſecretò acceſſerit, acrique ſermone hortatus fuerit: bono firmóque vellet eſſe animo, neq; ab accepta ſemel à Majoribus ſuis, & ex ipſis Verbi Divini fontibus deguſtata, mirificeque illuſtrata religionis doctrina, ad Pontificiorum placita ſeſe traduci pateretur; non deeſſe, etiam in tanta inclinatione Procerum copias & vires, tum Nobilitatis tùm Urbium, quibus ejecto æmulo & hoſte, devictisque adverſarijs & rebellibus, pax Regno reſtitui, Religióque Sancta tutiùs firmari poſſit; animo tantùm erecto, & ad agendum fortiter uti hactenus prompto & parato opus eſſe. At verò Georgius, hæc inſolenter atque importunè ingerentem, vix ad finem audire ſuſtinuit, ſed interpellato ac interrupto ejus ſermone, illum ùt vaniloquū, mendacem, ſeditioſum ac turbulentúm extemplò Regiâ excedere juſſit; cum mandato, ut à virulentis ſuis ad populum concionibus, cùm non ſint, niſi ciendis in populo turbis ac ſeditionibus, oportuna ac præſentiſſima inſtrumenta, deinceps abſtineret, nevè ampliùs unquam ſibi in conſpectum venire præſumeret; ſe alioquin in eum, ſi ſecùs fecerit, veluti juſſa ſua ſuperbè contemnentem, pro merito graviter animadverſurum. Inter alia, ferunt etiam hoc ipſi ad faciem exprobrâſſe & dixiſſe: glorioſus utique Rex fuiſſem, neque cauſa præſentis perni-

Sed ab illo turpiter reiicitur

Matthias Rex Hung. Georgio ſuccedere, ſummo ſtudio contendit.

Cognitâ Georgij morte, Matthias obtinendi Regni Bohemici cupidiſſimus, & electioni, ùt ſupra meminimus, Olomucij factæ, & à Sede Apoſtolica approbatæ, firmiter inhærens, quin ad capeſſendum illud omne ſtudium adjiceret, votóque & deſiderio illorum, qui ipſum tam propenſis animis in Regem elegiſſent, ſatisfaceret; aut ſi vi opus foret, arma pararet, illatóq; bello jus ſuum proſequeretur, minimè dubitandum exiſtimavit. Quem ſuapte naturâ ad belli ſtudia propenſum, proceres aliqui Bohemi & Moravi, aſſiduè invitabant; & ante alios Roſenſes, Sternbergici, Novodomæi, Lippæi & Bozkowicij. Unus Hanuſſ. de Kolowrat Præpoſitus Eccleſiæ Prag. in conſilium vocatus, rem pacis & amicitiæ oſtentatione potiùs, quàm jure aut vi, armiſque tentandam arbitrabatur; idq; Regi & ijs, qui à ſecretioribus conſilijs erant, palam prædicabat, ac identidem perſuadere contendebat. Noviſſe ſe ingenium Bohemorum, illorum præſertim Regni Procerum, qui adverſas partes tuendas fovendáſque ſuſceperunt; quíque palam dicunt, & tantùm non clamant, liberis populi Bohemici ſuffragijs legi, & ad Reipub. gubernacula vocari Reges, idq; non ad privata aliquorū de ſtatibus placita, ſed publica Comitiorum vota pertinere; & idcircò neque Zdenkoni Sternbergico ſoli, cum aliquot paucis legere, neque Pontifici pro arbitrio Regem obtrudere per leges licuiſſe. Proinde longè conſultiùs ſibi videri, regnum ab ijs nova legatione petere, idq; ſe exiſtimare faciliùs impetrari poſſe, quàm armis & bello, cujus eventus mille fortunæ caſibus ſubjiciuntur, extorquendum putare. Poſt multa demum in utramque partem propoſita, & magna contentione agitata, ad extremum pleriſque omnia alia priùs, quàm vim experiri placuit. Miſſi itaque in Bohemiam legati, qui Statuum primoribus Pragæ primùm, deinde Kutno Horæ creandi novi Regis cauſâ congregatis, poſtulata Regis proponerent. Neque ſecùs fortaſſe accidiſſet, quàm ſperabatur: Zdenko ſiquidem à Sternberg, cum alijs ſuæ factionis Baronibus tunc præſens, uti erat eloquio & authoritate potens, tam in circulis privatis, quàm alias, ubi de Regis electione conſultatum fuiſſet, exquiſitis ratio-

Hanuſſij Præpoſiti ſalubre conſilium, mitiora omnia priús, quàm vim aut aliquod jus in Regnum Bohemis obtrudendum, ſuadentis.

tionibus & cauſis, id comprimis, ne cuipiam ſuffragia addicerent, quàm Matthiæ, qui rebus adverſùs Turcas præclarè geſtis, & alijs regijs virtutibus nemini eſſet poſtponendus, urgebat, & animos quorundam jam etiam flectere videbatur. Sed cùm inter hæc nuncijs percrebruiſſet inopinatis, Matthiam valido cum exercitu Brunam veniſſe; & alijs poſt alios ad currentibus, referentibúsque illum iter ſuum Bohemiam verſùs citatis paſſibus proſequi, jámque ad Iglaviam caſtra poſuiſſe (famâ autem ultra verum ferebatur, ducere illum quindecim millia equitum, cùm tamen non niſi tria in comitatu haberet) Bohemi per hoc vim ſibi intentari exiſtimantes, ideóque irâ & indignatione frementes, legatos ejus oppidò excedere juſſerunt. In publico demum conſeſſu, auditæ plurimorum ſententiæ id concordi voce aſſeverantium: nunquam ſe hoſtem, qui tot cruentis affeciſſet cladibus Bohemiam & Moraviam, hodiéque vim minari non ceſſet, ſuis cervicibus impoſituros.

quod dũ Matthias obſervare renuit,

Nec multo pòſt, votis & acclamatione omnium Ordinum (ſi modò Sternbergicos, Roſenſes & Novodomæos proceres, & ex civitatibus Plſnenſes ac Budvicenſes excipias) electus eſt Cazymiri Regis Poloniæ major natu filius Wladislaus, anno 1471 die 27. Maij. Eventus hìc docuit, conſilium Præpoſiti Prag. utique ſalubre fuiſſe, ſi illud Matthias ſequi, & non armorum, ſed beneficiorum potiùs, clementiæ ac liberalitatis oſtentatione, adverſarum partium ſtudioſos flectere, ſibique devincire voluiſſet. Hinc etiam deinceps, quid quid vi & armis moliebatur, fruſtra fuit: nihilq; ſe hâc viâ apud pertinaces & obſtinatos proficere, ſerò demum animadvertit.

Spe Regni excidit, & VVladislaus Regis Poloniæ filius, in Regem Bohem. eligitur.

Hæc dum circa electionem Regis diverſis partium animis geruntur, Hanuſſius Præpoſitus, & Joannes Decanus Eccleſiæ Prag. Poſonio Iglaviam, initio menſis Maij venerunt; ubi jam antea præſentes aderant, Joannes de Rabſtein Præpoſ. Wiſſehrad, & Beneſſius de Waldſtein Præpoſ. Olomucenſis & Litomericz. Canonici Eccleſiæ Prag. cum nonnullis Baronibus earundem partium ſtudioſis, in id unicè intenti, ut Matthiæ cauſam, quam à Sede Apoſtolica probari non ignorabant, quocunque tan-

Prælatorum & Canonicorum Prag. tunc Iglaviæ degentium pro Matthia Rege ſtudium, utpote conforme voluntati Sedis Apoſtolicæ,

tandem modo poſſent apud cæteros promoverent, datis id circo ad ſuos etiam Pragam & Plſnam litteris admonitorijs, die 7. atque iterum 11. & 15. Maij. ut idem facere, (Catholicos Barones, ubi occaſio ferret adeundo) non intermitterent. Et quia legati Pontificij, Ferarienſis & Wratislavienſis Epiſcopi, paulo ante, emiſſis per Bohemiam patentibus litteris, Interdicto longe graviori, & alijs pænis Eccleſiaſticis palam minabantur, ita ut etiam Canonici Prag. alijq; omnes Sacerdotes Catholici, tam Eccleſiaſtici quàm Regulares, Pragâ excedere juberentur, niſi Matthias in Regem ſuſciperetur (cùm tamen per hoc magis fieret, ne ſuſciperetur, Proceribus Bohemis etiam Catholicis legibus ſuis vim inferri ægerrimè ferentibus & reclamantibus) publicatâ demum Wladislai electione, Hanuſſius cæterique Prælati & Canonici, de Eccleſia ſua Metrop. multùm ſoliciti; ac veriti, ne ſi reſidui in ea Miniſtri ſolum vertere cogantur, deſerta in adverſariorum, qui hoc ipſum avidè expectarent, manus deveniat; Ferarienſem tunc Iglaviæ unà degentem, ut à rigore emanati decreti pro Eccleſia S. Metropol. Prag. aliquid remittere vellet, inſtantiſſimè petierunt. A quo juſſi, ut ea de cauſa Wratislavienſem ſalutarent, ſine mora, has ad illum litteras direxerunt:

atque etiam de Eccleſia ſua ne Interdicto à Legatis Pontificijs lato involvatur, & per hoc detrimentum aliquod patiatur magna ſolicitudo.

Domino Epiſcopo Wratislavienſi Rudolpho. Obſequendi promptitudinem, Reverendiſſime Domine. Cùm priori die Reverendiſſimo Domino Legato Epiſcopo Ferarienſi, per nos fuiſſet ſupplicatum, quatenus Domini Canonici & Vicarij Eccleſiæ noſtræ Prag. & illi pauci, pro ejusdem Sacri loci conſervatione, favore & admiſſione Paternitatis ejus Reverendiſſimæ inibi commorari & perſeverare poſſent: quamvis Reverendiſſima Dominatio ſupplicationi noſtræ ſatis ſe favorabilem exhibuit: verùm quia Reverendiſſima Paternitas Veſtra ſuperioribus annis, cum D. Hilario noſtræ præfatæ Prag. Eccleſiæ Decano plerumq; in talibus diſpenſare non dedignata erat: remittit ille nos ad digniſſimam P. V. ut quicquid hac in re eadem Reverendiſſima P. V. nobiſcum egerit, id gratum habere velit: prout litteræ Suæ Paternitatis, Veſtræ Dominationi miſſæ clariùs docent. Nos itáq; omni, quâ poſſumus humilitate, *ſup-*

Supplicant idcirco ad Legatum.

ſupplicamus, non noſtrarum perſonarum lucra, ſed illius Venerandæ Eccleſiæ integritatem, & loci Sancti conſervationem animo revocantes, quatenus V. Reverendiſſima P. quemadmodum hactenus, ita nunc, nobis hanc gratiam indulgeat, ut illa noſtra membra, apud Matrem noſtram, cum Divinorum Officiorum continuatione perſeverare poſſint: ne illis diſperſis, theſauros, res ſacras, & quod omnium majus, pretioſa Beatorum Martyrum & Patronorum noſtrorum corpora ſingulariter, ferus livor hæreticus ſacrilega manu, in non mediocrem jacturam contemptumq; ſacræ Fidei, diripere auſit; integrâ fidelitate Veſtræ confiſi Benevolentiæ, votorum noſtrorum tanto clementiùs nos fore compotes, quanto oratio noſtra, non niſi Divino cultui Sanctorumq; ejus gloriæ conſervandæ accedit. Gratioſa atq; conſolatoria reſponſa præſtolabimur per præſentem. Ex Iglavia XXX. Maij, anno LXXI. Subſcripſerunt: Hanuſſius Præpoſitus, Joannes Decanus, Joannes de Rabſtein, Benedictus de Waldſtein, Joannes Kaplicar, *Canonici Eccleſiæ Prag. nſis, pro omnibus.* Conceſſúmque eſt, quod petierant, eâ tamen lege, ut non niſi excluſis Wladislai fautoribus, maximè verò hæreticis, Sacra in Metrop. Eccleſia peragi fas eſſet.

& ut Canonici & Vicarij penes Eccleſiam manere, Divinàque officia, (non tamen coram fautoribus VVladislai, maximè hæreticis) peragere poſſint, impetrant.

Cæterùm Bohemorum legatis, pro adducendo in Regnum Wladislao Kracoviam proficiſcentibus, Zdenko à Sternberg cum alijs Matthiæ adhærentibus, conventu Iglaviæ habito, Matthiam, novâ omnium qui ex Prælatis & Baronibus Bohemis aderant acclamatione, magnóque totius Civitatis applauſu, Bohemiæ Regem ſalutârunt; Legato Pontificio Ferarienſi Epiſcopo, qui præſens quoque aderat, Sedis Apoſtolicæ nomine & authoritate, id non tantùm probante, verùm etiam cunctis, qui contrarias ſequerentur partes, igni & aquâ interdicente. Quo peracto, legatos ad Fridericum III. & Imperij Ordines Ratisbonæ tunc congragatos, mittere placuit, qui tam in Comitijs publicè, quàm aliàs ubi affulgeret occaſio, privatim ſingulos adeundo, id agerent efficeréntque, ne Wladislai electio rata haberetur; néve Matthias, qui ſaniorem partem in ſuffragijs tulerat, deteriorem in aquirendo Regno ferret. Legati erant Gabriel de Brixia Epiſcopus Agrienſis, Hanuſſius de Kolowrat Pragenſis,

Nihilominùs Matthias denuò Rex Bohemiæ ſalutatur Iglaviæ, probante hoc ipſum per Legatos Pontifice.

ſe, Joannes de Rabſtein Wiſſehrad. Præpoſiti, & Stephanus de Zapolia Comes Sepuſienſis, & unà cum illis legatus Pontificius: qui auditi quidem fuerunt, ſed nihil impetrârunt, Imperatore & Principibus omnibus, Wladislai Electionem utpote legitimam, ſe, absque gravi injuria Bohemorum, qui ſuos Principes Duces & Reges, liberis ſuffragijs, pro vetuſtiſſimo more gentis, ad Reipubl. gubernacula vocare jam pridem conſueviſſent, (c) minimè improbare poſſe palam aſſeverantibus. Gerardum Roo Hiſtoricum Cæſareum de eo referentem audiamus. (d) *Dum hæc in Bohemia ſiunt, Fridericus Cæſar, & Imperij Principes Electores, ac reliqui Ordines, Ratisbonæ in Comitijs, publicam totius Germaniæ pacem ſtabilière; & miſſis in omnes ejus partes edictis, arma deponi, & quaſcunq; controverſias æquæ juris diſceptationi cognoſcendas, dijudicandáſq; committi imperarunt. Actum etiam eſt de Bohemorum Electione, quæ an rata haberi deberet, diſceptatum. Improbabat verò eam Pontifex, & ab hæreticis factam ac irritam fieri debere, per legatum ſuum in Comitijs contendebat. Matthiæ quoq; legati, ne ea ab Imperij ordinibus approbaretur, intercedebant; quod ipſe prior electus eſſet, ac Pontificis confirmationem haberet, ob egregia in Rempub. Chriſtianam merita, à cujus finibus Turcam toties ſubmoviſſet. Principes vero pleriq; Imperatoris Friderici judicium ſequuti, ad Wladislaum proniores erant. Eam ob rem Friderico ſuccenſuit Pontifex* (is erat Sixtus IV. Pauli II. eodem anno circa finem Julij defuncti ſucceſſor) *ac in litteris poſtea exprobravit; id potiſſimùm adducens in medium: quòd* (ita alibi legimus (e)) *nemini ſit dubium, ſolos Proceres Bojemos, qui ſint Catholici, & à quibus Matthias Corvinus antehac fuit in Regem* Electus, *habere legitimam Regis eligendi poteſtatem: & Sedem Apoſtolicam ex authoritate ſua, potuiſſe pronunciare Electionem Wladislai Poloni, propterea quòd ab hæreticis fuerit facta, de jure eſſe invalidam; & quæcunq; in electione ipſa eſſent decreta vel conſtituta, vim nullam habere.*

è contra Imperator & Principes Ratisbonæ in Comitijs Electionem VVladislai probant.

Offenſus idcirco Pontifex ſolos Catholicos Proceres *Bohemos habere Poteſtatem eligendi Regem* declarat.

Pp Hanuſ-

(c) *Acta Comitior. Imperial. Ratisbon. an. 1471.* (d) *Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr. lib. 8.* (e) *Apud Stransky Reip. Bohem. cap. 5. §. 29.*

Hanuſſius Præpoſitus, quantum poteſt, placita Sedis Apoſtolicæ executioni mandat,

Hanuſſij porrò Præpoſiti quantum fuerit ſtudium, quantáque cura & ſolicitudo, ut placitis Summi Pontificis ab omnibus, quantum fieri poſſet, in Bohemia obtemperaretur, & ne alius præter Matthiam pro Rege agnoſceretur, multiplices illius litteræ & frequentes ad diverſos datæ, quæ nobis præ manibus ſunt, liquidò oſtendunt. Ex quibus binas duntaxat, ne plures referendo Lectori fortaſſe moleſti ſimus, hîc apponendas cenſuimus: *Vobis Venerabili Domino Stanislao Artium Magiſtro, Archidiacono Litomericenſi & Canonico in Eccleſia Prag. Commiſſario noſtro Salutem in Domino, & in commiſſis diligentiam, in ſancta obedientia plurima ſuſtinentibus pro merito vitæ ſempiternæ. Ex mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & DD. Laurentij Epiſcopi Ferarienſis Sedis Apoſtolicæ Legati, notificamus, quòd Sereniſſimus D. Matthias Hungariæ & Bohemiæ Rex &c. auctoritate Sedis Apoſtolicæ, per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & D. delegatum ſupra nominatum, in Oppido Iglawa Olomucenſis Diœceſis, in Regem Bohemiæ eſt ſolenniter & publicè confirmatus. Quare vobis auttoritate Reverendiſſimorum delegatorum, & noſtrâ committimus, & mandamus, quatenus omnes & ſingulos Prælatos, Barones, Militares, Nobiles, & Civitates moneatis, ipſisq; divulgetis & pronuncietis, Sereniſſimum Dominum Matthiam Regem eſſe Bohemiæ, & non alium legitimè electum, per Catholicos Prælatos, Principes, Barones, Nobiles & Civitates Regni ejuſdem, ad quos ex tunc jure ipſo electio pertinebat; nunc verò per Sedem Apoſtolicam confirmatum, atq; iterum approbatum: quatenus illi, tanquam Bohemiæ Regi fideliter obſequantur & famulentur; contradictores quoslibet per cenſuram Eccleſiaſticam, & ſub pœnis in proceſſibus contentis compeſcendo. Datum Ratisbonæ XII. Auguſti. Anno 1471. ſub ſigillo noſtro nativo.* Ad eundem. *Venerabilis Confrater. Salutem in Domino ſempiternam. Ex parte Pontenſium ſupplicavimus Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino Legato, quatenus pro ſua benignitate velit facere cum illis gratiam, & relaxare Interdictum, ex quo illi volunt aſſiſtere Sereniſſimo Domino Regi noſtro Matthiæ, & non alij. Commiſimus id Generoſo & Magnifico Domino Joanni de Hazmburg, & vobis; ſicut ex litteris*

& Matthiæ partes per Bohemiam promovet.

tris Reverendiſsimi & noſtris, ipſi Domino ſupra nominato miſsis, clarius percipietis. Age chariſsime Frater; uti confido de veſtra charitate, exinde præmia ſempiterna recepturi. Magiſter Hoſpitalis eſt abſolutus, ſed cum maxima difficultate. Ille N. qui raro, ut unquam fidelis Sanctæ Eccleſiæ fuit, excommunicatus exiſtit, propter communicationem Pragenſium, ſæpius viſitando & Beel adorando: quod ſi non redierit ad cor proximè, per vos publicè denuncietur. Ex Ratisbona XVIII. Auguſti.

Verùm hiſce & alijs ipſorum conatibus nihil obſtantibus, Wladislaus Cracoviâ Pragàm veniens, ſummo omnium Ordinum honore, magnáque publicæ lætitiæ ſignificatione excipitur, ac confeſtim tertio ab adventu die, qui erat 22. Auguſti ab Epiſcopis Polonis, in templo Metropolitano ſolemni more coronatur. Sunt, qui eam ob cauſam Epiſcopos à Sixto IV. excommunicatos fuiſſe aſſerant. (*f*) Nos de Canonicis Metrop. in Actis, ſive in Commentarijs ejusdem anni fideli manu illius, qui aderat conſcriptis, nihil tale invenimus: fortaſſe quia conſtabat illos nihil temerè, nihil protervè egiſſe, ſed quidquid egiſſent, neceſſitati paruiſſe. Interdicto demum longè ſeveriori premebantur omnes, quotquot Matthiæ Regis partes, contra Wladislaum, tuendas promovendáſque ſuſcipere detrectarent. Hinc triſte erat in templis ſilentium, cum tanta Sacrorum perturbatione, ut geminatis, vel ſciſſis potiùs Religionibus, plebs hæreret ambigua, ab utris ſalutis auxilia poſceret: neque enim omnes Interdicto parendum exiſtimabant. Atque ita ſciſſo Sacerdotio, non erat minus in re civili divortium, alijs Matthiam, alijs Wladislaum reſpicientibus; cum tanta rerum confuſione, ut Reipub. veluti ebriæ, gemina omnia objicerentur. Interea Capitulares Pragenſes, eo in omnibus temperamento, eáque moderatione ſunt uſi, ut neutiquam Legatorum Pontificiorum, adeóque Sedis Apoſtolicæ, cujus ſemper erant obſervantiſſimi, odium incurrerent, & Wladislao ſemper favente uterentur. Conſtat id vel ex eo, quòd tum à Sixto IV.

VVladislaus electus, Pragā adducitur & coronatur, an. 1471.

Interdictum in fautores VVladislai longè ſeverius fertur.

Canonicorum hoc in rerum ſtatu circumſpecta prudentia.

(f) *VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad diem 22. Auguſti.*

anno 1476. tum à Wladislao, mox ſecundo regiminis ipſius anno, nempe 1472. Confirmationem omnium Privilegiorum Eccleſiæ ac Capituli,& quaſdam alias gratias haud vulgares facilè & ad votum obtinuerint. De Wladislao retulimus Radio II.

Hanuſſ. à Matthia Rege Legatus Romam mittitur;

A Sixto IV. Capitulum Metropol. hoc imprimis tulit beneficium, quo hodiéque jure merito gloriatur. Cùm enim hucusque Prælati & Canonici Metropol. Eccleſiæ Prag. in Miſſarum ſolennijs, alijsq; Divinis officijs, Mitris ſeu Infulis, in propria duntaxat Eccleſia, & majoribus atque Patronorum Eccleſiæ ſuæ feſtivitatibus, ex indulto ſummorum Pontificum, Urbani V. &Bonifacij IX. prout ſupra retulimus, uti conſueviſſent, ſubinde verò per injuriam temporum Eccleſiam deſerere,& vel Pilſnam, vel Krumloviam,vel etiam aliò ſeſe recipere coacti, ſacra ibi Pontificali ritu tractare licitè nequaquam poſſent: Hanuſſius Præpoſitus initio Martij menſis, an. 1476. Romam cum Rudolpho Wratislavienſi Epiſcopo, profectus, peractis alijs omnibus, quorum cauſâ à Matthia Rege miſſus fuerat,& Eccleſiæ etiam ſuæ haud immemor, non tantùm Privilegiorum omnium Confirmationem à Pontifice obtinuit, verùm etiam ampliſſimam hanc gratiam, ut Prælati S. Eccleſiæ Metropol.Prag. qui ſunt, Præpoſitus, Decanus, Archidiaconus & Scholaſticus, Divina peragentes officia, Mitris gemmatis, annulo, baculo paſtorali ac cætero Pontificali apparatu, ubivis per Diœceſim Pragenſem, & extra illam, ſalutato Loci Ordinario liberè & licitè uti poſſent, impetravit. Extant ipſius de hoc litteræ Romæ die 6. Maij, ad Joannem Decanum datæ, quæ ſic habent.

ubi Prælatis Eccleſiæ Prag. uſum Pontificaliũ in Divinis per totam Diœceſim Prag. & & alibi quoq; à Sede Apoſtolica impetrat. Litteræ ipſius ea de cauſa ad Joan. Decanũ Romà datæ,

* *Venerabilis Pater, Confrater & Amice chariſſimè. Salutem plurimam, & ſui fraternam commendationem. Explicare ſatis nequeo, quanto deſiderio ad redeundum in Patriam feror. Primis diebus, quibus Romam appuli, febribus tentari cæpi: ope tamen Medicorum, qui hic præſtantiſſimi inveniuntur, brevi ceſſavit malum, ita ut jam per DEI gratiam benè iterum valeam. Res noſtræ ſunt hic in bono ſtatu; Confirmationem Privilegiorum noſtrorum à Summo Pontifice obtinui; hoc inſuper, adjuvantibus Reve-*

Reverendiſſimis Cardinalibus quondam in partibus noſtris Legatis, impetravi, ut Præpoſito, Decano, Archidiacono & Scholaſtico Prælatis Eccleſiæ Pragenſis liceret deinceps ubiq; per Diœceſim Prag. & alibi quoq; præſalutato Loci Epiſcopo, Sacra Inſulariter peragere. Canonicis verò, non ſolùm in Eccleſia Metropol. verùm etiam in alijs Pragenſium Eccleſijs, non interdictis, neq; ullis cenſuris Eccleſiaſticis ſubjectis, celebrantibus, poſt Miſſam decantatam, ſolennem populo impartiri benedictionem: quod hactenus Prælatis tantum licuiſſe meminiſtis. Significate hæc Confratribus alijs quamprimùm, ut ex hoc itinere meo aliquod ſolatium capiant, & pro me orent, qui plura adhuc pro utilitate & decore noſtræ SS. Eccleſiæ ſubire ſum paratus. In reditu mihi ab æſtu timeo, qui jam hic potenter invaleſcit. Reverendiſſimus Wratislavienſis, qui Neapolim diſceſſerat, ſcribit, ut ſe expectem, donec ipſe cum Regia ſponſa (hæc erat Beatrix Ferdinandi Siciliæ Neapolisq; Regis filia, Matthiæ Regi deſponſata) *revertatur; ſed diu nimis eſſet expectandum mihi, cùm priùs venire debeant Matthiæ Regis Legati, qui illam in Hungariam deducant, quod citiùs Octobri menſe vix fiet &c. Datum Romæ an. LXXVI. die S. Joannis ante Portam Latinam.*

Bulla Sixti amiſſa videtur injuriâ præteritorum temporū, ſicut alia multa. Fit tamen ipſius mentio in libro quodam MS. qui Regeſtum, ſive Conſignationem ſummariam omnium Privilegiorum Eccleſiæ Pragenſis, operâ Ambroſij Decani conſcriptam, continet, ſub titulo: *Signaturæ Bullarum Pontificalium:* Ordine iſto, (præmiſſis tamen alijs vetuſtioribus facilè ſex & ſexaginta.)

Bulla Urbani V. de Indulgentia Apoſtolica, quòd Canonici Prag. Eccleſiæ utantur Inſulis albis & Roketis in miniſterio ArchiEpiſcopi, & deſuper ſuperpellicio induantur. Ejuſdem D. Papæ. Quando ArchiEpiſcopus celebrat ſive in Pragenſi Eccleſia, ſive in alijs ſuæ Juriſdictioni, etiam quà Legato Nato ſubjectis, quòd duo Canonici in officijs Diaconatûs & Subdiaconatus concelebrantes, Inſulis albis uti poſſint.

Alia ejuſdem D. Papæ Urbani V. quando Decanus Eccleſiæ Pragenſis, vel Canonicus quicunq; Miſſam celebrat ſolenniter in

eadem Eccleſia, quòd tam celebrans, quàm Miniſtri duo concelebrantes, Diaconus nempe & Subdiaconus, Canonici quoque uti poſſint hujusmodi Infulis; videlicet Albis.

Bulla Bonifacij IX. quòd Prælati & Canonici Eccleſiæ Pragenſis omnes & ſinguli in majoribus & Patronorum Eccleſiæ ſuæ feſtivitatibus, dum Miſſam celebrant, Mitris Pontificalibus gemmatis & aurifriſatis, uti poſſint. Et infra.

Bulla Sixti IV. quòd Prælati Eccleſiæ Pragenſis, nempe Præpoſitus, Decanus, Archid. & Scholaſticus ubiq; per Diœceſim Pragenſem, & alibi ſalutato Loci Ordinario, in Miſſarum & aliorum Divinorum Officiorum ſolennijs, Mitrâ, annulo, baculo & alijs Pontificalibus Inſignijs uti poſſint, idq; perpetuis futuris temporibus.

Alia Ejusdem; ut ijdem calices, patenas, campanas benedicere & conſecrare poſſint, ad decennium.

Alia Ejusdem; ut poſt Miſſæ Sacrificium, etiamſi Pontificalibus non utantur propter miniſtrorum defectum, ſolennem Benedictionem populo præſenti impertiri poſſint, ac valeant, tam Prælati quàm Canonici.

Reverſus in Bohemiam, Plſnæ primùm Divina Officia pontificaliter peragit.

Reverſus in Bohemiam Hanuſſius, primò omnium Plſnæ in Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli, atque iterum S. Wenceslai Martyris, Miſſam, & alia Divina Officia infulariter peregit. Ac demum tam Religioni Catholicæ, quàm paci tranquillitatique publicæ proſpiciendum cupiens, id unicè egit, ut quocunque tandem modo civili bello finis imponi, ac inter duos potentiſſimos Principes, pax & amicitia coaleſcere poſſet: quo demum faciliùs, etiam religio ipſa in priſtinum reduceretur decus. Itaque communicato ea de re, conſilio, cum Joanne Epiſcopo Waradinenſi natione Moravo, qui in animo Matthiæ Regis erat validus; poſtquàm toto ferè triennio, modò cum ſpe coaleſcendæ concordiæ, modò dubijs incertisq; animis fuiſſet diſceptatum; poſt multas tandem gravésque conditiones per delegatos utrinque propoſitas, & magnâ contentione diſputatas, Reges ipſi anno 1479. die 22. Julij Olomucij convenerunt, & amicè de controverſia omni tranſegerunt: *(g)* Con-

ejus in pacando civili bello ſtudium,

& effectus,

(g) *Daubr. Hiſt. Boh. lib. 31. Bonfin. rer. Hungar. dec. 4. lib. 5. Lupac. VVeleslav. Curæus. & nos in Marte Morav. lib. 2. cap. 5.*

Prælati & Canonici ab exilio Pragam revertuntur.

Confectâ pace Hanuſſius, qui tunc in caſtro ſuo Kraſſow, (*Zbirobum videtur ceſſiſſe Alberto filio*) Joannes Decanus, qui Krumlowiæ; Stanislaus Scholaſticus, Wenceslaus, Paulus & Joannes Canonici Prag. qui ut plurimûm Plſnæ commorabantur, moleſtiſſimo eo curarum pondere, quo per inteſtinas diſcordias, armáque civilia exilium ferre cogebantur, levati, Pragam poſtliminio redierunt. Brevi tamen aliud ac longè gravius, periculiq; majoris ſubierunt diſcrimen; nam anno 1483. menſe Septembri, exorto Pragæ tumultu, cùm effera plebs, facto in curiam Antiquæ & Novæ Urbis impetu, nonnullos è Magiſtratu, quos Catholicorum partibus favere noverant, immani rabie trucidâſſet, Monaſteria dirripuiſſet, multáque alia peſſima dictúq; enormia flagitia perpetrâſſet; creſcente magis atque magis licentiâ, eò tandem inſolentiæ proceſſerat, ut die 24. ejusdem menſis Eccleſiæ quoque Metropol. in arce Pragenſi vim inferre non dubitaret. *(b)* Accidítq; ut niſi Proceres Regni, qui Pragæ tunc agebant, Leo de Roſmital Supremus Burggravius, Sezima de Auſti, Burianus Berka, Henricus de Genſtein, Nicolaus de Waldſtein & alij (Rege abſente, qui cùm atrox peſtilentia Pragam initio veris invaſiſſet, & totâ fere Bohemiâ ad autumnum usque graſſaretur, Trebicium in Moraviam incolumitatis cauſâ diſceſſerat,) ſceleratos prædatores, mollibus verbis blandóque ſermone ſubmoviſſent, Eccleſia omnino effreni ipſorum libidini in prædam per ſummum nefas ceſſiſſet. Hanuſſius Præpoſitus mox initio horum tumultuum lectulo affixus detinebatur, paralyſi tentatus; cui præſens ſeditioſorum motus adauxiſſe malum, mortémque accelerâſſe facilè creditur: ab hinc enim deteriùs haberi cæpit, donec invaleſcente morbi vi, & defectis ſenſim viribus, die 23. ejusdem menſis è vivis exceſſit: ita ut manifeſtâ Divini Numinis benignitate, imminenti mox die ſequenti calamitati ereptus crederetur. Reliqui Prælati & Canonici hinc inde metu mortis vel carceris diſſipati, & aliqui etiam, uti Walentinus Wlk Concio-

Nova Seditioſorũ Pragæ adverſus Catholicos rabies, abſente Rege VVladislao.

Eccleſiæ Metrop. grande diſcrimen.

Hanuſſij à Koſovvrat Præpoſiti Prag. obitus.

Canonici iterum exules.

(b) *Hagec. Lupac. Kutenus & MS. ad an. 1483.*

cionator, vir priſci moris rectiq; tenax, & acerrimus hæreticæ improbitatis cenſor, ideóque Huſſitis ſummoperè gravis & exoſus, ad certam mortem quæſiti.

VVladiſlaus Pragam redux Regiam ſuam ex Urbe Veteri transfert ad Arcem S. VVenceslai.

Anno ſequenti Rex Pragam redux, cùm promiſcuam vulgi multitudinem, etiam poſt benigniſſimè conceſſam præteritorũ veniam, magis indiès tumultuari videret; ita ut ab armatis & furore exagitatis majores & atrociores turbas, rerúmque omnium confuſionem metueret; quin imò neque ſtationem ſuam, in ædibus (vulgò Aula Regia in veteri Urbe) in medio ſeditioſæ plebis, ſatis ſecuram eſſe putaret, migrare inde conſtituit: captáque opportunâ occaſione, ſe cum ſuis omnibus per trajectum fluminis ad arcem Divi Wenceslai tranſtulit, neque ampliùs unquàm, tametſi à Pragenſibus aſſiduis urgeretur precibus, in Aulam Veterem redire voluit: per quod Metropol. Eccleſiæ Pragenſi novum decus, & ex viciniore Regis præſentia, tutius deinceps præſidium acceſſit.

Innocentius VIII. Pontifex

Anno 1487. Innocentius VIII. qui Sixto IV. annis tribus antè defuncto ſucceſſerat, ut Capitularium Pragenſium Fidelitatem Sedi Apoſtolicæ conſtantiſſimè in omnibus ſervatam aliquo remuneraret præmio, Indulgentias plenarias inſtar Jubilæi, pro Feſto S. Wenceslai Martyris, Eccleſiæ Metropol. conceſſit. Litteras Pontificis hic legere placeat:

Innocentius Servus Servorum DEI &c. Cùm itaq; ſicut accepimus, Eccleſia Prag. quæ ab ejus primæva fundatione admodùm ſumptuoſo opere conſtrui & ædificari cæpta fuit, ob maxima impedimenta, quæ hæretici & Schiſmatici in civitate & Diœceſi Prag. habitantes, hactenus eidem Eccleſiæ præſtiterunt, & indiès perampliùs præſtare non ceſſant, nondum in ſuis ſtructuris & ædificijs perfecta fuerit, nec perfici poſſit; cùm ipſorum hæreticorum & Schiſmaticorum furor continuè magis invaleſcat: ſintq; Chriſti Fidelium ſuffragia ad id plurimùm opportuna, & niſi de celeri ſubſidio provideatur, ſit brevi de illius totali ruina & deſolatione veriſimiliter formidandum.

Eccleſiæ Pragenſi Metrop.

Nos cupientes, ut Eccleſia prædicta, quæ cauſantibus hæreticis & Schiſmaticis præfatis, qui illam ac dignitatem, & Beneficia in illa inſtituta, Bonis omnibus ſpoliárunt, jam longo tempore

pere fuit Paſtore orbata, & ad quam Chriſti Fideles in partibus illis propter nonnulla SS. Corpora, quæ in illa requieſcunt, devotionis causâ continuè confluunt, in ſuis ſtructuris & ædificijs hujuſmodi perficiatur, inſtauretur & conſervetur; ac Chriſti Fideles eò libentius devotionis cauſâ confluant, ad eandem Eccleſiam, & ad perfectionem, inſtaurationem & conſervationem promptiùs manus porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos: de Omnipotentis DEI Miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriusq; ſexûs Chriſti Fidelibus verè pænitentibus & confeſſis, qui in Feſto S. Wenceslai à primis Veſperis usq; ad Completorium ſequentis diei incluſivè, dictam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ad perfectionem, inſtaurationem & conſervationem prædictas manus adjutrices porrexerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint Indulgentiam & remiſſionem, & talem qualem anno Jubilæi viſitantes Baſilicas & Eccleſias Urbis ad id deputatas conſequuntur, auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium elargimur. Et nihilominùs, ut prædicti ad Eccleſiam ipſam pro conſequenda Indulgentia hujusmodi confluentes, conſcientiæ pacem, & animarum Salutem DEO propitio, uberiùs valeant promereri, ac indulgentiæ & remiſſionis hujusmodi capaces faciliùs effici, dilecto filio Viſitatori dictæ Eccleſiæ per Sedem Apoſtolicam, vel dilectos filios Capitulum ipſius Eccleſiæ, nunc & pro tempore deputato, Confeſſores idoneos ſeculares vel regulares in dicta Eccleſia deputandi, qui in dicta feſtivitate omnium fidelium utriusq; ſexûs, ad eandem Eccleſiam pro hujusmodi acquirenda remiſſione accedentium, & eis confiteri volentium, Confeſſiones audire, & ipſos fideles à quibusvis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis, quantumcunq; gravibus & enormibus, (præterquàm in contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini publicari conſuevit) abſolvere; ac vota quæcunq; per eos emiſſa (ultra marina Viſitationis liminum eorundem Apoſtolorum, ac S. Jacobi in Compoſtella, & religionis ac continentiæ votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant: plenam & liberam, auctoritate prædictâ, tenore præſentium concedimus facultatem. Et ſimiliter om-

pro Feſto S. VVenceslai, ampliſſimas confert indulgentias,

inſtar Jubilæi.

nibus & ſingulis fidelibus, qui præ nimia ſenectute impotentes, aut infirmitate detenti, vel aliàs legitimè impediti, eandem Eccleſiam in Feſtivitate ipſa viſitare nequiverint, dum tamen ſecundùm eorum facultates, & prout eorum devotio dictaverit, ſuas pias Eleemoſynas ad Eccleſiam prædictam miſerint, ſimilem indulgentiam & remiſſionem eadem auctoritate concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuscunq; ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum generalibus vel ſpecialibus ſuſpenſionibus, limitationibus, revocationibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum, an. Incarnat. Dominicæ 1487. XII°. Cal. Julij, Pontificatûs noſtri III.

Aliæ adhuc Gratiæ ſingulares ab Alexandro VI.

Hujus Succeſſor Alexander VI. anno 1499. hanc ampliſſimam poteſtatem Prælatis contulit, ut calices & patenas conſecrare, campanas benedicere &c. Interdicti verò tempore, in omnibus & ſingulis totius Regni Eccleſijs, etiam præſentibus hæreticis, dum illos ſine periculo vitare non poſſent, Divina officia celebrare, & coram ipſis Chriſti Fidelibus Sacramenta miniſtrare liberè & licitè poſſent. Quod etiam Julius II. an. 1510. atq; 1511. item anno 1516. Leo X. ratum habuère.

Julio II. & Leone X. PP. MM. Prælatis Eccleſiæ Prag. conceſſæ.

Nec tantùm erga Sedem Apoſtolicam Romanóſque Pontifices, tanquam ſupremos in terris Sacrorum Moderatores, ac legitimos Divi Petri Apoſtolorum Principis Succeſſores, verùm etiam erga ſuos Reges, Cæſares, enituit ſemper Capitularium integerrimum obſequium, & conſtantiſſima Fides.

Capitulũ Prag. Ferdinando I. de adepto Bohemiæ Regno gratulatur, miſſa ad eum ſolenni legatione, cujus caput erat Arneſtus Baro de Schleinitz Præpoſitus Prag.

Poſt luctuoſum Ludovici Regis in prælio cum Solimano Turcarum Tyranno infeliciter geſto interitum, anno 1526. die 29. Auguſti, cùm Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ, qui Annam Ludovici ſororem habuit in Conjugem, Rex Bohemiæ eſſet renunciatus abſens, eodem anno die 24. Octobris: Capitulares Prag. fuère inter primos, qui ei de obtento Bohemiæ Regno, magna cum lætitiæ & gaudij exinde concepti teſtificatione ſunt gratulati. Et quo major legationi ad eum Capituli nomine inſtitutæ gratia accederet & authoritas, Præpoſitus ipſe Erneſtus Baro de Schleinicz, vir Nobilitate Familiæ, morum elegantiâ & literarum cognitione præſtans, Georgij Domini in Da-

leczin

ſeu Tollenſtein, Schlukenow, Rumburg & Hanipach (proavus hic erat modernorum Maximiliani Rudolphi Proto-Epiſcopi Litomerzicenſis, Canonici Metrop. Prag. & Ladislai fratrum, Baronum de Schleinitz) germanus frater, promptiſſimo oblato obſequio, legationem illam ſubijt, & pro ſolita ſua in rebus agendis dexteritate feliciter peregit; tantâ ſui æſtimatione in Aula Ferdinandi Regis, & apud ipſum Regem reliquit, ut ab illo tempore Conſiliarius Regiæ Majeſtatis, quod illâ ætate rarum erat, & non niſi probatæ fidei circumſpectæq; prudentiæ viris conferri ſolitum, & dici & haberi mereretur: pro ArchiEpiſcopo etiam Pragenſi à Ferdinando Cæſare anno 1539. deſignatus, ſi reſtaurationem ArchiEpiſcopatûs, recrudeſcens anno ſequenti bellum Turcicum, & hoc vix per quinquennes inducias terminato, Smalchaldicum vel potiùs Saxonicum non impediviſſent. Quid porrò reſponſi Ferdinandus ad Capitulum dederat, cùm id propriè ad Capituli laudem pertineat, Deo Eccleſiæ & Principibus ſuis ſemper *Fidelis*, audiamus.

Reſponſum Ferd. I. ad Capitulum, humaniſſimum.

Reverendis, Venerabilibus, Honorabilibus, Devotis nobis Dilectis, Decano totiq; Capitulo Sanctæ Prag. Eccleſiæ ſub Vexillo SS. Romanæ Eccleſiæ, Sacriq; Imperij immotâ obedientia ac fidelitate militantis.

Ferdinandus DEI Gratiâ Bohemorum Rex, Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. Marchio Moraviæ &c. Comes Tyrolis &c. Reverendi, Venerabiles, Honorabiles, Devoti nobisq; Dilecti. Ex Litteris veſtris, quas ad nos dediſtis, & ex ipſo Nobili viro Erneſto de Schleinicz Præpoſito veſtro, Fideli noſtro dilecto, quem ad nos miſiſtis, cognovimus Fidem & affectionẽ, quam in nos, & Sereniſſimam Conſortem noſtram geritis, & quo Coronæ noſtri Electionem acceperitis. Equidem ut plurimum hoc veſtrum erga nos officium probamus, ita maximè grato clementiq; ſuſcipimus animo; nec præteribimus tam officioſam aggratulationem veſtram, ſuo tempore recognoſcere condignè: ſic ubi DEO Opt. Max. aſſiſtente, à quo eſt omnis honor gloria & potentia, ſolium Regis conſcenderimus, ſummo adnitemur ſtudio, ut per clementiam opémq; ſuam, Regnô Bohemiæ benè præeſſe, & per omnes illius occurrentias

ac neceſſitates Regem & Principem Pium, Juſtum, & laudabilem præſtare queamus, quando nobis tantopere placet, animóq; hæret boni Paſtoris officium, cujus exemplum tale DEO volente dabimus, ut dilucidè conſtare debeat, nos non tantùm veſtro, ſed & cunctorum Regni præfati Ordinum & Subditorum voto reſpondere; ſedulò quoq; curaturi, ut quæ ad verum DEI Omnipotentis cultum ſpectent, nequaquam negligamus. Quámq; in nos concepiſtis fiduciam, proindè longè uberiorem habere debeatis, cùm omnem animorum veſtrorum ſynceritatem gratiâ clementiâq; noſtrâ compenſare velimus. Datis in Civitate noſtra Vienna, die 5. menſis Decembr. anno Domini M. D. XXVI. Subſcriptus legitur propriâ manu (quam quotiescunque lego veneror & deoſculor) *Ferdinandus*. Et infra: V℞ *Harroch Cancellr.* Præmemoratus Præpoſitus Prag. Baro de Schleinitz erat ſimul etiam Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Miſnenſis, ubi Luthero & ipſius aſſeclis jam tunc nimiùm invaleſcentibus, verè murum pro Domo Dei, ſeu pro Eccleſia Catholica ſe oppoſuit, & Georgium Ducem ad mortem usque Catholicum detinuit.

Alia pridem Legatio Capitularium Prag. ad Maximilianum Imp. ejus nominis I. avum Ferdinandi I.

Invenio etiam anno 1516. poſt obitum Wladislai Regis, die 15. Martij defuncti, Capitulum Pragenſe miſiſſe legatos ad Maximil. I. Imp. Quam ob cauſam nullibi hactenus expreſſum legi; fortaſſe prævidebat, ſi quid Ludovico Wladislai filio, non niſi decimum ætatis annum tunc agenti, humanitùs eveniret, ita ut præmaturâ morte absque hærede decederet (uti reverà accidit) certò Ferdinandum Maximiliani ex Philippo filio nepotem, cui non ita pridem Anna Ludovici ſoror deſponſata erat, jure hæreditatis Uxoriæ in Regnum ſucceſſurum; ideóque ſe & Eccleſiam in tempore commendandam duxit. Legati, quorum de numero Doctor Nicolaus Hauska de Wratiſlow Eccleſiæ Metrop. Scholaſticus erat primus, Maximilianum ab Italica expeditione reducem, Auguſtæ Vindelicorum ſalutârunt: ubi rebus ex ſententia confectis, magnisq; â Cæſare exculti muneribus, nec minoribus promiſſis onerati, Pragam circa Idus Novembr. reverſi ſunt, cum litteris Cæſareis, veluti fidei, reiq; feliciter transactæ teſtibus, quas hîc referre

Maxim. Imp. litteræ ad Capitulum.

iusi placuit. *Honorabilibus, Devotis nobis dilectis, Adminiſtra-tori Præpoſito, Decano & Capitulo Eccleſiæ Pragenſis. Maximi-lianus Divinâ favente Gratiâ Electus Romanorum Imp. ſemper Au-guſtus &c. Honorabiles Devoti nobis dilecti. Quos ad nos duxi-ſtis deſtinandos nuncios, benignè audivimus, ipſorúmq; relatio-nem intelleximus. Et ad ea omnia viciſſim illis reſpondimus, ſicu-ti noſtram ab eis intelligetis: quod pro noſtra in vos benignitate, vos latere noluimus. Datum in Civitate noſtra Imperiali Auguſta, die 9. Octobris, anno 1516. Regni noſtri Romani 30.*

Ferdinandi I. erga Capitulũ beneficentia & liberalitas.

Quapropter Ferdinandus I. hujus tam propenſi Capitu-larium erga ſe & Inclytam Domum Auſtriacam obſequij haud immemor, nihil eorum unquam, quæcunque ad gratæ erga-illius ſuæ voluntatis teſtificationem pertinere animadvertiſſet, prætermiſit, verùm pro tantæ erga ſe fidei & ſtudij officijs, mul-ta beneficia tàm Eccleſiæ, quàm Capitulo contulit. Videan-tur quæ Radio II. paucis pro inſtituto noſtro recenſuimus.

Ejusdem de Capitularibus laus,

Accedit ad majorem Capituli laudem, gloriam, & incor-ruptæ in Deum, Eccleſiàm ſuóſque legitimos Principes fidei commendationem, quod idem Ferdinandus, quotiescunque ad Prælatos & Canonicos litteras dabat, ſingulis penè vicibus hujusmodi eximijs titulis uſus erat: *DEO, Eccleſiæ & Nobis ſem-per Fidelibus, Devotis dilectis &c. Data Lincij anno 1530. die 6. No-vembr. In obedientia & Fidelitate Sedis Apoſtolicæ & Noſtra con-ſtantiſſimè perſeverantibus &c. Dat. Viennæ anno 1534. die 8. Mar-tij. Catholicæ Religionis in Regno Noſtro Bohemiæ columnis &c. Dat. Ratisbonæ anno 1545. die 18. Auguſti. Nobis in Fidei integri-tate & conſtantia perſpectis & probatis &. Dat. Litomer. an. 1547. Fer. V. poſt Pentecoſt.* In litteris verò ad Paulum IV. inſtau-randæ ArchiEpiſcopalis Sedis Prag. cauſâ datis, inter alia de Prælatis & Canonicis id magnum aſſeruit; *viros fuiſſe ſemper in retinenda ac defendenda religione Orthodoxa ſummæ integritatis & conſtantiæ; perq; illos ſtetiſſe, quòd Catholica Religio, & Roma-næ Sedis obſervantia, non fuerit è Regno eliminata & exſtincta penitus &c. Dat. Pragæ, ad Paulum IV. anno 1558. die 15. Novem-bris.*

& diverſorum titulorum præconia.

bris. Magnum ſanè encomium! atque eò majus, quod à tanti nominis judicijq; limati Principe, Rege, Cæſare.

Capitularium in reprimenda Secta Pikhardorum diligentia.

Anno 1547. Venceslaus à Wolffenberg Decanus, Valentinus Scholaſticus, & Lucas Protiwa Baro de Swihow Canonicus & Eccleſiæ Om. SS. Decanus, exhibito Regi libello die 31. Auguſti, atque iterum 15. Septembris, oratione ſingulari per eundem Wenceslaum Decanum ad Regem habitâ, quâ perverſiſſima Picardorum, ſectæ tum magnoperè invaleſcentis dogmata, adulterina fidei ſemina, juxta ac illorum fœditas repræſentabatur, effecerunt, ut ſequenti anno publico Regis edicto, tum ipſis, tum alijs, qui nec ſub Una Romanæ Eccleſiæ ritu, nec ſub utraque juxta Compactatorum Baſilienſium formulam Religionem profiterentur, non tantùm ſacrorum tractandorum libertas inhiberetur, verùm etiam omnes, quotquot pertinaciter ſuis erroribus inſiſterent, tanquam contumaces hæretici, privilegijs & incolatu Regni minimè digni, divenditis ſuis bonis, intra dies 24. toto Regno excederent. Libellus porrò ille & oratio ad Regem erant iſta:

ad Ferd. I. libellus ſupplex, quo

Satis conſpicuũ eſt, Sereniſſime ac potentiſſime Rex, & Domine Domine noſter clementiſſ: inclytum Bohemiæ regnum malo hoc tempore, ab avita prædeceſſorum patrum religione, quàm remotiſſimè deſciviſſe. Quod etenim regnum tot tantisq; hæreſibus, diverſoq; Sectarum genere horribiliter diſſectum cernimus, ut vix ullibi veræ ſynceræq; religionis locus reperiatur. Unde meritò cum Chriſto Servatore noſtro dicere poſſumus: non inveni fidem ſuper terram. Cum verò Sacra Regia Majeſtas veſtra, clementiſſimo DEO propitio, contra inimicos & ſuos rebelles felici Victoriâ potiri dignata ſit: pro qua nos ſicut aſſiduis orationibus in Sacris Divinam Majeſtatem exoravimus, ita nunc eidem Deo Ter Opt. Max. gratias agimus referimûsq; perpetuas) non dubitamus, quin Sacra Regia Majeſtas Veſtra, tanquam unicus patriæ noſtræ defenſor, ac religionis ſanctæ Zelator, ex regia clementia ſua clamm hanc patriam, & ſi in mille errorum ſectas dilapſam, in priſtinam SacroSanctæ religionis Unitatem reducere gratioſè dignabitur: quò unus paſtor, grex unus Dominicus, in domo DEI ad laudem & divinam gloriam pro-

pro diem ſit futurus. *Quapropter Sacra Regiæ Majeſtati Veſtra humiliter ſupplicamus, nobis conſtitui ArchiEpiſcopum, gregis dominici vigilantiſſimum paſtorem: ſimulq; StudiumCatholicum, & Pragenſem Univerſitatem, tot tantis Privilegiorum immunitatibus, libertatibusq; olim per Chriſtianiſſimum Romanorum Imperatorem Carolum IV. ſemper Auguſtum Bohemiaq; Regem adornatam in priſtinum decus fæliciter reſtitui. Ex hac enim literaria palæſtra ingens clarorum Virorum numerus abundè olim emerſit: ideoq; ſimiles doctrinâ & prudentiâ claros viros (ut par eſt) exinde effluxuros ſperamus; ne dum aptos pro Reipub. munijs gerendis, verùm etiam qui veram Orthodoxam & Chriſtianam doctrinam in Eccleſia DEI, cum maximo populi Chriſtiani fructu, tum animarum ſalute, ſeminare poſſint.* (Occaſio tunc erant præſentiſſima recipiendæ, & de poteſtate Acatholicorum vindicandæ Univerſitatis Carolinæ: videantur Acta Ferd. I. quando poſt debellatum à fratre Cæſare Saxonem, Pragam cum victore exercitu redijt, Urbem exarmavit, ſeditioſos mulctavit, alios bonis exuit, alios pœnali ferro plecti juſſit, &c. (i) — promovendæ Catholicæ religionis zelum

Cæterùm iterum iterúmq; Sacra Regiæ M.V, in gratioſam revocamus memoriam quotidiana gravamina & injurias Prælatis, totiq; Ordini Eccleſiaſtico per Dominos temporales inceſſanter illatas. Etenim Prælatos & Paſtores Eccleſiarum, totúmq; clerum in jure ordinario (ut ſolent) impedientes, Eccleſias vi præripientes, Picardos, Zvinglianos & id genus alios errorum Magiſtros (extruſis Sanctæ Religionis Sacerdotibus) temerè intrudunt. Eam ob rem efflagitamus humillimè, ne Domini temporales in adminiſtratione impediant Prælatos & Clerum, nec eos in juribus eorum gravent, Eccleſias quoq; ablatas reſtituant. Ut quoq; Picardi totius hujus mali authores, in hoc Regno, juxta Regni decreta Tabulis terræ multoties firmata, proſcribantur. Ut facultas & licentia imprimendi libros, in duobus locis, utpote Pragæ & Plſnæ ordinentur. Conſtituantur quoque ſuperintendentes, ſine quorum ſcitu & examine nihil in lucem pro-

& in reprimẽda hæreſi ſtudium, ſatis ſuperque oſtendunt.

(i) *MS. Acta publ. in Regno Boh. ſub Ferd. I. ad an. 1547. Moravograph. lib. 1. cap. 6.*

prodeat, ſub pœna Regiæ Majeſt. Veſtræ Cameræ ſolvendæ. Simul etiam Regia Maj. V. clementer inſtituere dignetur, & prohibere, ne (ut frequenter contingit) Norimbergæ, vel alijs in locis aut regionibus, in vulgari Boemico, vel Alemanico, libelluli famoſi & tractatuli imprimantur, vel impreſſi huc ad Bohemiam inferantur. Quantum verò ſpectat Bona noſtræ Pragenſis Eccleſiæ, quæ Majeſtate Veſtrâ exigente, ipſiúsq; juſſu & mandato obligata ſunt, promiſſione datâ, redimenda fore pro termino S. Galli proximè venturi, non dubitamus, quin Maj. V. Sereniſſima, quod polliceri dignata fuit, gratiosè etiam præſtare dignabitur: alioquin miniſtri Eccleſiæ ſalarijs conſtitutis ac deputatis deficientibus, in officijs ſacris perficiendis perdurare non poterunt. Quod ut fiat, M. V. Regiam humillimis precibus rogamus, &c.

Alia iterum in ſimili Supplicatio.

Aliùs ſupplex, pro Eccleſiaſtico Ordine, ne juribus privetur ſuis.

Etſi, Sereniſſime ac Potentiſſime Rex & Domine Domine noſter clementiſſime, ad Supplicationem noſtram nuper Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, per Reverendiſſimos in Chriſto Patres Principes & Dominos Epiſcopos, oblatam, nihil reſponſi hactenus ſumus nacti, præſertim de injurijs gravaminibúsq; tum Prælatis, tum etiam Eccleſiarum Paſtoribus, totiq; Clero à Dominis temporalibus inceſſanter illatis; qui Prælatos alióſq; Eccleſiarum Parochos, contra omne jus Eccleſiaſticum, maximè in jure ordinario, & impediunt & anxiè gravant. Imprimis Eccleſias ſub Sancta religione militantes, vi præripiunt; Picardos & Zwinglianos nefarios, non conſecratos Sacerdotes falſò uſurpato Sacerdotis titulo, extruſis veris & religioſis Presbyteris, præter ſcitum & Ordinarij voluntatem temerè intrudunt, neq; eos ad Ordinarium ſuum remittunt, atq; ita ſine litteris formatis, Sacerdotij ſui teſtibus, in officium Paſtoris admittunt. Pleriq; ſub juris Patronatus prætextu dominium in Eccleſias & eorum Bona ſibi vendicant; neq; jura, neq; decimas paſtoribus pendunt, verùm dotalitia ad Eccleſias à fundatoribus pro animarum refrigerio, ac divini cultûs augmento olim fundata condonatáq;, utpote agros, prata, nemora, piſcinulas, vineolas, & id genus alia, de quo paſtores Eccleſiarum ſuſtentari debent, in proprios vertunt uſus. Alijs vendunt, alijsq; pro nutu ſuo elocant, ac ſi pro-

pria

pria hæreditaria eorum eſſent bona ; non attendentes Sacræ Scripturæ veritatem, omne quod Domino conſecratur, ad jus pertinere Sacerdotum, nec ampliùs in uſum humanum redigi debet. Sunt qui teſtamenta Sacerdotum ultimáſq; de rebus legandis voluntates, poſt mortem nedum infringunt, veriùm etiam legata planè diripiunt. Hinc fit, ut Sacerdotes regimina Eccleſiarum ſubire abnuant, prorſúsq; abhorreant ; qua de cauſa populus Domini, & Eccleſiæ multæ paſtoribus carent. Accedit, quod Clericos in cauſis perſonalibus ad forum prophanum, ſpreto ordinario judice urgeant, nullam in hac parte rationem habentes ; tametſi Sacri Canones doceant : Clericum de omni crimine coram judice ſuo competenti conveniendum eſſe. His igitur alijsq; id genus multis gravaminibus Prælati, totùsq; Clerus quotidie afficiuntur.

contra Picardos, ne deinceps tolerentur in Regno.

Præterea non dubitamus Sacræ Regiæ M. V. probè eſſe notum Decretum, ſub fælici regimine Sereniſſimi Principis & DD. divæ recordationis Wladislai Hungariæ, Bohemiæq; Regis conſtitutum, idque ex communi Procerum ac omnium Regni Ordinum conſenſu, de Picardis in hac inclyta Patria minimè tolerandis, neq; ſynagogis eorum palam habendis, ſed potiùs abolendis. Quod decretum, ut tantò efficacius eſſet, memoratus Rex Wladislaus, tanquàm Rex Catholicus, pro poteſtate ſua Regia Tabulis terræ inſeri curavit. Idem quoq; Ludovici Regis ſanctæ recordationis tempore, in publicis Regni Comitijs per memoratos Regni Ordines concluſum fuiſſe conſtat. Prout notulæ latiùs docebunt, &c. Ea propter obnixiſſimè efflagitamus, ſupplicamusq; Sacræ Maj. Veſtræ per Viſcera Miſericordiæ DEI obteſtantes, tanquam unico Chriſtianæ Religionis Zelatori & defenſori, ad quem poſt DEUM, ut confugiamus, habemus neminem : Non dignetur, pro regia clementia ſua, Prælatos in adminiſtratione ipſorum, neq; Clerum à temporalibus Dominis in juribus ſuis, ut graventur vel impediantur admittere, veriùm potiùs res & Bona Eccleſiæ vi ablata ut reſtituantur, & deinceps in Religione Catholica inviolata maneant, pro plenitudine poteſtatis ſuæ regiæ efficaciter cooperari. Supplicamus etiam humillimè, quatenus Picardos, quod genus hominum perniciosiſſimum eſt, in inclyto hoc Regno, juxta ac peſtilentiſſimum, ſecundùm Compactata & Regni

R r decre-

decreta Tabulis terræ multoties confirmata, compeſcere dignetur, & ſynagogas illorum, in quibus conventus ſuos celebrare ſolent, curare vel obſerari, vel demoliri penitus: ne deteriora in futurum eveniant, & Religio Catholica prorſus conculcetur, & è Regno tota eliminetur. Remedium malo huic in tempore ferendum eſt, priusquam invaleſcat, & deſperetur ſalus. Legimus in Libris Regum, Regem Oſiam olim DEO placuiſſe, qui Pſeudoprophetarum oſſa è ſacris locis eijci & comburi juſſit &c. Quod ut Sacra Majeſtas facere dignetur, iterum atq; iterum ſupplices exoramus. Plures hujusmodi ſupplices ad Imperatorem datos fuiſſe invenio (*k*) quibus tandem effecerunt, ut publico decreto, ſicut jam dixi, religionis vel ſectæ potiùs Picardorum exercitium prohiberetur, templa illorum clauderentur, & quædam etiam à fundamentis diruerentur. Unum adhuc ſupplicem ab ijsdem ad Cæſarem datum audire placeat.

Alia Capitulariorum ad Cæſarem ſupplicatio,

Sacræ Cæſ. Regiæq; Maj. Veſtræ, poſt noſtri humillimam commendationem, orationes noſtras & vota pro fælici & pacato Imperio devotiſſimè offerimus. Quoniam nos cura non parva tenet, his difficilimis & periculoſiſſimis temporibus, de retinenda Catholica Religione & cultu divino, in noſtris Eccleſijs per Bohemiam; ut ſubinde ſolicitare Cæſ. Maj. Veſtram, & Sereniſſimum Archiducem nos oporteat, contra illos, qui ubi tantùm poſſunt, Catholicam Religionem opprimunt, & ſectas Luteranorum, Picardorum & aliorum introducunt: ſicut etiam contra illos, qui Bona Eccleſiæ noſtræ & Monaſteriorum invadunt, occupant & detinent. Submiſſiſſimè rogamus S. Cæſ. Maj. Veſtram, tanquam Patronum Eccleſiæ ſecundùm DEUM ſummum, non vitio nobis vertere, ſed potiùs benignis ſuis oculis preces noſtras reſpicere, & clementi patrocinio nos fovere & juvare dignetur.

pro Budvvicēſibus, ut in Religione Catholica protegantur:

Budvicenſis Civitas, quæ hactenus ſemper Catholica perſtitit, & olim armatâ manu, profundendo etiam ſanguinem ſuum, contra Huſſi-

(k) *Acta Erneſti à Schleinicz Præpoſ. & Adminiſtrat. VValentini item & Joannis à Puchow Adminiſtrator. ad an. 1539. 1542. 1547. & ſequ. ad an. 1554.*

Huſitas & Taboritas, tuendo Catholicam Religionem pugnavit: à glorioſæ mem. Wladislao Rege privilegium accepit, ſicuti Plſna Catholiciſſima quoq; Civitas, prout Cæſ. Maj. Veſtra probè conſtat; ne admitteret in commune jus ſuæ Civitatis, niſi Catholicos ſub Una. Nunc autem volens illud jus ſuum proſequi & defendere, non pauca ſibi adverſa, & ab ijs, à quibus minimè deberet, pati cogitur. Nam quidam inventi ſunt, non ita ſub Utraq; ſicut Luterani, qui extra Civitatem cum foſſoribus metallicis communicant, carnes prohibitis diebus vorant, de religione Catholica malè ſentiunt, peſſimè loquuntur, & alios adhuc ad defectionem exemplo ſuo imbunt & ſolicitant: quos Magiſtratus dictæ Civitatis nolens in communitate pati, tanquam peſtem publicam ejecit & proſcripſit. Illi autem venientes Pragam cùm Nicolao Humpolecz ſuo patrono, conqueruntur palam, quòd propter uſum Calicis proſcribantur: Senatum Pragenſem, & D. Judicem Regni & alios, contra nos & Budvicenſes conteſtant &c. Ideóq; S. Cæſ. Maj. Veſtram obnixè petimus, dignetur piè & clementer habere rationem Catholicæ Religionis, & illius ſemper fidelis Civitatis: ſecùs, actum erit etiam de Plſna, Brixia, Auſta, Kadana & alijs, ſi ſemel permittatur ſcindi religio Budvicij, exemplum hoc trahet plura alia &c.

Præterea humillimè petimus, ut aliquem Subcamerarium Catholicum conſtituere dignetur, qui habeat deinceps meliorem rationem Catholicæ Religionis, & non ita Magiſtratum & Senatores in Civitatibus ex Luteranis conſtituat, ſicut hactenus factum fuit, &c. Scholæ etiam Catholicæ paſſim jam in Civitatibus negliguntur, & Luterani præceptores, vel ſeductores potiùs, in illas admittuntur: Unde à malis corvis mala ova proveniunt. Imò Pragæ etiam, ipſiq; Magiſtri Collegij & Scholarum ferè omnes Lutherani ſunt, &c. Normberga imprimunt Bohemicos libros hæreticos, ſicut etiam Proſtiegovij in Moravia, & in Bohemiam advectos. occultè & palam hinc inde diſtrahunt: qua de cauſa fit, ut populus in varias opiniones ex hujusmodi librorum lectione diſtrahatur, ſacra contemptui habeat, templa non ampliùs frequentet, domî tantùm legat, & id quod ſcriptum habet, etiam graviſſimos errores, Evangelium eſſe putat. Ferunt etiam molitorem quendam non procul Proſtiegovio

Subcamerarius utreligione Catholicus cõſtituatur:

Libri hæretici vendi & imprimi prohibeantur.

govio imprimere noxia queq;, præſertim poſtillas & cantiones Picardicas, quæ ſimiliter Pragam impunè vehuntur, & occultè, ita ut neq; ad vectigal perveniant, diſtrahuntur.

Vicini noſtri Budiſſinenſes multa etiam conqueruntur, de inſolentia Lutheranorum, & incuria Præfectorum, ita ut niſi in tempore ſuccurratur per Cæſ. Maj. V. timent, ne pejus de die in diem fiat, & tota Luſatia à religione Catholica deficiat. Bona ad S. Procopium pertinentia, quæ nondum ſunt in hæreditatem vendita, unà cum Koſtelecio, rogamus Monaſterio poſtliminiò reſtitui: ſi modernus Abbas videatur fortaſſe non ſatisfacere muneri ſuo, dabitur opera, ut alius conſtituatur, ne cultus DEI ibi peſſumeat.

Jura &

Jus Patronatûs in Polna vendicat ſibi & uxori ſuæ D, Zacharias de Nova Domo, quod olim non ad arcem Polnenſem, quæ eſt in Moravia, ſed ad noſtram Diœceſim Prag. pertinebat, & Provincialis Crucigerorum Teutonici Ord. præſentabat Parochum illuc: ùt ex Actis noſtris liquet. Et cùm Eccleſia Polnenſis vacua nuper eſſet, quòd ſecta Picardorum ibi graſſaretur (ſicut de facto reliquiæ ipſius ibidem manent) S. Cæſ. M. Veſtra, Capitulo noſtro providendam & regendam commiſit, & dedit in perpetuum: quod rogamus confirmare nobis dignetur. Similiter jus Patronatus in Charwatecz, quod ad ArchiEpiſcopos quondam Prag. pertinebat, & nunc Vacante Sede ad Capitulum, D. Henricus Kurczpach ſibi arrogat &c.

Bona Capituli injuſtè occupata reſtituantur.

Cæterùm quod nonnullas Villas noſtras attinet, vi ſummâ quondam abalienatas, intelleximus Novæ Civit. Prag. cives agere potenter, ut non tantùm Geſſenicze Villa inſignis ad altare S. Sylveſtri pertinens, ſed & quædam alia aliarum Eccleſiarum & Monaſteriorum, quas tempore diſturbiorum occuparunt, quaſi ad Eccleſias illorum pertinerent, ſibi pro hæreditariis inſcribantur: id ne fiat, humillimè rogamus; nam habentes nos litteras fundationis illius Altaris, quam fecerat Joan. IV. Ep. Prag. recuperare dictam Villam, favore & gratiâ S. M. Veſtræ adjuti, intendimus; jamq; etiam ad Judicium Cameræ poſſeſſores ejus ad redimendum vocavimus, &c. Notum quoq; eſt M. Veſtræ, nos Villam Eccleſiæ noſtræ Kozolupy propè Plſnam, Plſnenſibus in mille & quingentis Sexag. juſſu S. Cæſ. M. Veſtræ, & Sereniſſ. Archid. Ferdinandi oppignoràſſe, & pecuniam

niam Cameræ M. Veſtræ tradidiſſe, idq́ publicæ neceſſitatis, quæ tunc obtendebatur, cauſâ: ita tamen quod S. Cæſ. M. Veſtra promiſerit per D. Cancellarium, ſe brevi illam redempturam, atq; interim dum ita oppignorata maneret, cenſum dari ex Camera ſua clementer conſtituit; qui cenſus hactenus dabatur, ſed magna cum difficultate, ita ut Eccleſia noſtra non parum incommodi inde ſenſerit. Sed nunc offertur via & ratio redimendi dictam Villam, &c. Habet etiam D. Audrezsky quatuor Villas Eccleſiæ noſtræ, Brendeis, Halauſy, Drchkow & Winßinkam; D. Wratislaw in Mniſſek, villam Bikoß; & D. Petrus Sſatny, villam Hoſtiwicz: qui, ùt audimus, laborant apud Cæſ. Maj. illas jure hæreditario obtinere. Ideóq; rogamus &c. Meminerit S. Cæſ. M. quod ante biennium, ſimiliter publicæ neceſſitatis prætextu, bona Præpoſituræ noſtræ, nempe oppidum Klumin cum ſuis appertinentijs, à S. Cæſ. M. Veſtra hæreditariè ſint vendita quatuor millibus ſexag. Domino Sſpigel Quæſtori Maj. Veſtræ: jam ut aliqua ſaltèm fiat compenſatio, & aliquid reddatur, quod antea fuerat Eccleſiæ noſtræ, inceſſanter rogamus; Deum Opt. Max. pro S. Cæſ. Maj. V. & tota Sereniß. Domo &c. &c. &c.

Anno iterum 1551. Henricus Scribonius Præpoſitus, Valentinus Decanus, Joannes à Puchow Archid. & Collegiatæ Eccleſiæ Melnicenſis Præpoſitus, Nicolaus Janus Archidiaconus Litomerzicenſis, & Joannes Przeſsticzsky, Canonici Prag. quorum conſilijs, circa Religionis Catholicæ augmentum, Ferdinandus Imp. multùm tribuere erat ſolitus, authores eidem Imp. fuére, quòd ampliſſimâ lege latâ (priùs tamen in publicis Statuum Regni Comitijs, *(l)* re propoſitâ, agitatâ ac omnium ſententijs approbatâ) Clericis omnibus in Bohemia teſtandi facultatem conceſſerit, anno 1552. die 16. Januarij. Quod ſi aliquem ab inteſtato decedere contingeret, bona hæreditasque illius in tres partes dividerentur: quarum prima caderet Eccleſiæ cui præerat, altera amicis & cognatis defuncti, tertia Patrono

Ferd. I. facultatem teſtandi concedit Clero Bohemiæ.

(l) *Comitia Bohem. Pragæ an. 1552. die 4. Jan. VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad diem 4. Jan. Synodus Archidiac. Prag. ſub Zbygneo Berka ArchiEp. an. 1605.*

trono ejusdem Eccleſiæ. Si verò cognati nulli eſſent, portio illos contingens, Hoſpitali illius loci applicaretur, vel inter pauperes diſtribueretur: uſus deinde obtinuit, mox à reſtituta ArchiEpiſcopali Sede, quod ArchiEpiſcopus, aut ipſiusVicarius in ſpiritualibus Generalis, portionem hanc in diſpoſitione ſua habeat, eámque pro arbitrio ſuo in Pias cauſas diſpenſet. (*m*)

Idem glorioſiſſimus Imperator habebat in animo, poſtquam anno 1562. Sedem ArchiEp. Pragenſem ſtabiliviſſet, augere etiam in eadem Eccleſia Canonicorum & aliorum inferioris ordinis miniſtrorum numerum: ſed has Pij juxtáque liberaliſſimi Principis cogitationes, mors quæ maximis quibusq; deſignationibus intervenit, & in medio rerum ac gloriæ curſu deſtituit, uti jam memoravimus ſuprà, anno 1564. ex inſperato abrupit.

Capitulum Pragenſe.

Sed unum penè omiſiſſem, quod præ cæteris memorabile eſt, & quod ad inſignem Capituli gloriam facit, propter ipſius tunc in promovenda Catholica Religione indefeſſum ſtudium, & ex eo tandem, faventibus Superis, emanatum uberrimum fructum, quo hodiéque gaudet & lætatur Bohemia, Catholicâ Veritate longè latéque illuſtrata.

Cùm enim poſt ſervatam egregia cum laude Erlam ſeu Agriam, arcem & civitatem in Hungaria non poſtremam, & & repreſſos magna cum clade ab obſidione illius Turcas, menſe Octobri an. 1552. Capitulares noſtri viderent Regem ſuum Ferd. non nihil reſpirare à curis bellicis, ipſo etiam Turcarum Principe Solymano, graviſſimo bello Perſico ſub id tempus diſtento, commodam Religionis promovendæ occaſionem ſeſe nactos exiſtimantes, nova iterum circa hoc conſilia agitanda ſuſceperunt; miſſisq; Henrico Præpoſito, & Joanne Archidiacono Viennam ad Regem, non præterita tantùm reſtaurationem

miſſis ad Ferd. I. Præpoſito & Archidiacono,

(m) *MS. Acta Pontani Præpoſ. Prag. & Officialis quatuor ArchiEpiſcoporum, Martini, Sbygnæi, Caroli & Joannis III. ad an. 1598.*

onem Sedis ArchiEpiſcopalis, reformationémque Studij Prag. concernentia in memoriam revocari, ſed alia quædam ſpecialia, per quæ Religio Catholica quantocyùs juvari, & ex adverſo hæreſis tanto faciliùs extirpari poſſet, vivâ voce & ſcripto proponi curârunt. Præcipuum erat, quod ſummatim tantùm referam: cùm exigua ſpes ſit reducendæ AcademiæCarolinæ Prag. ad frugem meliorem, in eo potiſſimùm, ut quempiam Catholicum admittat unquam in gremium ſuum, Magiſtris & profeſſoribus plerisque religioni ſub Utraque deditis, in eáq; ſupra modú obſtinatis, & nonnullis jam etiam Luterum haud parum olentibus: interim verò Catholicæ Religionis neceſſitas ſummoperè exigat, ut juventuti ſacris literis imbuendæ in tempore proſpiciatur, ex eo, quod maxima penuria ſit Catholicorum Sacerdotum; paucos enim reperiri, qui extra Regnum ſtudijs operam darent, ideóque metuendum eſſe, ne ex hoc defectu Catholica Religio in Bohemia ſenſim intereat: Conſultiſſimum ac propè neceſſarium videri, ut Cæſ. Majeſtas pro authoritate & poteſtate ſua Regia atque Cæſ. novum Studium Catholicum Pragæ conſtituat, quod Catholicæ Religioni ſubſidio ſit, ipſamque afflictam, & jamjam quaſi in extremis jacentem denuò refocillet, erigat atque priſtino vigori & decori feliciter reſtituat. Id niſi fiat, actum fore de Religione, utpote cujus conſervandæ remediú aliud ſuppeteret nullum.

pro ſubſidio Catholicæ Religionis petit.

Academiam novam erigi, &

Notum porrò eſſe, & Cæſ. Majeſtatem procul dubio non latere, quantum ſubſidij ac emolumenti acceſſerit nuper Studio Ingolſtadienſi, per aliquos Doctores Theologos è Societate JESU (nova Religione ſic dicta) à Paulo III. Pont. Max. petenti Wilhelmo Bavariæ Duci Româ miſſos: quorum doctrinâ, pietate & induſtriâ haud contemnendi indiès promanarent fructus; & ille imprimis, quòd nihil Luteranæ doctrinæ, prout aliàs nova dogmata facilè propagantur, ex finitimorum defectione, in ipſam Ingolſtadienſem Academiam, ſed neque in civitatem, ſeu occultè, ſeu palam irreperet, juventus ſacris literis erudita augeretur, alij, religioſi perinde ac laici in Catholicæ Religionis obſervantia confirmarentur, ac de-

exemplo Bavariæ Ducis

„ ac denique Bavaria adhuc tota à labe hæreſeos intacta con-
„ ſervaretur. Jámque ex his tam eximijs ipſorum laboribus, ac
„ inde in divino cultu & ſalute animarum, proveniente magno
fructu, Ducem juniorem (is erat Albertus Wilhelmi per id tem-
pus defuncti filius, & hæres unicus, Sereniſſimæ Domûs propa-
„ gator) usque adeò eſſe animatum, ut à moderno Pontifice
„ (Julio III.) & novi iſtius Ordinis fundatore Ignatio, plures
„ Socios petere, ijsque non Ingolſtadij tantùm, ſed Monachij
„ quoq; nova Monaſteria fundare conſtituerit, cupiens per hoc
„ tanto meliùs ac certiùs proſpicere ſubditorum ſuorum in Ca-
„ tholica Religione ſecuritati. Petere itáq; humiliter, ut S.
„ Cæſ. Maj. qui ſolus poſt DEUM afflictæ Religioni medelam
„ ferre, labantémque erigere poteſt, tanquam Supremus Eccle-
„ ſiæ Catholicæ Advocatus, Patronus, Nutritius & Vindex, hanc
„ quoque viam clementiſſimè amplecti velit, & ex nova iſta
„ Religioſa Familia, quæ ſingulari divini Numinis Providentiâ
„ ad hoc inſtituta videtur, ut exorienti hæreſi atque ita invale-
„ ſcenti bellum indiceret, ac pro Domo DEI, pro Eccleſia Ca-
„ tholica, pro SS. Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ſeſe murum
„ opponeret; tot Magiſtros & Doctores Pragam invitare, quot
„ ſufficerent ad jacienda novi Studij prima fundamenta: nul-
„ lum dubium eſſe, quin hoc à Sede Apoſtolica facilè impetra-
„ turus ſit. Quod locum domicilij pro ipſis accommodandi
„ attinet, cùm in præſentiarum alius aptior non occurrat, Pa-
„ tres Capitulares Pragenſes paratos eſſe ipſis cedere templum
„ S. Mariæ Magdal. in minori Urbe Prag. in vicu Augezdenſi,
„ quod per Huſſitarum diſturbia deſolatum ac deſertum Ladis-
„ laus Rex Capitulo tenendum ac poſſidendum dederat, unà
„ cum vicinis quatuor domibus, earúmque areis, ad idem Ca-
„ pitulum jure emphyteuſeos pertinentibus, quarũ una, & me-
„ lior quidem, proximè ad Capitulum per devolutionem pleno
„ jure acceſſiſſet; reliquas negotio facili, & pretio non magno
„ comparari poſſe, atque ita aptari, ut parvi alicujus monaſte-
„ rij præ ſe ferrent faciem; interim, donec ſucceſſu temporis
„ commoditas affulgeret melior. Initium tantùm fieret, &
illud

Patres Societatis JESU pro docendis Scholis vocari; quibus

pro prima ſtatione, ſuum templum S. Mariæ Magd. cum adjacenti territorio offert.

„illud (quia plerumque grave) ſuperaretur feliciter, reliqua „facilius deinde conſequutura: ipſi DEO Opt. Max. cujus „gloria & honor hic unicè quæreretur, cætera fore curæ.

Ferunt delectatum fuiſſe mirum in modum Ferdinandum, hoc tam egregio & aperto Noſtrorum candore & zelo, comitérque appellatos magna cum benevolentiæ ſignificatione excepiſſe; & ſicut poſtea recenſuerat *Præpoſitus* in litteris ad Decanum datis, (*m*) prima verba ipſius fuiſſe: *placet nobis zelus veſter, quem pro S. Religione Catholica geritis.* Et poſt quædam alia, addidiſſe: *Patres illi, quos pro erigendo apud vos novo Studio præ cæteris idoneos eſſe cenſetis, nobis probè perſpecti ſunt; quibus etiam multùm afficimur, ab eo tempore, quo in Wormatienſi conventu, atq; iterum in Ratisbonenſi, ante aliquot annos, illos primùm noſſe cæpimus. Nec nos latent ea, quæ Divina Majeſtas pro Eccleſia ſua ſancta, per illos operari dignatur. Dudum etiam in Regna & provincias noſtras illos induxiſſemus, niſi malignitas temporum, & aſſidua bella, quæ nos hucusq; domi & foris acerbè, ut ſcitis, exercuerunt, obſtitiſſent. Et quamvis de facto non ceſſet ab hoſte immaniſſimo Turca periculum, metuendúmq; ſit, ne ille confecto bello Perſico, arma denuò & vim ſuam totam in Hungariam transferat, & exinde bellum multo magis atrox recrudeſcat, quod divina atq; humana omnia commiſceat: hoc tamen non ampliùs obſtante, ut ſolummodò Religioni Catholicæ in tempore adhuc provideri poſſit, in animum induximus noſtrum, omnino petere à Sede Apoſtolica prænominatos Religioſos in ſubſidium, & tot quidem quot pro duobus Collegijs fundandis ſufficerent: prout jam etiam cùm à Pontifice Max. tum ab Ordinis iſtius conditore Ignatio, ad petitionem noſtram reſponſa talia accepimus, ex quibus nobis promittere poſſumus, poſtulata noſtra brevi ſortitura ſuum effectū. Interea negotium hoc ſibi commiſſum habet ab Ignatio, Doctor Caniſius ejuſdem Ordinis, qui Ingolſtadij manet, ut nobiscum ea de re pleniùs conferat: quem idcirco vel huc Viennam, vel Pragam in* Reſponſum Regis.

(m) *Lit. Henrici Præpoſ. Trebonæ data ad Valent. Decanum, an. 1552. pridie S. Cathar. V. & M. glorioſæ.*

proximo noſtro adventu, vocabimus. De cætero promptitudo hæc veſtra longè omnium gratiſſima nobis accidit, ita ut illius ſemper memores eſſe velimus, & ipſi nobiſcum Patres, pro quibus agitis; qui ſuo tempore, uti ſperamus, facient, ne vos veſtrósq; Collegas, conceptæ de eorum integritate ſpei & fiduciæ unquam pœniteat.

Miſſi à Capitulo viatico donantur, & peracto feliciter negotio, domum revertuntur.

Octo diebus continuis manſerunt noſtri Viennæ, binis adhuc vicibus ad Regem admiſſi: qui poſteaquàm cum ipſis de omnibus, quæ in rem præſentem facerent, ſermonem contuliſſet, & multa etiam de alijs rebus ab ijs percunctatus fuiſſet, ultimò centum aureorum viatico donatos, porrectáque dextrá cum ſingularis amoris & benevolentiæ ſuæ teſtificatione, diſcedere, Pragámque reverti permiſit, cum addito; cætera demandaturum ſe Ferdinando filio (hic patris locò Regnum gubernabat) daturúmque negotium, ut cum Capitulo & Proceribus Regni, qui Catholicæ religionis propagandæ zelo præſtarent, de loco, ubi pro novo Studio & Collegio Pragæ domicilia commodè ſtatui poſſent, déque proventu annuo, quo Magiſtri & Profeſſores ſuſtentarentur, conſilia quamprimùm conferret.

Pragæ demum negotio hoc in novam deliberationem accepto, & accuratiùs diſcuſſo, placuit omnibus, ac imprimis Archiduci Ferd. monaſterium S. Clementis in veteri Urbe Prag. prope pontem deſignari pro novo Athenæo, quòd locus videretur opportuniſſimus, intra Triurbem quaſi medius, & commeantibus ex Veteri in Minorem, & inde viciſſim, obvius; talis denique, quo commodior inveniri vix poſſit. Erat monaſterium illud Ord. Prædicatorum, à B. Czeslao germano fratre S. Hiacynthi, ope Przemysli Ottocari I. Regis, circa an. 1226. conditum, celebre quondam, utpote quod 150. Religioſos quandóque ſuſtentabat: ſed injuriâ temporum, præſertim poſt illam terribilem & communem ferè monaſteriorum Prag. ſtragem, ita deſolatum, ut dum hæc agerentur, non niſi à tribus religioſis, Priore & duobus fratribus inhabitaretur: ædificia domûs ac templi S. Clementis majori ex parte in ruderibus, area autem exterior, plateam & Hoſpitale Crucigerorum verſùs, tota à prophanis hominibus occupata, & ab utraque parte domibus va-

rio-

ſiorum opificum impleta. Hunc itáque locum pro nova religioſa Colonia, & pro erigendis novis Scholis deſtinari, atque illicò aptari placuit: quod poſtea etiam ipſemet Rex Ferd. probavit, qui ut hæc omnia inſtituerentur authore Prætore, ne in futurum haberet invidia, quod contra opponeret, conſenſum Pont. Max. Julij III. petijt, & obtinuit; quod demum etiam Pius V. è Dominicana Familia Pontifex ſanctiſſimus confirmavit.

Monaſterium S. Clem. pro nova Academia, & Cόllegio Patrum Societ. deſtinatur.

Brevi deinde P. Petrus Caniſius Societatis JESU Theologus, cujus nuper mentionem Cæſar fecerat, Pragam venit, qui loci prætacti poſſeſſionem, ab Henrico Præpoſito & Adminiſtratore ArchiEp. Prag. juſſu Cæſaris introductus ſuſcepit. Nec multo poſt venerunt etiam novem ejuſdem Familiæ Socij à D. Ignatio, medio antequàm ad Cœlum abiret anno, Româ miſſi, à Caniſio & Prælatis Metropol. magnâ charitate excepti, & ab his etiam deinceps in omnibus fideliter adjuti, ita ut commune illorum in neceſſitatibus refugium fuerit ad Capitulum. Extant rei hujus teſtes aliquot Epiſtolæ Caniſij, ſicut etiam Urſmari Rectoris, & Henrici Bliſſemij, ad Præpoſitum datæ non paucæ. Unam atque alteram, quæ breviores ſunt, hîc referam.

Patrum Societatis Pragam adventus, an. 1555. atq; iterū an. 1556.

Reverende in Chriſto Domine. S. P. Gratias debemus DEO Opt. Max. quod confecta ſint tandem negotia noſtra, juſſu Regiæ Maj. Zittavienſes habent quod voluerunt. Prioris cauſa expedita eſt, & debita unde ſolvantur, conſtitutum. Quoniam verò die heſternâ Thomas veſter pater familias emit ligna pro nobis, & nunc manè ſolvenda promiſerat, oro Dignitatem tuam, providere dignetur, & mutuò dare ſedecim argenteos ſeu talleros: ego ex ijs, quæ debet Bartholomæus, & alij pro Catechismis, bonâ fide reddam. Spero etiam prorſus fore, ut poſt hac nunquam ſit opus æs alienum contrahere: quia ſumptus ſuppetent conſtituti. Dominus JESUS vobiscum, &c. Aliæ ab eodem, nempe Caniſio. *S. P. Reverende D. Præpoſite. Duos tantùm talleros in fabricam neceſſarios peto, & alios jam duos debemus: ſcio nihil ſupereſſe Regiæ pecuniæ, mutuò dari fide bonâ velim. Dominus ſuos non deſeret, niſi ad tempus, ut probentur. Servus in Chriſto, Caniſius.*

Commune illorum in neceſſitatibus ad Capitulum Prag. refugiū.

Aliæ à P.Rectore. *Pax Chriſti nobiscum æterna. Reverendæ D. Præp. continuet, quaſo, Dignitas tua pium & liberalem, erga nos puſillum gregem, affectum, & inopiam noſtram, quam patimur in multis, præſertim verò in libris, ſublevet benevolè, & quantum absq; ſuo incommodo poteſt. Opera S. Auguſtini, & Origenis per Thomam veſtrum & noſtrum allata, ſicut etiam libros diverſos, quos D. Decanus cum conſenſu Capituli, ex Bibliotheca veſtræ Eccleſiæ, quam audio vos habere præſtantiſſimam, nobis commodaverit accepi: utimur ita illis, ne quicquam detrimenti ſentiant. Et quia Scholaſtici noſtri pluribus adhuc indigent, rogo etiam iſtos, quorum conſignationem mitto in appoſita ſcheda, mihi concedi ad tempus, reſtituam cum gratiarum actione &c. P. Bliſſemij harum exhibitoris petitionem Dignitati Veſtræ commendo: petit ille, quod facilè ei præſtari poteſt &c. Pragæ ad S. Clem. 1560. die 12. Septembr. Servus in Chriſto Urſmarus Rector.* Patribus autem Dominicanis liberum ſtetit, compenſationis locò accipere, vel ſupra memoratam Eccleſiam S. Mariæ Magd. cum adjacente territorio, vel deſertum quoque Cænobium ad Salvatorem, ſeu S. Agnetem dictum, quod erat olim Virginum Ord. S. Claræ, vulgò *Pauperum Domicellarum* nuncupatum, in Veteri Urbe Prag. qui hoc potiùs (inſtauratum tamen priùs impenſis regijs) Friderico Priore cæteris perſuadente, acceptârunt. Cùm verò ſtatim ſub initio, ipſis controverſia mota eſſet, cauſâ alterius vicini & contigui quidem cænobij, ſed æquè deſerti S. Franciſci, templiq; S. Barbaræ, quæ Patres Conventuales à S. Jacobo nullâ ratione cedere volebant; Capitulares noſtri, ne res veniret in contentionem, interceſſerunt, & pro poteſtate ſua, quà Ordinaria, requiſito etiam conſenſu regio effecerunt, ut Dominicani in quieta utriusque monaſterij poſſeſſione manerent. patet id vel ex hoc Capitularium ſcripto ad Cæſarem dato:

Patribus Dominicanis locô monaſterij S.Clement. datur monaſt. S. Agnetis,

Patres Capitulares Eccl. Prag. viderunt ſupplicem libellum Religioſi P. Antonij Mazuræ, Vicarij Ord. Minorum Conventual. Guardiani ad S. Jacobum, contra devotum P. Provincialem Ord. Prædic. Priorem ad S. Agnetem in veteri Civit. Prag. de Eccleſia S. Barbaræ, & monaſterio S. Franciſci adjuncto monaſterio S. Agnetis,

cum monaſterio S.Franciſci & templo S. Barbaræ.

tis, ubi quondam moniales S. Claræ fuerunt, & in altero Fratres S. Franciſci, miniſtrantes in Divinis illis Virginibus ejusd. Ord. &c. Et ponderantes eorum controverſiam, conſultiſſimum eſſe exiſtimant, ne gliſcant, ſed potiùs reprimantur inter ipſos lites, ut Cæſarea Maj. authoritatem ſuam interponere dignetur. Et quoniam S. Agnetis monaſterium dare dignata eſt Ordini Fratrum Prædicatorum, pro monaſterio S. Clementis, quod illi ceſſerunt ad vota ſuæ Maj. Patribus de Soc. JESU, etiam templum S. Barbaræ, cum toto monaſterio S. Franciſci & pertinentijs, cùm adhæreant monaſterio S. Agnetis, Patri Priori Prædicatorij Ordinis addicere; Patri verò Guardiano, pro jure quod habet in dictum templum & monaſterium S. Franciſci, de ſua benignitate cenſum annuum circiter XXX. tallerorum, ad monaſterium S. Jacobi conſtituere. Eo pacto facilè dirimetur controverſia, ut utraq; pars ſit futura contenta, & Fratrum concordia conſervetur, &c.

Cæterùm ex adventu Patrum Societatis JESU, & illorum poſtea ſingulari diligentiâ, affabilitate, morum ſuavitate, & facilitate dexteritatéque permirâ, brevî magni fructus ſequuti ſunt, magnáque Pragæ & alibi Religionis in melius mutatio; ita ut Catholica Veritas, quæ jam quaſi animam agere videbatur apud Bohemos, denuò reviviſcere, palámque aſſurgere viſa fuerit: Scholæ apertæ, juventus non in humanioribus tantùm ſeverioribúſque literis, verùm etiam ac potiſſimùm in pietate debitè inſtructa, plebs in myſterijs fidei probè erudita, tepidiores confirmati, non pauci ad gremium Eccleſiæ reducti, inter quos duo fuerunt errantium duces. Tantò deniq; magis res Catholica indiès augebatur, & numerus verè credentium creſcebat major, quantò novarum opinionum vanitas fiebat evidentior; ita ut verificaretur illud, quod Paulus III. Pont. Max. in ſua Bulla, quam anno 1549. ediderat, aſſeruit, dum hunc ſacrum Ordinem appellavit *agrum fertilem, qui non ſingulis annis, ſed ſingulis diebus multiplices uberésq; fructus, ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum producat.* Laboratum deinde, ut Seminarium aliquod, ſive Collegium pro juvenibus in Theologia erudiendis, & ad ſacros Ordines formandis erigeretur, neceſ-

Fructus uberrimi ex adventu Patrum Soc. Pragæ.

neceſſitate ipsâ id in magna Sacerdotum tum temporis penuria exigente: actúmque de loco, ubi contubernium hujusmodi commodè inſtitueretur, & de vectigalibus annuis,unde ſuſtentaretur. Cujus rei ſpecialem quoque curam & ſolicitudinem habuiſſe Prælatos & Canonicos noſtros, vel ex hoc ſupplicis libelli ad Regem ea de cauſa dati fragmento, colligere licet.

Alia Canonicorum Prag. circa Convictū Alumnorum Eccleſiaſt. erigendum ſolicitudo.

Deinde Sacræ Cæſ. Maj. humiliter inſinuamus, neceſſariſſimum eſſe, ut aliqua ſpecialis Burſa, ſeu Collegium pro Sacerdotibus formandis inſtituatur quamprimùm, ex quo prodire poſſint nobis in ſubſidium Paſtores & Curati Animarum, &c. Pro ſuſtentatione illorum applicari poſſunt proventus iſti: in Tienowicz eſt monaſteriolum quoddam pro aliquot Fratribus fundatum à quodam D. Cziczowicz; hoc tempore deficientibus Fratribus conſtitutum fuit, ut tres vel quatuor Sacerdotes ibi alerentur, (cujus rei benè conſcius eſt Paulus Beraunsky civis Plſnenſis) quos procurare debebat Joan. Muchek; ſed unum tantùm aluit, & modò audimus nullum eſſe: reliquit ille hæredem, qui cultum DEI ibi prorſus negligit. Villæ quæ ſpectant illuc, ſunt quinq;. Villa quoq; eſt cujusdam monialis profugæ & apoſtatæ ex monaſt. Chotieſſow. quam modò poſſidere dicitur D. Wenceslaus Tocznik, qui ſororem habet prætactæ monialis. Eſt etiam cenſus annuus 30. ſexag. groſſ. Prag. qui olim à monaſterio Plaſſenſi ſolvebatur monaſterio Chyſſenſi: cùm autem nullus ſit religioſus Chyſſæ, &c. Item D. Georgius Zdiarsky detinet cenſum à bonæ mem. D. Zdenkone de Kladna pro Parocho Kladnenſi legatum ex integra villa Hrzib, unde ſingulis annis 50. ſexagenas colligit, & Parocho, quia aliunde ſufficientem proviſionem habet, nihil pendit: ideóq; poſſet huc applicari ſaltèm media ipſius pars, & reſiduum Parocho relinqui. Magnificus D. Georgius de Schleinitz habet Eccleſiam Collegiatam in Rumburg, ubi aliquando erat Decanus cum Canonicis. Bona integra manent, Canonicus nullus, cenſus de facto ſolvuntur integrè, quos ille percipit: an non convenientiùs applicari poſſent pro aliquot juvenibus ſuſtentandis in ſtudijs? nec dubitamus, quin ille aſſenſurus ſit, tanquam Dominus Catholicus, ſi à Cæſ. Maj. admoneatur. Eſt quoq; Eccleſia olim Collegiata S. Ægidij in majori Praga, occupata à civibus & eorum

teſti-

religionis ſub Ilemq; Sacerdotibus; quæ tamen ſpectare deberet de jure ad Metropolitanam, tanquam filia ad matrem ſuam: & cenſus habet copioſos, villas multas. Nos parati ſumus juri noſtro ad tempus cedere, & omnes illos proventus in hoc ſubſidium dare, tantùm Sac. Cæſ. Maj. pro poteſtate ſua decernat, & ſtatuat ut huc convertantur. Poſſent etiam aliqui cenſus ex opulentioribus Xenodochijs ad hoc pium opus converti; in hac enim neceſſitate Eccleſiæ ſimilia meliùs & utiliùs collocarentur in Scholas, quàm in pauperes, quos ſemper habere poſſumus & illis benefacere, ſed Scholas, agrum miniſtrorum Chriſti, imò ipſum Chriſtum, non ſemper &c. &c. &c.

Conſilia hujusmodi brevi poſt dederunt effectum bonum, & Collegium ſive Domus, quæ tantoperè deſiderabatur, ad inſtituendos in literis & doctrina Chriſtiana juvenes, qui aliquando Sacris Ordinibus initiati curam animarum gerere poſſent, & alios quoque tenuioris fortunæ adoleſcentes in bonarum Artium ſtudijs fovendos ac ſuſtentandos feliciter erecta, anno 1560. quam *Convictum* dici placuit: ex qua ſucceſſu temporis prodierunt Viri inſignes, â doctrina & pietate, rebùsque pro Eccleſia & bono Terrarum publico præclarè geſtis, longè celeberrimi, hodiéque prodeunt, quos ad primas in Regno dignitates Eccleſiaſticas evectos ſuſpicimus. Certè nos Prælati & Canonici Metrop. omnes (uno ſolùm excepto) noſtra in Theologicis ſtudijs & Ordinibus Sacris principia huic *Domui* debemus: taceo aliarum Eccleſiarum Præſules, diverſorum Cœnobiorum Archimandritas, & alios æquè primæ apud ſuos dignationis; ita ut meritò *Domus* hæc cenſeri poſſit, bonorum morum, pietatis & eruditionis nobiliſſimum juxta ac fœcundiſſimum *Seminarium.*

Convictus Prag. erigitur. an. 1560.

Hunc in modum majora indiès incrementa accipiebat Catholica Religio, veréque apparebat, rem populi de anno in annum, de die in diem verti in melius, Capitularibus noſtris tanto ſucceſſu lætis, & de opera ſua ac ſolicitudine, quamcunq; pro inducendis Patribus, erigendis Scholis, & accommodandis in ſtudiorum decurſu bonæ ſpei juvenibus, hactenus egiſſent, non parvum ſolatium capientibus: qui ut viciſſim Patribus

Catholica Religio magis ac magis propagatur.

bus ſeſe gratos & benevolos, aliquo egregio gratitudinis & liberalitatis exemplo oſtenderent, cum poſterioribus annis iiſdem Patribus, Rudolphi II. Cæſ. atque Regis beneficio, *Kopanina* prædium allodiale, & pagus uno atque medio milliari Pragâ diſſitus acceſſiſſent, noſtri alterius quoque pagi vicini *Kopanina minor* dicti, ſed tunc magna ex parte deſerti fundos, ipſis ſingulari promptitudine addiderunt; reſervato duntaxat modico canone Capitulo quotannis pendendo, ut ſupereſſet beneficentiæ præſtitæ monimentum. Inſuper dum poſt aliquot annos veteres Cœnobij Clementini incolæ, non viderentur præſenti ſuâ apud D. Agnetem ſtatione ſatis contenti, ideóque commutationem factam putarent longè imparem, & contra illam in privatis circulis, & etiam coram alijs non usque adeò ſecretis ſermonibus murmurarent; ac conſequenter injuriam ſibi illatam quererentur, & vel locum priſtinum ſibi reſtitui, vel aliam condignam ſatisfactionem dari vellent; atque etiam haud obſcurè innuerent, ſi ſibi Eccleſia S. Mariæ Magd. antecedenter oblata ſuperadderetur cum ſuis appertinentijs, ita ut in minori quoque Urbe Prag. Conventum habere poſſent, tum primùm ſatisfactionem fore: Noſtri quaſi jam omnia omnibus facti, ut paci ac concordiæ partium conſulerent, & remedium gliſcenti invidiæ in tempore ferrent, haud gravatè aſſenſerunt; confectisq; in eam rem tabulis, & conditionibus certis appoſitis, ex quibus una erat: *ſi quandoq; contingeret Ordinem Prædicatorum Pragæ deficere, ut omnia ad Capitulum reverterentur:* dictam Eccleſiam cum omnibus appertinentijs, Patribus Dominicanis, P. Vincentio Provinciali, & P. Benedicto Barginio Priori ad S. Agnetem præſentibus, pleniſſimo jure tradiderunt. Imò cùm poſt victoriam Albo-montanam ijdem peterent à Ferd. II. ſibi conferri Eccleſiam S. Ægidij, locò S. Agnetis, noſtri tametſi intervenire, & potiùs Metropolitanæ reſtitui dictam Eccleſiam, tanquam, ut jam dixi, quondam Collegiatam & Filialem, petere potuiſſent, & procul dubio impetrâſſent: non fecerunt tamen, ut tantummodò illi pro Clementino Collegio, quod jam tunc induſtriâ Patrum longè aliam præ ſe ferebat faci-

Capitularium Prag. erga Patres Societatis

ſicut etiam erga PP. Dominicanos liberalitas.

faciem, ad invidiam usque multorum, habcrent ſemel ſatis.

Hic porrò ſi quis me iſta referentem ab inſtituto plus juſto declinare putat; fallitur: nam huc propriè ſpectat, oſtendere Anteceſſorum noſtrorum Eccleſiæ conſtantiſſimè ſemper ſervatam, & inſignibus documentis probatam *Fidelitatem*, ſicut etiam ipſorum pro Catholica Religione in Bohemia conſervanda ſuſceptos tot labores, curas, ſolicitudines, & indefeſſum ſtudium; quod reverà ſi antea unquam, hîc potiſſimùm in erigenda nova Academia, quæ Catholicæ Religioni, ne ſuccumberet penitus, præſidio eſſet, ac conſequenter in inducendis Patribus Societatis JESU, ijsque ſyncerè in omnibus juvandis, protegendis & fovendis, benè & utiliter, ſubſequuto poſtea uberrimo fructu, ac copioſiſſimo animarum ad gremium Eccleſiæ reductarum proventu impenderunt. Ab eo námque tempore, quo Patres Societatis Pragæ Scholas docendas, & alia Pietatis exercitia tractanda ſuſceperant, Religio quoque Catholica refloreſcere ac reviviſcere cæpit, ſenſimq; ita augeri, ut ei ſemper poſterior dies priore jucundior illuceſcere videretur: donec tandem DEO Opt. Max. auſpice in integrum aſſurgeret, de hæreſi armis glorioſæ memoriæ Ferd. II. profligata triumpharet, & in hunc, in quo illam florere videmus & gaudemus, reduceretur ſtatum, ita ut Bohemiam dulcem Patriam noſtram, Eccleſiæ & Religioni Catholicæ poſtliminio reſtitutam Patribus Societatis JESU, jure meritóque debeamus. *Vivat hæc ſacra Familia, Vivat in Domino! multiplicetur in Benedictione, & perennet in ſecula!*

Capituli &c.

PatrumSociet. meritiſſima & digniſſima laus.

Nec prætermittendum eſt, quod æquè ad Capituli commendationem facit, & quod Anteceſſores noſtros ſingularem Catholicæ Religionis in Regno conſervandæ ac propagandæ curam habuiſſe ſemper, manifeſtè oſtendit. Nam cùm metuendum eſſet, ne Religio Catholica in Bohemia penitus interiret, idq; potiſſimùm ex defectu Sacerdotum & Ludirectorum Catholicorum, antequàm nova Academia erecta fuiſſet: illi, ut opportuna huic neceſſitati remedia compararent, juvenes pro Studijs aptos, ubi poterant conquirebant, & illos vel Viennam, vel Cracoviam, vel Ingolſtadium, vel alias Catholicas

Capitularium pro conſervanda in Regno Catholica Religione cura ſingularis,

Univerſitates, ſubinde etiam Romam, ut ibi pro bono Patriæ in literis & pietate excolerentur, mittebant, non parcentes ullis impenſis, etiam proprijs, ut tantummodò in futurum eſſent, per quos Religio Catholica in Regno conſervari poſſet. Non nunquam vacantium Beneficiorum fructus, quos commodè poterant, in hujusmodi adoleſcentes ſuſtentandos convertebant. Pluribus id documentis oſtendere poſſem, ſed unum, quod ex Reſponſorijs iſtis Henrici Præp. ad Julium Phlugium Epiſcopum Naumburgenſem datis liquet, ſufficiat.

Reddita ſunt mihi Reverendiſſ. P. Tuæ litteræ, quibus commendat bonæ ſpei juvenem, agnatum D. Parochi Stolpenſis, atq; petit, ut ei ſine ulla conditione obligationéq; Vicariam S. Wenceslai in Eccleſia Miſnenſi (Beneficium hoc erexerat Joannes de Genſtein Epiſcopus Miſnenſis, ac poſtea ArchiEpiſcopus Prag. ejus nominis II.) *conferre velim. Referens autem id ad Senatum Venerabilis Capituli noſtri, ad quod Beneficij illius præſentatio pertinet, id reſponſi retuli; quod tametſi Reverendiſſimæ P. T. interceſſio ſit apud omnes non parvi momenti, hic tamen graves eſſe rationes, propter quas petitioni ipſius deferri non poſſit. Decretum eſt enim, ut quidquid eſt Beneficij vacantis in Eccleſia Miſnenſi, id tam diu, donec illa Eccleſia denuò reſtituatur (quot utinam propediem fieret) in ſtudioſos bonarum literarum conferatur, ut per vices habeant ſumptus qualescunq; ſtudiorum ſuorum. Deficiunt enim nos docti Sacerdotes, deficiunt etiam Rectores Scholarum Catholici, ita ut plerisq; noſtris Scholis præficiantur vel Huſſitæ vel Luterani: quæ res plurimùm detrimenti Eccleſiæ adfert, quando ab hujusmodi præceptoribus tenera ætas imbuitur cum præceptis Grammaticis etiam opinionibus non Catholicis. Quod ut impediatur, facimus quantum poſſumus, non parcentes etiam noſtris proprijs ſumptibus, modò conſervetur Religio Sancta. Et quia non ſufficimus, ſupplicavimus Regiæ Maj. ut ſi quæ vacua eſſent Beneficia, in quibus perſonarum præſentia non requireretur, illa nobis ad tempus favere dignaretur, in eum uſum, ut fructibus eorum idonei adoleſcentes in alijs Orthodoxis Academijs ſtudentes, ali ac ſuſtentari poſſent, qui poſtea domum reduces, & tam in doctrina quàm in pietate probè*

exinde etiam oſtenditur.

inſtructi, Patriæ & Religioni Catholici prodeſſe, & vel alias minores Scholas regere, vel Sacerdotio initiati curam animarum habere poſſent. Quâ ratione & huic adoleſcenti, quem R P.T. mihi commendat, ad petitionem ipſius cognati Parochi Stolpenſis, conceſſum erat hoc Beneficium ad triennium; eò quòd promiſerat illum hoc biennio initiandum Sacris, & ſucceſſu temporis profuturum etiam Eccleſiæ noſtræ. Abundamus enim Parochijs vacantibus etiam Germanicis, & locis honeſtis: præſertim nunc, proſcriptis Luteranorum miniſtris. Cautum enim eſt decreto & conventione totius Regni, ſub Wladislao Rege, ne ulla religio in Regno Bohemiæ locum haberet, niſi Romana Catholica tantùm, & ſub Utraque, quæ tamen ritè ordinatos Sacerdotes admitteret, & ſeſe in omnibus, exceptâ Communione, Catholicis conformaret; quod decretum fuit publicatum ante Luterum contra Picardos, ſed eadem ratione ligat Luteranos Witembergæ à laicis ordinatos & uxoratos contra ſacros Canones Eccleſiæ. Hujus verò decreti cùm Regia Maj. & ſui ad hæc juramenti admoneretur, non poterat, ſicut etiam Regni judices, qui Sereniſſ. Archiduci aſſidebant, partim ſub Una, partim ſub Utraq; communicantes, aliter pronunciare, quàm ut omnes aliam Religionem profitentes ex hoc Regno diſcederent. Jam ut ſubſtituantur alij in locum illorum, laboramus; & ipſa Regia Maj modis omnibus agit. Decrevit enim huc Jeſuitas, ſeu Fratres de Societate JESU, qui gratìs hìc Pragæ profiteantur bonas literas & Theologiam, ut inde plures nobis exurgant miniſtri Eccleſiæ, adducere, pro quibus etiam nos jam dudum ſupplicavimus: decrevit quoq; duodecim bonæ ſpei juvenes & ſtudioſos ex Bohemia, totidem ex Moravia, & totidem ex Sileſia Romam mittere, & ibi illos, dum compleant ſua Studia, fovere & ſuſtentare ſuis impenſis, pro utilitate Patriæ. Hæc obiter &c. Pragæ XIX. Julij, anno 1555.

Mortuo Ferdinando I. cùm Maximilianus II. major natu filius, Patri in Imperio & Regno ſucceſſor, in tuenda promovendáque Religione Catholica remiſſiùs, quàm officium Imperatoris, & ſupremi Eccleſiæ Catholicæ Advocati poſtulâſſet, ageret; quin potiùs Lutheranæ ſectæ hominibus usque adeò affici diceretur, ut quandoque etiam illorum cætus frequenta-

re,& pſeudoprecones pro concione audire non dubitaret(quod tamen paulo poſt, meliora amplexus conſilia, ſyncerâ mente repudiavit) Acatholici in Auſtria, qui Lutheranorum Principum in Germania exemplo, Proteſtantes dici amabant, exinde nacti rebus novandis, ſuæq; ſectæ ſtabiliendæ occaſionem,ſcriptum quoddam typis vulgârunt, quod Amuſſim novorum rituum indigitârunt. Ea cùm in Bohemiam eſſet allata, placerétque nonnullis, ut idiomate quoque Bohemo proſtaret in publico, jámque facultas imprimendi eam à regia poteſtate conceſſa eſſet; Antonius qui poſt reſtauratam Sedem Prag. ArchiEpiſcopatûs erat primus, veritus, ne Imperatoris comprobatio malæ merci pretium faceret & authoritatem,apud Joannem de Lobkowicz Supremum Regni Burggravium,Catholicæ religionis obſervantiſſimum interceſſit ,eámque priùs Capituli Metropol. cenſurâ excuti voluit. Cùm ſcateret erroribus, videretúrque certô novos in promiſcua multitudine præſertim illos inter, qui vel nondum à Romanis ſacris defecerant, vel hærebant in nova religione ambigui, motus lapſúsque factura, rejecta tandem eſt, & adnitentibus ut plurimùm prætacto Burggravio, Joanne item ſeniore de Lobkowicz ſupremo Regni Præfecto, Eccleſiæ noſtræ amantiſſimo, Ladislao & Bohuslao Fælice Baronibus quoque de Lobkowicz, Wilhelmo de Roſmberg, Wratislao de Pernſtein,Adamo de Nova Domo, & Georgio de Martinicz Regni proceribus, Fidei Catholicæ in Bohemia tunc verè Atlantibus, damnata, atque ad ſuos architectos remiſſa.

[Margin: negatur Bohemis, adnitente ut plurimum ArchiEpiſcopo, & Capitulo Prag. & proceribus Catholicis fideliter coopérantibus.]

Nihilo tamen quietiores fuêre in Bohemia ſeditioſi, potiſſimùm illi, qui jam dudum ſpretis veteribus divinarum Legum interpretibus, ad novas & depravatas, ob idque à Summo Pontifice,& Carolo, Ferdinandóque Impp. damnatas Lutheri opiniones tranſierant. Hi itaque publicis inComitijs an.1575. priusquàm ad deliberanda negotia Reipub. alia deſcenderetur, liberum religionis in Comitijs Imperij Auguſtanis anno 1555. permiſſæ exercitium,àMax.Imp.quem hoc ipſumNobilitatiAuſtriacæ ante ſeptennium haud gravatè conceſſiſſe non ignorabant, ſupplici ſcripto petierunt. Capitularium Metropol. ac im-

[Margin: Bohemorum aliqui liberũ AuguſtanæCõfeſſionis ſeu doctrinæ exercitium à Maxim.II. Imp. petunt.]

imprimis ArchiEpiſcopi Antonij, pro ſua, in tuenda Orthodoxa fide, arcendisque novis erroribus, integritate ac conſtantia, præclara enituit virtus: qui ſingulari ſtudio, magnóque animorum ardore & zelo, in id incubuêre toti, jam ſcriptis in publicum emiſſis, jam ſuaſionibus, Catholicos Regni Proceres privatim adeundo, ne hi pernicioſiſſimi acatholicorum conatus ſuum ſortirentur effectum. Unum ea de cauſa ſcriptum, quod præ alijs breviſſimum habetur, cùm ad decus & commendationem Capituli faciat, ſilentio præterire hic non poſſum, nec debeo. (*n*)

non eſſe permittendum in Bohemia religionis in Auguſtanis Imperij Comitijs conceſſæ arbitrium.

Auguſtana Confeſſio diſcutitur,

Nihil temerè in religione mutandum eſſe, vel hinc pietatis, veritatis & ſalutis Studioſus colliget, quòd ſemper animadverſum eſt, omnes in Religione mutationes Rebus publicis, cùm pernicioſas, tum noxias eſſe & fuiſſe. Quod ſi verò quidquam ſit mutandum, tùm id ipſum propter evidens bonum, uti propter gloriam DEI &c. fieri debet, quod manifeſtè bonum verum ſimplex ſit & ſalutare. Atqui quid in Auguſtana illa Confeſſione, quæ à plerisq; deſideratur, boni & ſolidi eſt, quod non habet noſtra Eccleſia DEI Catholica? imò quod ab ipſa pars adverſa non accepit & didicit? in qua nimirum & baptizati & inſtituti ſunt, principes & architecti novæ iſtius doctrinæ? quod etiam inviti coguntur fateri. Porrò, ſi ſpectes ipſam Confeſſionem, qualis in ſe ipſa eſt, quoties cuſa eſt & recuſa, nova ſemper & alia, ac in plerisq; præcipuis articulis mutata id quod cuivis patere poteſt; vel maximè in decimo Articulo, qui tandem ita factus eſt, ut Calvinianam impiam de Sacramento Altaris doctrinam non excludat, quam antea, ut maximè, & verbis manifeſtis impugnabat, & damnabat; cùm interim Veritatis ſit una & eadem Oratio, falſitatis verò multiplex &c. Quare homini pietatis & concordiæ & veritatis Studioſo, imprimis diligenter conſiderandum eſt, quàm illi amplectentes iſtam Confeſſionem inter ſe conſentiant aut diſſentiant? Quomodo convenerunt pridem Vormatiæ in poſtremo illo Religionis colloquio: cùm per quadraginta dies inter ſe diſſentientes, graviſſimè hoſtilitérq; adeò diſce-

ejus falſitas,

(n) *Acta Henrici Prapoſ. & Capitular. Eccleſ. Prag. ab anno 1565. Lib. III.*

ſceptârunt, ut Catholicos quieſcere & illos expectare oportuerit. Et verò quomodo nuper àdeò in privato ſuo colloquio Aldemburgi, de quatuor quibusdam primarijs Articulis inſtituto, inter ſe convenerunt, ipſimet utrinq; editis ſcriptis, publicè apud univerſum Orbem teſtati ſunt. An verò conveniant cum Calvini ſectatoribus, qui eâdem Confeſſione ſe palliant? an cum fratribus Valdenſibus, qui quoq; videri volunt ab iſtius Confeſſionis titulo non abhorrere? eorum edita Confeſſio, quàm pulchrè conveniant, teſtatur. Quid? quod eadem iſta Confeſſio, tam diſſentaneas & inter ſe diſcrepantes Eccleſiarum per Germaniam, cùm Conſtitutiones, tum adminiſtrationes habet; cùm nulla tam exigua civitas, nullus tam exiguus Comitatus, nulla Provincia etiam accedatur, ubi non ſumma diſcrepantia, non tam in Cæremonijs, quàm ipſa doctrina deprehendatur. Haccine formula erit Veritatis? potiùs Contentionis pomum verè quis dixerit fore in hoc Regno. Cùm tamen jam pridem ante multa etiam ſæcula hoc Regnum Immortalis DEI ſingulari gratia, etiam Evangelium JESU Chriſti receperit, tenuerit, & in hodiernum diem usq; agnoſcat, quod legibus etiam ſcriptis, & Regni ipſius Tabulis ad perpetuitatem quandam (quemadmodum ſtetit hactenus) prudentiſſimè à Divis Majoribus noſtris ſit conſtitutum. Adde, quod iſta Confeſsio multas veteres hæreſes, non ſecus atq; ab Orco revocet, multáq; incommoda ſecum trahat: id quod neceſſe non eſt hìc multis commemorare.

Diſcordans doctrina,

& abſurditas oſtenditur.

Admiſsâ igitur illâ Confeſſione, multa perturbatio rerum & Religionis neceſſe eſt, ut ſequatur: nempe diviſio & diſſenſio Cleri, Concionatorum jurgia, & debachationes mutuæ, dogmatum ac rituum diverſitas & contrarietas, neglectus cultus Divini, ſugillationes, calumniæ, contumeliæ, animorum alienationes, ſimultates & odia. Hinc ſeditiones & bella, templorum, bonorum Eccleſiaſticorum direptiones, ſacrorum violationes, cædes & alia multa ſubire facilè poterunt. Hujus rei exempla & domeſtica & externa extant, & notiora ſunt, quàm ut hìc explicentur. Quo loco, & illud ſanè timendum venit, ne brevi tota illa Confeſſio novam faciem induat, dum totus Luteranismus vertatur in Calvinismum; nam ex profeſſione iſtius Confeſſionis prodierunt & prodeunt in dies Calvini-

Quæ mala cõſequuntur, ubi illa admittitur? nempe ſeditiones bella, diffidia, &c.

viniani, & plerique qui volunt Confeſſionem iſtam nobis obtrudere, potius Calviniani, & reformatæ quam vocant doctrinæ ſunt homines, quàm Lutherani, aut veri & antiqui Bohemi ſub Utraq;. Hinc fit, ut Sac. Cæſ. Majeſtatem quaſi cogere velint, convenientes contra probibitionem inconſultâ ſuâ Majeſtate; ac ut ferebatur, ſtatuentes nihil in Comitÿs velle concludere, niſi ipſis in Confeſſionem illam conſentiat. Quorſum autem hæc ſpectent, facilè eſt cuivis colligere. Cùm interim Cæſarea Majeſtas, pro ſua pietate & obligatione, juxta leges, ſtatuta & ordinationes Regni, Privilegia, Decreta & conſenſiones majorum in Religione ſub Una & ſub Utráq; eos relinquat, tueatur & conſervet, & nulla eis injuria à Catholicis ſub Una fiat: ſed mera libido rerum novandarum nonnullos vexat, vana gloria ſtimulat, & ſerva quadam libertas carnis titillat; ut nimirum unusquisq; credat, doceat & agat, quod velit, ut Tunica inconſutilis Chriſti, una Eccleſia Sancta Catholica, una Fides ſcindatur: & novum quoddam Babel ac confuſum chaos, in Bohemiam dulcem patriam noſtram, ſublatâ religione veteri ſub Una & ſub Utraq;, quam Cæſ. Majeſtas ſe tuituram, & conſervaturam Statibus Regni arctâ Religione obſtrinxit, invehatur, & Regnum hoc pacatum novis diſſidÿs & ſeditionibus affligatur.

Porrò, ſi iſti voti compotes fierent, multa eſſent iu Tabulis Regni mutanda, pleraq; ordinationes & ſtatuta Regni tollenda, antiquæ conſtitutiones Majorum Regum inſtituta, decreta & mandata forent irrita, & privilegia data ſubditis Regni caſſanda. Legitima per ſucceſſionem Cleri ordinatio vana: pietatis, diſciplinæ, morum major diſſolutio: præterea memoria Divorum & Catholicorum Principum, Regum & Imperatorum Bohemiæ, qui Catholicam Religionem tutati ſunt, fieret ridicula & odioſa, quaſi in hujusmodi Confeßionis homines injuſtè & tyrannicè animadvertiſſent ipſos nuper in exilium eÿcientes. Ad hæc, quam obedientiam ab hujusmodi hominibus expectare debeat, ipſa Sac. Cæſ. Majeſtas & Sereniſſimi liberi Veſtræ Majeſtatis futuri aliquando ſucceſſores, in Catholica Religione caucati & inſtituti, iſtis nunquam quieturis, etiamſi eorum libidini aliquid permittatur, ſed alia ſemper molituris, Dominos ſuos vexaturis & fatigaturis, in confeſſo eſt. Ad extremum,

Recenſentur adhuc plura, propter quæ dicta Confeſſio ſit minimè admittenda.

mum, Laicos in Religione velle aliquid ſtatuere, Eccleſiam DEI regere, eſt ovem paſtori, & ſubditos Magiſtratui aliquid velle præſcribere, & planè, ut fertur, ſutorem ultra crepitam ſapere: ita hic ſimiliter eſt, ordinem ſanctum Eccleſiæ Catholicæ non ſolùm perturbare & pervertere, ſed prorſus tollere cupere. Eo autem ſublato, omnis diſciplina Eccleſiaſtica, neceſſe eſt, diſſolvatur & ruat; memoriæ Sanctorum, & Capitis noſtri JESU Chriſti, ejúsq; beneficiorum ex Adventu ipſius, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, Spiritûs Sancti miſſione profectorum paulatim oblitterentur: pœnitentia & exercitia bonáq; opera charitatis & pietatis extinguantur; juventus & imperita multitudo in paganiſmum, & ſibi docti ſcioli in Arianismum, uti ſit inter Trinitarios & Sabbatharios, delabantur. Cujus rei exemplum non ita pridem ex fide dignis audivimus, mulierculam quandam Nobilem, Podborzkianam nomine, initio deſciviſſe à Catholica Religione, tandem in alias atq; alias opiniones delapſam; poſtremò ab Anabaptiſtica inſania in Judaismum præcipitatam fuiſſe. Poſtremò omnium, ſi admittatur iſta Confeſſio & religionis deformatio, admirabuntur omnes boni, potiſſimùm verò principes Viri, Monarchæ Catholici, imò tota Eccleſia Catholica: Catholicum Imperatorem, hæc ubi nulla neceſſitas urgeat permittere, ſuisq; fræna laxare, & nimiùm indulgentem eſſe, cùm per indulgentiam, ut ille comicus ait, omnes ſiamus deteriores.

Quare ſi Cæſ. Majeſt. Dominus Dominus noſter clementiſſimus, Regnum hoc ſuum Bohemiæ benè conſtitutum & integrum, ſalvum & in officio ſibi & hæredibus ſuis cupit retinere, ſalvam retineat antiquam religionem, & nihil hujusmodi patiatur innovari in Regno ſuo; quin potiùs, juxta decretum Divi Wladislai Regis Aviſui materni, in conventione quam vocant S. Wenceslai, & conſenſu Statuum Regni acquieſcens, tantùm Catholicos ſub Una & ſub Utraq; tueri & defendere, & alias nullas peregrinas doctrinas admittere pergat, quando quidem ex ſalute Religionis, Salus Regni & Reipublicæ pendeat.

Maximiliano defuncto Anno 1576. Rudolphus major natu filius ſuccedit

Quo minùs autem poſtulatis acatholicorum fieret ſatis, mors Maximil. Imp. anno ſequenti die 12. Octobris in Comitijs Ratisbonenſibus defuncti interceſſit. Rudolphus verò, qui Patri

Patri ſucceſſerat, quà fuit ſemper in retinenda ac defendenda Religione Catholica obſervantiâ, vetuit quicquam ejusmodi ampliùs poſtulari: quinimò Ferdinandi avi potiùs, quàm patris exemplum imitatus, Edicto ſeveriori an. 1584. atque iterum an. 1602. adverſùs Pikhardos emiſſo, ijs uſum templorum, exercitiúmque religionis penitùs inhibuit. Magiſtratus etiam omnes, & quosvis publico aliquo munere inſignes (à quibus ſi mali ſunt, publica ſalus plurimùm ſolet capere damni, aut emolumenti, ſi probi ſunt) non niſi Catholicos, vel ſub Utraq; Pikhardos vel alicujus alterius ſectæ homines prorſus nullos, inſtitui voluit.(o) Non deſtiterunt tamen ſeditioſi, quos hæretica lues tenaciùs infecerat, optimo Cæſari eſſe moleſti: ſed ex diſſidio ipſum inter & Matthiam Archiducem fratrem an. 1608. ſubitò exorto, nacti iterum promovendis ſuis rebus tempus opportunum, & aliquid auſi grandius, ſtatuerunt tandem omnem movere lapidem, ad conciliandam novitiæ ſuæ religioni, pro ſe ſuisque ſubditis libertatem. Cùmque nihil interceſſiones, nihil inſidioſæ machinationes profeciſſent, urgere Cæſarem nihil minus quàm vim cogitantem decreverunt, ab eóque extorquere vel invito, quod à benevolo obtinere non poſſent. Ab his conſilijs ad facta eſt deventum: quod hic ordine referre, longioris eſſet operæ, quàm ut propoſita nobis brevitas patiatur: alibi (p) fuſiùs, & ex conſtituto de his tractavimus. Hoc duntaxat unum omitti hic non debet. Cùm ſeditioſi magis ac magis tumultuarentur, & jam ſupplicibus ſcriptis, jam minis, pro impetranda religionis Autonomia, ad inſaniam usque laborarent, ita ut ad extremum Acheronta moturi viderentur; Catholici proceres, quos inter præcipui erant, Adamus à Sternberg, Regni Burggravius, Ferdinandus Burggravius de Donina Regni Præfectus, Adamus de Waldſtein Regni Judex, Zdenko de Lobkowicz Regni Cancellarius, Wilhelmus Slavata Burggravius Caroloſtein, Jaroslaus Borzita de Martinicz Aulæ Cæſareæ Marſchalcus, & Wilhelmus de Landſtein Capitaneus Novæ

dogma Pikhardorum publico Edicto dãmnat.

Hæretici in Bohemia liberum exercitiũ Religionis ſibi concedi flagitant.

Proceres Regni Catholici, cum ArchiEpiſcopo & Prælatis Metrop. ea de reconſultant,

(o) *MS. Guilhelm. Slavata lib. 8. part. 11. ad an. 1603.* (p) *Marti Morav. lib. 5. c. 6.*

væ Civitatis Prag. Familiæ ſuæ nobiliſſimæ ultimus, habito apud ArchiEpiſcopum Pragenſem Carolum de Lamberg anno 1609. initio Quadrageſimæ, ſemel atque iterum, ſecretiore colloquio; ad quod etiam Georgius Pontanus Præpoſitus, Simon Broſius Decanus, & Caſparus Arſenius Scholaſticus vocati erant, poſt multa diu deliberata, unanimi conſenſu ſtatuerunt, nihil penitus hæreticis concedendum: ideóque authores fuêre Cæſari, ut acatholicis Ordinibus, poſtulatis ſuis ſatisfieri, libertatémque religionis ſibi abſque limitatione ulla tribui ſummâ contentione urgentibus, reſponſum in hanc ferè ſententiam daret: *cùm legibus Regni, & aliquot Comitiorum decretis cautum ſit, ne ullius religionis, præter Catholicæ, & alterius ſub Utraq; nuncupatæ, profeſſio & exercitium in Regno concederetur; idq; ſicut Ferdinandus & Maximil. Impp. olim, ita & ipſe quoq; verbo regio liberum eſſe juſſiſſet; non poſſe ſe in præſentiarum aliter de ijs ſtatuere, quàm jam antea decîſum, ratum fixúmq; eſſet. Proinde, quod Pikhardos, qui de Unione Fratrum appellari volunt, attinet, cùm ſecta hac tot Regum & Impp. edictis, atq; etiam Comitiorum ſtatutis, in Regno prohibita damnatáq; ſit, illis ſtandum eſſe, neq; aliam, niſi ſub Una Romanæ nempe Sedis ritibus conformi, & ſub Utraq; religionem in Regno tolerari poſſe.*

quorum conſilia ſequutus Cæſar

poſtulata hæreticorum rejicit.

Nihilominùs gliſcente magis ſeditione, cùm perduelles extrema jam tentarent, & quod in ſubditis pro atrociſſimo ſcelere habendum, vim & arma non tantùm circumſpicerent, verùm etiam corrogatâ pecuniâ, militem conſcriberent; ita ut paucorum dierum ſpatio, tria millia peditum, ſub Comite Turriano Matthia Henrico perduellionis primario capite, & quingenti ſupra mille equites, quibus præeſſe juſſi Leonardus Columna Felſius, & Joan. ſenior de Bubna, ſub ſignis numerarentur; omnia denique ad vim ſummo ſtudio pararent: Cæſar tot tantiſq; malis circumdatus, ac penè oppreſſus, & aliter in tam præcipiti ſeditioſorum motu Majeſtatem ſuam tueri, neq; vim vi retundere valens, neceſſitati tandem parére, & voluntati eorum annuere conſtituit, fortunæ ſuæ ſubinde cum indignatione imprecatus, quòd eum jam planè deſpectum & vilem, arbitrio

Urgent nihilominùs hæretici; vim intentant

militem conſcribunt;

atque ita, ab invito licèt Cæſare,

bitrio ſubderet perfidorum, eriperétque ſibi illud unum Regibus conceſſum: *quod eorum poteſtas non cogitur.* Dumq; priùs adhuc cum optimatibus Regni, in ſecretiore conſilio, ea de re conferret, & ab illis, num tamen id faciendum de neceſſitate Reipub. cenſerent, ſingillatim exquireret, ac pleriq; tempori cedendum, & tam importunis flagitantium votis, quocunque tandem modo ſatisfaciendum exiſtimarent; metuendúmque eſſe dicerent, ne ſi ſecus fiat, ſeditioſi à fide & obſequio penitus deficiant, Matthiam Regem, quem ſub id tempus Auſtriacis libertatis Religionem abſque ulla tergiverſatione conceſsiſſe non ignorarent, evocent, eiq; Regni gubernacula tradant. Solus Regni Cancellarius, qui præſens quoque aderat, reſtitit, ac inter alia, quæ contrà graviſſimis firmata rationibus in medium protulit, hoc ultimò concluſit dicto: *Si Matthias Rex permittendo Auſtriacis liberum acatholicæ religionis exercitium, haud dubiam ſibi ad interitum parativam, exinde non ſequi, Cæſaream Majeſtatem ſecuturam illum.* * Omnibus tamen quæ expoſcebat præſens rerum ſtatus penitiùs conſideratis, Cæſar conſilium plurium ſequutus, & aliquid tempori, quod ipſius iniquitas expreſſiſſet, tribuendum exiſtimans, in ſeditioſorum poſtulata, paucis conditionibus rejectis vel limitatis, conſenſit; adeóque quæſitum Religionis liberè tractandæ exercitium permiſit, idq; diplomate ſolenni, quod *Litteras Majeſtatis* nuncupabant, & cujus ipſimet hæretici fabricatores erant, VII. Idus. Quintil. an. 1609 dato confirmavit. Quod tamen Cancellarius Regni (prout aliàs omnes Privilegiorum quorumcunque, & aliarum etiam litterarum à Regibus Bohemiæ editarum libelli, Supremi Regni Cancellarij chirographo proprio ſignari ſolent,) ſubſcribere recuſavit, id palam teſtatus, ſe tantum flagitij, quod in Catholicæ Religionis, & aliquando ipſius etiam Regni perniciem eſſet redundaturum, probare non poſſe, ſalvâ fide, & abſque ingenti læſione conſcientiæ; neque Secretarius Conſiſtorij Regij Joan. Mencelius, vir quoque fidei integræ, & in omni conſilio, rebúsque expediendis, exactè circumſpectus & cautus: Sed illius locò Supremus Regni Burggravius, hujus locò Paulus Michna

* *MS. Slavata l. 1. ad an. 1609.*

quod volunt, per ſeditionē impetrant.

Supremi Cancellarij prore ligione Catholica invictus animus.

echna, qui non ita pridem ab exteris Provincijs in Patriam redux, & tam rerum experientiâ, quàm cognitione literarum inſignis, pro Secretario Bohemico in Cancellariam ſuſceptus erat, *ad mandatum Sac. Cæſ. Maj. proprium*, ſubſcripſerunt. *

* *MS. Slavat. ibid.*

Capitularium cum Proceribꝰ Catholicis, crebræ circa obviandos hæreticorum conatus conſultationes.

Pontanus Præpoſitus, in ſuo ejuſdem anni diario, aliquot locis refert; ſe per illos dies, quibus hæc turbulentiſsima ſeditioſorum fervebat tempeſtas, vocatum fuiſſe multoties à prænominato Supremo Regni Cancellario, in ædes ipſius proprias orientali portæ arcis vicinas; & ſubinde etiam à Wilhelmo Slavata, & Jaroslao de Martinicz ad familiare colloquium; & de rebus graviſsimis, maxime verò circa Religionem verſantibus, ſecretos cum ijs ſermonis contuliſſe; animadvertiſſéque viros illos in Catholicæ Fidei confeſsione probè ſolidatos, ut qui nullo capitis periculo, nullis fortunarum diſpendijs adduci potuerint, ut vel minimum quid adversùs Catholicæ Religionis capita ſtatuerent, vel Cæſari imperio non ampliùs ſuo ſtatuenti allentirentur. Quod hîc idcirco paucis attingo, ne quis exiſtimet, me recenſendo Fidei Orthodoxæ Zelum, & è contra hæreticæ pravitatis impediendæ ardens ſtudium Cancellarij, à propoſito nonnihil deviâſſe: conſiliorum ſiquidem ejus, ſicut & aliorum, qui pernicioſis hiſce ſeditioſorum circa Religionem conatibus ſummis ſtudijs reſiſtebant, non Præpoſitus modò, ſed alij quoque Capitulares, quòd diverſis litteris ad ipſos datis, quæ hodiéque in Archivo Capituli reperiuntur, oſtendi poteſt, pars magna fuerunt; & cùm per ſe nihil poſſent, utpote jam dudum, ex Ordine Statuum ab hæreticis expuncti, à conſilijs ſubſellijsq; politicis penitus excluſi, neque ampliùs unquam obeundis vel tractandis publicis Regni negotijs adhibiti; id ſaltèm ſingulari diligentiâ egerunt, ut proceres Regni, quos Catholicæ pietatis obſervantiſſimos, ejúſque in Bohemia retinendæ cupidiſſimos, & apud Cæſarem conſilio authoritatéque validos ac potentes eſſe noverant, privatim ſingulos adeundo, & tam verbis quàm ſcriptis hortando, in ijs, quæ pro Catholicæ Fidei conſervatione per ſe promptiſſimi ſuſcepiſſent, confirmarent; atque ita obſequium & fidem, quam

Eccle-

Eccleſiæ ſuæq; profeſſioni deberent, agendo & providendo cuncta fideliter, poſteritati abundè teſtatam relinquerent.

Conceſſa, vel potiùs nimiâ Acatholicorum Statuum importunitate ac pertinaciâ, à Cæſare expreſſa Religionis exercendæ ad cujúsque arbitrium libertas, inteſtinis ſeditionibus finem impoſuiſſe putabatur: ſed invaleſcente exinde hæreſi, longè majorum motuum, ac funeſtiſſimi poſtmodùm belli, quod triginta per annos, variâ fortunâ, per Bohemiam vicinásque Imperij Germanici provincias, non ſine ingenti populorum calamitate, ac funeſtiſſima Urbium vaſtitate geſtum eſt, proritamentum atque illecebram fuiſſe eventus docuit. Quippe cùm ſemel, à DEO, cultúque veteri audacter diſceſſeris, proximus idémque facillimus audaciæ gradus eſt, *legitimos Principes deſeruiſſe.* (q)

Conceſſa Religionis libertas ſequentium malorum origo fuit,

Atrociſſimi hujus mali initia & progreſſus, alibi fuſiùs pro inſtituto noſtro memoravimus: hic pauca quædam, & verbis quídem alienis potiùs, quàm meis, dabo ſub aſpectum. *Mali*, inquit Scriptor coævus, (r) *immanitate ac diuturnitate pernicioſiſſimi principium fuit, duorum ex Regni Optimatibus, & Actuarij unius, ex ſublimi Conſiſtorij Regij feneſtra deorſum præcipitatio, anno 1618. die 23. Maij. Eam ſequuta ſtatim ſunt, à Rege majeſtatis vindicandæ, à Bohemis religionis tuendæ causâ facti apparatus bellici ingentes, bellúmq; exitiale, quod tam latè poſtmodùm ſerpſiſſe vidimus, ut non tantùm Bohemiam, verùm & Germaniam totam corripuerit.* Sed fuſiùs explicatiùsque alter, Scriptor quoque coævus & authoritatis magnæ; utpote apud Ferd. II. Imp. ſub id ferme tempus Nuncius Apoſtolicus exiſtens, ideóque teſtis locupletiſſimus, qui ſic habet (s).

ac imprimis rebellionis anno 1618. captæ.

„ Interim in Bohemia, ubi jam dudum certabatur odijs, &
„ ſtudijs promovendarum ſectarum, etiam per conceſſionem
„ Regis aliam factam, quâ ſolùm conceſſum fuerat ſectarijs exer-

Ex malignâ litterarũ, quas Majeſtatis vocabant, ſuper libertate Religionis datarũ interpretatione,

(q) *Barclayus Argenid. lib. 2. Lipſius in Politic. lib. 1.* (r) *Stransky in Rep. Boh. cap. 8. Brachel. in Hiſt. ſui tempor. lib. 1.* (s) *Carol. Caraſa Epiſcop. Averſan. in Commentar. de Germania ſacra reſtaurat. part. 1. pag. 72. & ſeqq.*

„ exercitium liberum in proprijs fundis Dominorum, non Ca-
„ tholicorum, aut in Regijs bonis; nonnulli inquietiores præ-
„ ſumpſerunt erigere fana, & ſectario more prædicare etiam
„ in locis Catholicorum, & quidem Eccleſiaſticorum, quæ Ca-
„ meralia vocabant vitiato nomine, *non quòd Regis eſſent bona*
„ *Eccleſiaſtica, ſed quòd ſub protectione Regis manerent, & in fa-*
„ *vorabilibus ejuſdem generis Privilegijs gauderent*; quæ tamen
„ ad odioſa extendi non poterant, niſi ab immunitatis Eccleſi-
„ aſticæ violatoribus. Quapropter Cloſtergrabij, (qui locus
„ ad ArchiEpiſcopum ſpectabat) ſibi templum exſtruentes, in-
„ vito ArchiEpiſcopo ibidem convenerunt; ſed cùm per Cæ-
„ ſaris Matthiæ ſententiam causâ cecidiſſent, ArchiEpiſcopus,
„ collectis operarijs, templum ſolo æquavit, totúmque exer-
„ citium interdixit. Simile fanum conſtruxerunt ſectarij ſub
„ ditione Abbatis Braunovienſis, eo invito inconſultóque, ac
„ nova quotidie decreta ſanciente, quibus jubebantur ab ope-
„ re abſtinere, fanum claudere, & claves Senatui Regio Pragen-
„ ſi deferre; quod cum pluries illis imperatum fuiſſet, nec ta-
„ men obediſſent, ſed contra Regem, contra Senatum Regium,
„ & manifeſta mandata progreſſi eſſent, tandem aliquot cives
„ Braunovienſes Pragam conducti in carcerem miſſi ſunt, tum
„ ratione delicti, tum contemptûs Regij Tribunalis. Ut au-
„ tem iſti liberarentur, ejuſdem ſectæ ſocij proceres & defen-
„ ſores, nullis precibus, ſumptibus, minis, & amicitijs peper-
„ cerunt, nihilque omiſerunt, ut pariter Theobaldus Hochki-
„ us ejuſdem Religionis, & multorum arcanorum conſcius
„ (quippe qui præcipuis Bohemiæ Proceribus fuerat à ſecretis)
„ dimitteretur, ne conſpirationes multorum cum Principibus
„ Correſpondentibus Germaniæ detegerentur. Hinc defen-
„ ſoribus Religionis inſtituentibus commercia ſolito frequen-
„ tiora, in quibus de reorum liberatione agebatur, eadem à
„ Cæſare jam aliquid de conſpiratione ſentiente, Viennæ ubi
„ tunc erat, ſeriò interdicta ſunt; mandatúmque eſt Rectori-
„ bus Regni, ut in tales conventicularios, tanquam in ſeditio-
„ ſos animadverterent: quare nonnulli à conventiculis abſti-
nue-

dum hæretici Clauſtrogrobij

& Braunoviæ contra omne fas nova pro ſuo uſu templa extruunt,

juſſúq; Cæſaris illud funditùs diruitur, hoc verò claudi jubetur, civibus Braunovienſibus inſuper conjectis in carcerem,

fit Seditioſorū coitio,

conſpiratio,

„ nuerunt, at alij indicto ſolemni Conventu è ſuggeſtu per
„ Concionatores, qui etiam preces populi ad ſtabiliendam rem
„ ſuæ ſectæ exigebant, quaſi pulſato claſſico, plebem ad defen-
„ dendam eorum falſam Religionem accenderunt, ut longè
„ majori numero contra præceptum Regis convenirent, & de
„ defenſione agerent, non tam ratione quæ à ſeditioſis exula-
„ bat, quàm furore. Quo inflati Bohemorum aliqui, diſſimu-
„ lantes ad biduum concepta concilia pauciſſimis communi-
„ cata, unà cum Comite Turnio, totius conjurationis facilè
„ Principe, 23. Maij, Curiam Regiam armati conſcenderunt; &
„ horâ Concilij conclave Regium, ubi Conſiliarij ad res Regni
„ tractandas conſidebant, tumultuariè ingreſſi, cum Regijs Re-
„ gni Legatis variè de religionis ſuæ privilegijs violatis diſce-
„ ptârunt, ſepoſitâ deinde omni reverentiâ, nonnulla decreta
„ exprobrârunt; ac tandem in tres Conſiliarios, Baronem
„ Slavatam, Baronem Smeczanskium, & Secretarium Philip-
„ pum violentas manus injecerunt, eóſque è feneſtris ejuſdem
„ loci ſacroſancti, in profundiſſimum vallum chlamydatos &
„ gladiatos deturbârunt: & quia ſingulari ſanè miraculo in-
„ columes evaſerant, aliquot bombardarum ictus in procum-
„ bentes exploſerunt. Cæteros duos (quinque enim illa die
„ tantùm conſederant cum Secretario) domum abducentes,
„ Magiſtratu privatos cuſtodiri præceperunt. Rationem tam
„ temerarij facinoris, ſedatâ plebe primâ die, biduo poſt præ-
„ lo ediderunt, factúmque apud Cæſarem non tam excuſârunt,
„ quàm quòd meritò illud egerint, defenderunt. Proſcripsê-
„ re Patres è Societate JESU toto Regno, ſub graviſſimis pæ-
„ nis, ob multas & ementitas cauſas, quibus poſtea ab ipſis op-
„ timè, & ſummâ modeſtiâ, & prudentiâ, ùt aſſolent, fuit re-
„ ſponſum. Ne autem caſtigarentur, ſtatim Regni admini-
„ ſtrationem invadentes, novum Magiſtratum inſtituerunt,
„ triginta Directores è toto Regno ſelegerunt, illiſque Regi-
„ um Palatium tradiderunt: conſcripsêre deinde milites, ſo-
„ cios monuerunt, atque è toto regno, vix duobus oppidis ex-
„ ceptis, Regem ejecerunt.

ac tandem rebellio.

Concurſu in Arcem facto, duos Regios Locumtenentes, & Secretarium è feneſtra regij Conſiſtorij præcipitant:

Apologiam edunt:

Jeſuitas proſcribunt:

arma comparant.

Cæ-

Cæſaris benignitas;

„ Cæſar pacata conſilia ſequens, à principio ſeditionem
„ componere cogitans, pluribus litteris egit, ut Regni proceres
„ juramenti ſui memores, ſolitum obſequium Regi ſuo inun-
„ cto, conſecrato & confirmato deferrent; ſciensq; non omnes
„ tanti ſceleris reos eſſe, ſolummodò paucos illos ſupra com-
„ memoratos, ad exemplum cæterorum punire ſtatuerat; ſed
„ inanes fuerunt apud furentes ſubditos Cæſaris monita, &
„ humanitatis officia; imò cùm rurſus illis obtuliſſet privile-
„ giorum confirmationem, eorúmque integram obſervantiam,
„ Litterarum Majeſtatis (quas violatas querebantur) innova-
„ tionem, Religionis exercitium illis litteris promiſſum, plu-
„ ráque immunitatem ac indulgentiam clementiſſimi Princi-
„ pis, ſummámque animi moderationem exprimentia, magis
„ animum induraverunt.

qui omnia alia priùs, quàm civile bellum experiri cupiebat:

verùm ſeditionis authoribus nulla ampliùs erat pacis cura.

„ Interceſsêre deinde Principes, Saxoniæ Elector, Bavariæ
„ Dux, Ferdinandus Auſtriacus Bohemiæ Rex coronatus, & alij;
„ qui reis pacem, & immunitatem pro Cæſare ſpoponderunt;
„ ſed nec iſta profuerunt. Quare tandem arma, ſed eminùs,
„ oſtenſa ſunt; nam in limine Regni Comes de Tampier con-
„ ſiſtere juſſus fuit, præmiſſúſque Cæſaris Fiduciarius & ple-
„ nipotens Commiſſarius D. Kainius, ut volentes conciliaret,
„ clementiam deferret, ac durioribus arma demonſtraret: ve-
„ rùm, quia cum ſurdis loquebatur, vix non ſannis & ſibilis
„ exceptus fuit.

Prælati & Canonici imminentium exin de calamitatũ præſcij,

Hunc in modum exardens novâ perduellione ſeditio, & indiès augeſcens, Capitularibus Metrop. haud inanes curas metúmque creabat; ſatis certo documento, quò totius præſentis motûs ac univerſi belli exitus ſpectaret; ad Religionem nempe Catholicam ſenſim eliminandam, totóque Regno penitùs exturbandam. Jam enim hæretici licentiâ effrenes, telam, quam mox obtento illo litterarum Majeſtatis diplomate, inchoârant in occulto, ad opprimendos Catholicæ Religionis cultores, tunc palam & in publico pertexere ſunt exorſi. Proinde non fuit ſatis egiſſe in exilium Patres Societatis, ſed decretum inſuper, ne ArchiEpiſcopus, & quidam è Prælatis, qui

ſub id tempus Regno exceſſerant, unquam reciperentur, propoſito perpetui carceris pœnâ, ſi quis illorum pedem referre præſumeret.

ob ſervatam Cæſari fidem, à ſeditioſis variè exagitantur.

Capitulum Metrop. primò omnium Septembri menſe, moleſtiâ ſuo vexandum ſuſceperunt, ex ea cauſa, quod Turriano Comiti rebellium anteſignano, expeditionem adverſùs Dampierum & Buquojum Cæſareos duces paranti, equos ſubditorum & currus pro devehendis tormentis commodare noluerit: irâ atque odio ſic exacerbati, ut niſi Guilhelmus ſenior de Lobkowicz, Dominus in Tyna-Horeſſij, & quidam alij, tametſi etiam è Directoribus non poſtremi, moderatioris tamen genij, mitiores valuiſſent, mox tunc bonis & poſſeſſionibus omnibus, illud & Eccleſiam exuiſſent. Non ceſſabant tamen modis alijs eſſe Capitularibus graves, quos novis poſtulatis aggreſſi, pecuniam ad decem millium ſexagenarum ſummam, pro præſenti publico Regni & Statuum neceſſitate, ſibi quamprimùm commodari ab ipſis imperioſiſſimè flagitabant; cum addito, in litteris die 18. Decembris anno 1618. ex Conſilio directionis datis: *Dominos Directores non dubitare, Dominos Prælatos* (ipſiſſima illorum refero verba ex Bohemico translata,) *ex redditibus Capituli ſingulis annis notabilem pecuniæ ſummam ad partem poſuiſſe, ideóque non parvam ſummam pecuniæ paratæ congregatam habere.* Cùm tamen annui tunc Capitularium redditus, quos potiſſimùm canon annuus à colonis glebæ adſcriptitijs pendi ſolitus, & alij quidem modici cenſus, conſtituebant, vix duorum millium & trecentarum ſexagenarum Miſnenſium ſummam excedebant: quibus non Prælati ſolùm Canonicique, ſed reliqui etiam Eccleſiæ Miniſtri, Vicarij, Altariſtæ, Chorales, Capellarij & alij, (quid hæc inter tantos?) ſuſtentari debebant.

Inſtabant nihilominùs Directores iterum atque tertiò, hoc ipſum avidiſſimè præſtolantes, ut tanto fortiùs poſtulatis ſuis [illegible], quantò pertinaciùs ſatisfieri ipſis urgerent; quò demum cauſam arriperent illos apertiore vi aggrediendi, & quod animo cupiebant, bonis omnibus penitùs expoliandi. Jam enim palàm bona Eccleſiaſtica, inter promptiſſimos rebellium pro-

ximè diſtribuenda, perduellionis pretium eſſe cæperunt: ut vel exinde animadverti potuerit, nihil magis hæreticos voluiſſe, quàm Catholicorum in Regno exterminium, & non cum Cæſare magis, quàm cum Religione Orthodoxa inchoatum geſſiſſe bellum.

Defenderunt tamen ſe ſuáque Canonici ſtrenuè, ultra quàm in ea ferocientis, & omnia ſusque déque miſcentis hæreſis tempeſtate, credi poſſet; donec tandem menſe Julio & Auguſto, anni ſequentis, qui erat 1619. cùm ſeditioſi ſpretis bonorum monitis, proni in malum ruerent, eoque jam dementiæ prolaberentur, ut non hominum, non DEI immortalis verecundiâ habitâ, legitimum etiam Principem repudiare non erubeſcerent, Bonis pene omnibus, oppidis & pagis (per intervalla tamen, ne viderentur unâ vi, atque unâ injuriâ omnibus eſſe ſpoliati) ſeſe exutos ſenſerunt & ingemuerunt. Auxit hæreticorum, præcipuè verò authorum ſeditionis, ferociam, nocendiq; libidinem, quòd cùm die 26. Aug. repudiato per ſummum nefas Ferd. II. Rege, Fridericum Comitem Palatinum Rheni, infauſpicato atque ipſo eventu damnato conſilio, renunciâſſent regem; juſſiſſentq; idcirco demonſtrandæ publicæ lætitiæ causâ, præter tormentorum currulium fragores, & alios populi applauſus, etiam ubique per Urbem, ad omnia templa, primò autem ad Metrop. compulſari campanas; Decanus & Canonici reſiſtere auſi fuerint, neque ullatenus permittere, ut in contemptum legitimæ authoritatis Majeſtatisq; Regiæ, quam perduelles injurioſiſſimè ſpreviſſent, & tam Eccleſiæ ipſi, quàm Capitulo in dedecus, æs ſacrum, deteſtando apud poſteros in omne ævum exemplô, pollueretur. Parum abfuit, quin in primo eam ob cauſam exorto magna cum ferocia tumultu, Decanus (is erat Caſparus Arſenius, vir prudentiâ & rerum uſu præſtans, qui pro religione Catholica multa ſuſtinuit) in carcerem à Directorum ſatellitibus detruderetur, niſi ille præviſô periculo, ſeſe tempeſtivè per in tutiora maturè ſubduxiſſet: domus tamen ipſius violata, multisq; probris & maledictis proſciſſo ejus nomine, quidquid obvium erat de ſupellectili, flagitioſiſſimè direptum. Ob hunc

Bonis terreſtribus contra omne fas exſpoliantur.

Canonicorum ſervatæ legitimo ſuo Regi obſervantiæ ac fidei inſigne ſpecimen:

& Decani exinde grave diſcrimen.

[illegible]ellionis principes, arreptâ majoris & altè jam antea con[illegible] in Canonicos odij causa, non deſtitêre ipſos irâ atque no[illegible]pidine perſequi, donec ipſos, quod pridem voluiſſent, [illegible] eliminarent, templo prius Metropolitano die 15 O[illegible] per ſummam injuriam erepto, atque eâdem die decreto [illegible], ut intra triduum faceſſerent ex arce. Sed Decanum ipſum [illegible]odam Commentar o manu propriâ conſcripto, ea de re [illegible]antem audiamus.

Præſagium futuræ Canonicorum ex Arce proſcriptionis.

[illegible]no Domini 1619. die 13. Octobr: quæ fuit Dominica XX. poſt [illegible] SS. Trinitatis, ſub ſummo Sacro, dum pulſaretur ad Eleva[illegible] Corporis Domini, excidit piſtillus ſive malleolus ex campa[illegible] in Choro Eccleſiæ, versùs ſiniſtrum ſummi Altaris latus parieti [illegible]ſa, quæ ordinariè in Miſſa Cantata ſub Elevatione pulſari ſo[illegible]jectus & devolutus planè extra Chorum, cùm tamen læſionis [illegible] alicujus ſignum, nullum obſervari potuerit, nec in [illegible]panula, nec in malleolo, quâ appendebatur: quod homines va[illegible]rpretati ſunt. Eventus poſtea docuit, hoc fuiſſe præſagium [illegible]onis: nam tertio die, nempe 15. Octobr. venit ad me [illegible] arcis (vulgò Pauſchreiberum vocant) cum quodam alio, di[illegible] ſe miſſum eſſe à Directoribus, qui petunt, ut eis concedatur, ſi [illegible] ibi eſt gladius S. Wenceslai; quod velint illum conſpicere, & [illegible]m abſq; damno reſtituere. Quorum petitionem ut audi[illegible], dixi: gladium hunc eſſe præ manibus; & quandoquidem DD. [illegible]ores petunt illum ſibi concedi, & promittunt quod abſq; da[illegible] velint eum reſtituere, quod rogem ut parum patientiæ habe[illegible] dum illum quæram; & poſt mediam horam, ut redeant. [illegible]erunt ipſi: Non, ſed ſtatim nobis detur, quia ſtatim illo in[illegible]. Ivi igitur ad templum, & hoc idem ſignificavi D Præ[illegible], qui non fuit contrarius, dum coram ipſo hoc idem propone[illegible]. Tradidi itaq; ijs hunc gladium, cum conditione præmemo[illegible].

Directores ſeu anteſignani Seditioſorũ.

[illegible] diſceſſum, intra mediam horam venit D.Kutna[illegible] [illegible] Directores mandant, ut vos conferatis ad templũ, [illegible] templi vos [illegible] accipiatis; ibi [illegible] ſit etiam præſens D Præ[illegible] Commiſſarij [illegible]. Fuit hac de re certi[illegible]

orem D. Præpoſitum, qui mox venit. Et cùm eſſemus in templo, acceſſerunt ad nos Domini Commiſſarij, ſignificantes ſe eſſe miſſos à DD. Directoribus cum Decreto: quod mox legebatur illud in ſe continens, ut ijsdem Commiſſarijs Inventarium rerum Eccleſiæ demus, & ipſi ut omnia conſcribant & obſignent, ijsq; tandem claves templi ad manus tradamus. Hoc quamvis nobis valdè contrarium fuit, tamen nolentes aliquos crabrones excitare, diximus; nullum extare Inventarium; res tamen illas, quæ erant in Sacello S. Wenceslai, conſcribi permiſimus. Quibus conſcriptis, iverunt ad Sacriſtiam: & tunc dixi: Dies hæc non ſufficiet, ut omnia conſcribantur, multa enim ſunt. Dixerunt illi: nolumus omnia conſcribere, ſed ſaltèm quærimus, ubi ſunt argentea Capita? Reſpondimus: Miſimus illa Ratisbonam ad Monaſterium S. Emerammi ad conſervandum. Tunc miſerunt ipſi D. Kutnaur ſignificatum hoc Directoribus. Qui cum rediſſet, tulit aliud decretum; quo nobis mandabatur, ut intra triduum omnes diſcedamus ex Arce, ad Strahow, vel ad noſtrum Capitularem Domum in Hradczano. Rogavimus, quandoquidem non eſſent præſentes alij DD. Prælati, quos hæc res concernit, ut tale Decretum nobis traderent, quod poſſemus ipſis communicare. Renuebant illi dicentes, ſe id non habere in mandatis. Inſtitimus, ut ſaltèm nobis concederetur ad perlegendum; nec hoc volebant facere; ſed unus Commiſſarius adhuc ſemel illud perlegit. Tum rogavimus, ut ſi aliter fieri non poſſet, ſaltèm terminus ad unam ſeptimanam prorogaretur: ajebant ipſi, hoc apud Directores eſſe ſolicitandum. Tandem cùm nulla penitus eſſet via vel modus reſiſtendi (niſi per reſiſtentiam voluiſſemus omnes res Eccleſiæ; & nos atq; noſtra omnia, in præſentiſſimum periculum conjicere) non ſine maximo animi & cordis dolore, reſpondimus: Siquidem iſta eſt voluntas DD. Directorum, non volumus eorum voluntati ſeſe opponere, ſed juxta mandatum volumus ex Arce migrare. Et ſic claves Eccleſiæ à nobis acceperunt, Eccleſiámq; ipſam clauſerunt & obſignàrunt, ponentes ad omnes januas templi milites, qui attenderent, ne ullus noſtrûm ampliùs intraret.

thesauro Ecclesiæ Metrop. frustra inhiāt;

Canonicos ex arce migrare jubent.

claves templi accipiunt.

Sequenti die fuimus omnes vocati ad Directionem; ubi denuò de Reliquijs, ſeu theſauro Eccleſiæ inquiſitio fuit facta, quidnam

nam & quando, per quem, & quomodo hæc aliò transmiſimus; & an aliquod Recepiſſe habeamus? & cùm in priori ſententia perſtitiſſemus, nullum Recepiſſe nos habere aſſeverantes, juſſerunt nos abire, & ſequenti die Præpoſitum tantùm & Decanum comparere, easdemq; res intra 14. dies Pragam advehi curare. Dum comparuiſſemus, rurſus priora repetita fuerunt, & injunctum, ut ſpecificè conſignemus res illas aliò transmiſſas, & in confirmationem horum, ut omnes proprijs manibus ſubſcribamus. Quod ad ſalvandum juramentum noſtrum, de ſecretis non revelandis, fecimus. Et ſic poſitæ res hæc, maximè quia Fridericus Palatinus adventabat, ſilentio ſepulta fuit. Ita Arſenius Decanus.

Die igitur 18. Octobr. quâ novo iterum decreto ſolum vertere, abſque omni ulteriori tergiverſatione fuerant juſſi, ad vicinum Hradczanum, in domum Capitularem, quam olim Præpoſiti inhabitabant, migrârunt triſtes: neque ampliùs ad arcem, minùs ad Eccleſiam admiſſi ſunt; quin imò vix impetrârunt, ut è Vicarijs unus Sacellum D. Wenceslai intrare, Venerabile Sacramentum inde efferre, in vicinum Sacellum S. Adalberti deportare, ibique ſub Miſſæ ſacrificio abſumere potuerit. Litteras Capitularium ſuum & Eccleſiæ Metrop. ſtatum deplorantium, ad Joannem ejus nominis III. ArchiEpiſcopum Pragenſem, Viennæ tunc commorantem, datas, hìc apponendas meritò cenſuimus, quæ ſic habent: Canonicorum Exilium

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, Domine Domine colendiſſime. Dolenter Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ ſignificamus, noſtræ Metropol. Eccleſiæ ſtatum hiſce triſtiſſimis temporibus eſſe valde afflictum & deplorandum. Nam quod verebamur, die 15. Octobr. meridie, nosq; omnes, depoſitis priùs ad manus Commiſſariorum clavibus Eccleſiæ, ex dicta Eccleſia ejecti ſumus: ita ut tandem etiam ex Arce intra ſeſquitertium diem, nulla ulterioris termini prolongatione conceſſâ, nobis omnino migrandum erat. Ipſa Eccleſia uſq; ad coronationem novi Regis manſit clauſa & obſignata, nunc autem peracta coronatione, Divina Officia in illa à nobis nulla amplius peraguntur, propter quod lamentationes Cathol. corum ubiq; audiuntur. ſed alia mirabilis Religionis facies, & novi ritus nun- Capitulares datis ad Joan. Archiep. Prag. litteris ſtatum ſuû deplorant.

 quam

quam antea audiri ſunt in illam introducti; ter enim quavis ſeptimana Calviniſtica Concio, prævio trino majoris campanæ pulſu, ibidem habetur: nobis verò in noſtram Eccleſiam intrandi via omnis præcluſa, & ut priſtino ſtatui reſtituamur, vix ulla ſpes eſt relicta, omninoq; metuendum eſt (niſi iſti nefarij illorum conatus comprimantur) ne cultus divinus extremam abolitionem patiatur, planèq; actum ſit de tota Religione Catholica in Regno Bohemiæ. Nos omnes, excepto Domino Kotwâ, qui apud S. Jacobum concionatur, manemus in Hradczano (domus enim noſtræ in arce, partim à prædicantibus, partim ab alijs hominibus ſunt occupatæ) Divino Officio hinc inde, tanquam diſperſi, & præcipuè apud S. Benedictum [illegible] vis & illam Eccleſiam nobis eripere moliuntur) ſatis ſimpliciter peragentes. Omnia autem noſtra poſita ſunt inter ſpem & metum, nec eſt qui afflictis & oppreſſis aliquod præſtet auxilium. Pagi noſtri omnes ſunt diſtracti, vel oppignorati vel venditi, ſuſtentatio nulla nobis relicta: & quid deinceps futurum, aut quid nobis agendum ſit, penitus ignoramus. Rogamus itaq; Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram, ut Eccleſiam ſuam, & nos ejus membra, hac in re aliquo ſalubri conſilio, per certum & fidelem nuncium, juvare & conſolari dignetur, atq; opportunitate nacta S. Cæſareæ Maj. eadem referre haud gravetur. Illuſt. Celſ. V. benè valere cupimus. Datum Pragæ in Hradczano 20. Novembr. Anno 1619. Præpoſitus, Decanus & Capitulum Eccleſ. Prag.

Miſerabilis Templi Metrop. facies.

Friderico demum Palatino in Regem à perduellibus ſuſcepto, & die 4. Novembr. coronato, Templum Metrop. Calviniſtarum, quorum idem Palatinus dogma ſequebatur, uſibus & conventiculis ceſſit; unde factum, ut non multo poſt tot nefandis ſacrilegijs contaminaretur, dirutis in eo aris omnibus, confractis imaginibus, conculcatis & combuſtis SS. Reliquijs, aliiſq; impijs facinoribus in eo patratis tam enormibus, ut illa hic [illegible] dira ſane atque inaudita, horreat animus, [illegible] aures [illegible] avertuntur. Malim quædam ex [illegible] verbis [illegible] & quidem coævi Scriptoris, quam meis, attingere (r) [illegible]

In-

(r) [illegible] *Monaſt. Sedlecenſ. ad an.* [illegible]

Eodem anno, nempe 1619. die 21. Decembr. poſt meridiem mandato Friderici, fex Calviniſtica Eccleſiam arcis Prag. Divi Viti ſceleratâ manu adorta, bellum imaginibus, aris, & inviolabilis Sanctorum intulit. Ac primò omnium, Chriſti è cruce pendentis effigiem, ex adverſo majoris aræ in transverſali trabe ſtantem, cum alijs Deiparæ & S. Joannis Evang. imaginibus, deorſum præcipitavit. Cujus lapſu tantus fragor & ſonitus ſuſcitatus fuiſſe fertur, ac ſi tota fabrica Templi in cumulum rueret. Nihil tamen per hoc moti, in cæpta ſua rabie proceſſerunt conſequenter; & ut ſcelus ſceleri adderent, unus è perditiſſimis nebulonibus, auſus eſt calcando Crucifixum, hæc inſuper verba, Judæos blaſphemantes imitando, adjicere: *Hic jaces miſelle, nunc juva te ipſum.* Cum Deiparæ & Joannis Evangeliſtæ imaginibus in unum congeſta illa alia item ſtatua Beatiſſimæ Virginis ſingularis pulchritudinis, quam D. Lucia Slavatiana de Nova Domo, ſpeciali devotionis affectu colere, & pretioſo etiam ornatu excolere ſolebat, quæ ceperint, horret referre animus. Crates deinde ferreas ad ſepulchrum S. Joannis Nepomuceni aggreſſi, fores disjecerunt. Tumbas DD. Regni Tutelarium omnibus monumentis deſpoliârunt, multa inter hæc probra & convitia in DEUM, & Sanctos ejus, impijſsimo ore cojicientes. Nec Altare ſummum, cum ſellis ArchiEpiſcopali & Canonicorum, intactum reliquerunt; ſed foras cum imaginibus & ſtatuis confractis, & in fruſta comminutis, evehi aut exportari voluerunt, & combuſſerunt. Crucifixus ille miræ pulchritudinis, quem Cæſar Rudolphus Normbergæ fieri, & ſuper Mauſolæum Regium fecerat collocari, ne alijs cum rebus comminueretur, Guilhelmus ſenior de Lobkowicz interceſſit, & domum ſuam illum deportari juſsit. Atque ita ſacrilega hæc colluvies, rerúmque Divinarum contemptrix impietas, in Templo ad uſque occaſum Solis crudeliſsimè debacchata fuit.

Calviniſtæ Tēplum Metrop. profanant, & in SS. imagines,

in Aras.

Sequenti verò die, in Capella Familiæ Pernſteinianæ, duo altaria diruerunt, & ex his multorum Sanctorum ſepulcra &oſ-

„ & oſſa ejecerunt, aliqua confregerunt, & conculcârunt. Hæc
„ holoſerico, & alijs pretioſis auro etiam textis thecis involu-
„ ta, pleraque erant SS. Virginum Martyrum de Societate S.
„ Urſulæ, Sancti item Mauritij M. & Sociorum ejus: quæ poſt-
„ modùm duæ ancillæ, jubente Sculteto præcone Calviniſtico,
„ ſuſtulerunt & combuſſerunt. Et licèt quidam Catholicorum
„ egerint ſollicitè, ut poſſent aliqua recipere & ſervare, inva-
„ num tamen laborârunt. Has porrò Reliquias Sacras, dum
„ ex hoc, & alijs Templi Metrop. Sacellis ejicerent, hæc in va-
„ per improperia adjiciebant: *Wah! quales ſunt iſti Sancti,*
„ *quorum oſſa hic eijcimus! quàm imbelles, quod ſeſe non defen-*
„ *dant, neq; miracula patrent! nullam pacem à Papiſtis habebant*
„ *antea, ſemper illos hujusmodi preciunculis: Orate pro nobis, Ora-*
„ *te pro nobis, moleſtabant, jam pacem habebunt.*

in SS. Reliquias virus ſuum exerunt.

„ Purgato (ſcilicet) hunc in modum templo, poſtea in
„ Vig. Nativitatis Chriſti Domini, menſam in medio choro, &
„ circa illam duodecim ſedes poſuerunt; in qua ſequenti die
„ ritu ſuo cænârunt, vel potiùs Calvino litârunt hoc modo. Rex
„ ipſe rotundam placentam in partes fregit, alius verò eaſdem
„ partes ſcutellæ impoſuit, deinde unusquisque accepit partem
„ & comedit, ac deſuper hauſtum vini ſumpſit. Ad ſolennita-
„ tem cænæ hujus ſpectandam, confluxerat ingens multitudo
„ populi Bohemici, tam Huſsitici quàm Luterani, magna cum
„ admiratione, nec ſine dolore aſpicientes ea, quæ [illegible]: pa-
„ lámque dicebant, ſe hunc Communicandi modum non vidiſ-
„ ſe unquam, nec credere poſſe, ut homini ad animæ ſalutem
„ prodeſſe valeat.

Cœna Calviniſtarum in templo Metrop.

„ Sequenti die, nimirum in Feſto S. Stephani, in eadem
„ Eccleſia S. Viti ambitum ex utraque Chori parte aſſeribus ob-
„ ſtruxerunt, ita ut ad tumbam S. Viti, & ſepulchrum B. Joan.
„ Nepomuceni acceſſus præcluderetur: Quid cauſæ ſubeſſet,
„ varij varia. Communis rumor erat, unum ex Iconoclaſtis,
„ cùm per contemptum ſuper B. Joannis Nepomuceni M. ſepul-
„ chrum inſiliiſſet, divinitus punitum corruiſſe, ac morte repen-
„ tina expiraſſe. Alij, ad S. Viti tumbam id quoq; accidiſſe dice-
bant.

Iconoclaſtæ à Deo graviſſimè puniti: de quo fuſiùs Radio VI.

„ bant. Rurſum alij, Sepulchrum S. Viti ab ijsdem violatum, &
„ inde brachium ejus, quod argenteæ ciſtulæ impoſitum erat,
„ ſublatum aſſeverabant: ideóque ne tantum facinus publicè
„ omnibus ſpectandum pateret, loca illa circumſepſiſſe. Ut ut
„ ſit, clauſura hæc non abs re facta fuit.

„ Die 27. Decembris, rurſum Eccleſiam harpyarum inſtar
„ involârunt, & altare Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Sacello
„ S. Sigiſmundi, quod Ferd. I. & Maximil. II. Vitenbergæ pingi
„ curârunt, ejecerunt; jámque etiam de Mauſoleo Regio, ſin-
„ gulari artificio ex alabaſtro conſtructo, ſub quo Reges ali-
„ quot & Imperatores ſepulti piè requieſcunt, num etiam dir-
„ ruendum & foras ejiciendum eſſet, conſultabant; conſen-
„ tiebant alij, alij negabant. Eodem die Friderici uxor pepe-
„ rit filium; unde tantum gaudium ortum, ut voluerit inte-
„ gram noctem tranſigi, in compulſatione omnium ad omnes
„ Eccleſias campanarum, exploſione tormentorum & ſclope-
„ torum; ſed deinde ei diſvaſum eſt. Sub idem tempus ema-
„ navit ad Senatum Vetero-Pragenſem decretum, quo jubeba-
„ tur ſtatua Crucifixi ab antiquo in ponte erecta dejici, eò quòd
„ Regina denudati iſtius balneatoris (effigiem Chriſti, proh
„ nefas! ſic nominando) præſentiam nequeat ampliùs tolera-
„ re. Verùm Senatus aſſentiri noluit; quòd abſque expreſſo
„ totius Communitatis conſenſu, utpote cujus placito & vo-
„ luntate Crux hæc à tot annis intacta ſemper ſtaret; id facere
„ nequaquam poſſet. Si nihilominùs Rex per aliquem alium,
„ aut vi adhibitâ, mandatum ſuum exequi fecerit, & exinde
„ tumultus in populo exoriatur, ſe fore tunc excuſatum. Et ſic
„ nihil factum; Crux illæſa manſit.

Friderico naſcitur filius nomine Rupertus.

„ Idem Rex 29. Decembris, ante occaſum ſolis per Tri-
„ Urbem trahis vehebatur, indutus pellicio holoſericeo rubro,
„ pileum verò geſtans albi coloris cum plumis flavis, deinde
„ ad Comitem Turrianum, cum ſuo fratre, & Principe Anhal-
„ tino cænaturus divertit. Cuivis è Baronibus valde affabi-
„ lem, & ultra quàm decuiſſet authoritatem Regiam, familia-
„ rem ſe præbebat; cùm ad audiendum admitteret, depoſito

Fridericus ſuis præter modū familiaris.

Yy pileo

„ pileo ſalutabat, comi blandóque ſermone alloquebatur; eg-
„ gredientes foras comitabatur. Ubi reſponſum aliquod
„ dandum erat, Cancellarium ſuum de Raupova in ſecretius
„ conclave vocabat, ab eóque quid reſpondendum eſſet, requi-
„ rebat inquiens: quid Dominus ſvadet? quid Domino vide-
„ tur? Dum aliquando Matronæ Procerum, obſequij præſtan-
„ di causâ, Conjugem ipſius viſitabant, humaniſſimè illas exci-
„ piebat, in tantam ſubinde effuſus lætitiam, ut etiam cum illis
„ in pallatio novo, quod Rudolphus Imp. extruxerat, choreas
„ ducere non dubitaret. Imò cùm quâdam vice, apud Bohu-
„ chvalum Berkam Regni tunc Burggravium convivio exceptus,
„ hujusmodi vanitates & tripudia exerceret, queri cæpit, quòd
„ neſciat, quomodo hoc intelligere debeat, quòd Domicellæ
„ Bohemæ oſcula ſua excipere detrectent. Ad recreandum
„ animum per ſæpè ſpaciatū ſolus, aliquot duntaxat pediſequis
„ & ephebis comitatus, ad vivarium uſq; pedes exibat. Verbo,
„ Majeſtatem Regiam penitus negligebat. Sed hæc παρέργως.

„ Poſt abominationem in loco Eccleſiæ Prag. ſacro fa-
„ ctam, formatum eſt Decretum, non tamen publicatum, quo
„ ritus & Cæremoniæ in ſacris jubebantur innovari, per omnes
„ totius Regni Eccleſias, hunc in modum.

Novi & abominabiles ritus à Calviniſtis inſtituuntur, qui hic recenſentur:

„ Primò. Campanæ Eccleſiarum tollantur, & Pragam ad
„ arcem devehantur. 2. Altaria lapidea, utpote à Papiſtis ere-
„ cta, à fundamentis dirruantur, & eorum loco lignea menſa,
„ nigro panno ad terram uſque tecta (Cœnæ tamen tempore
„ ſyndone ſit operta) ſubſtituatur. 3. Omnes imagines, tam
„ Chriſti quàm Deiparæ & Sanctorum, aliæq; picturæ omnes in
„ templis, velut idololatria à Papiſtis excogitata, extirpentur.
„ Locò hoſtiæ, detur panis vel placenta rotunda, in oblongas
„ diviſa partes populo ad veſcendum. Quisque ſibi ipſe par-
„ tem accipiat: ſimiliter de calice. 4. Calicum aureorum
„ argenteorúmque locò, lignei torneatili opere formati ſuffi-
„ ciant. 5. Verba Cœnæ Domini non ampliùs cantentur, ſed
„ legantur. 6. Oratio ante Communionem aliàs dici ſolita,
„ intermittatur. 7. Albis, caſulis, ſuperpellicijs, vexillis, cum

hæc

„ hæc res ſint Papiſticæ, non utantur. 8. Candelarum in al-
„ taribus accenſarum uſus abrogetur. 9. Communionem
„ acceſſuris linteolum ſive mantile non ſupponatur. 10. Al-
„ taribus reverentia cum genuflexione, cùm non ſit ibi præ-
„ ſens Chriſtus, nulla exhibeatur. 11. Communicantibus non
„ eſt neceſſe flexis genibus accedere. 12. A formatione Crucis
„ poſt benedictionem abſtineant. 13. Sacerdotes ante men-
„ ſam ſtantes populum versùs, terga non vertant. 14. Non am-
„ pliùs auriculariter confiteantur, ſed oretenus vel ſcripto nu-
„ merum peccatorum recenſeant. 15. Collectæ & amen non
„ cantentur, ſed legantur. 16. Nomine JESU audito non fle-
„ ctatur genu, neque pileus deponatur, vel caput inclinetur, eſt
„ enim idololatria. 17. In Cathedris fiat Oratio tacitè, non
„ clamosè. 18. Ægrotis Communio, præſertim tempore pe-
„ ſtis, prohibeatur. 19. Fontes Baptiſmales per Eccleſias fun-
„ ditùs disjiciantur, & in locum eorum pelves ſtanneæ vel æreæ
„ ſubſtituantur. 20. Epitaphia & hujusmodi monumenta in
„ Eccleſijs non ampliùs tolerentur. 21. Sanctiſſimæ Trinitatis
„ imago nullo modo pingatur, & ſculpatur. 22. Catechiſmus
„ in Decem præcepta commutetur; Præceptum de ſculptili-
„ bus, eſto primùm, nonum & decimum conjungantur. 23. In
„ tractatu de fide & Cœna Domini verba illa: *Eſt verum Cor-*
„ *pus & Sanguis Domini noſtri JESU Chriſti*, ommittantur, &
„ loco eorum: *eſt viſibile ſignum* ponatur, & deinceps legatur.
„ 24. Homiliæ & Conciones ſuper Epiſtolas & Evangelia non
„ fiant, ſed ex Biblijs aut Prophetarum libris, aliqui textus
„ pro lectione accipiantur. Huc uſq; Scriptor ille.

„ Decreti, porrò hujus, quo vix [a] aliud magis impium ac perverſum dari aut excogitari potuiſſet, Author fuiſſe dicitur Abraham Scultetus, primarius Calviniani dogmatis aſſertor, quem Palatinus Heidelbergâ adduxerat, iniquiſſimus Templi Metropol. domúsque Decanalis incubator. Et Palatinus quidem, benè ſe factûrum putans, illud quantocyùs publicari, atque exequutioni dari conſtituit: ſed obſtantibus Regni Proceribus, tantámque impietatem (licèt

[a] *Bohemis, etiam ab ipſis Huſſitis reprobantur.*

 pleri-

plerique eſſent à Catholicis ritibus alieni) palam deteſtantibus; tum quòd ſeditio certo certiùs in populo, ex tam ingenti rei novitate timeretur, jámque in Urbe Pragenſi eam ob cauſam non parvi gliſcerent tumultus, remittere à propoſito debuit; illúmque fructum exinde tulit, quòd multorum Procerum, ac imprimis Civium Pragenſium animos à ſe plurimùm alienavit, ab eóque tempore publico odio laborare cæpit.

Idem, Capitulares ſuis ad ArchiEpiſcopum datis deplorârunt.

Litteræ Capitulatium ad ArchiEp. quibus impietatē Iconoclaſtarū, &miſerandam templi Metr. faciem deſcribunt.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Princeps, Domine Domine colendiſſime. Novum hunc, quem ingreſſi ſumus Annum, Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ fœliciſſimum precamur. Dedimus non ita pridem ad Illuſtr. Celſ. litteras, ex quibus miſerandum rerum Eccleſiæ Metrop. Statum ſat dilucidè poterat cognoſcere, qualiter nempe nos Bonis omnibus privati, tandem etiam ex Arce Pragenſi & domibus noſtris ſumus ejecti, ipſáq; Eccleſia Metrop. à ſeptingentis annis virgo ſine ruga, novam maculam contraxit, dum novis ritibus, atque adeò ſepulturis hæreticorum eſt prophanata. Præſentibus verò rurſus dolenter ſignificamus, quòd adverſarij noſtri his non contenti, ſed mala malis accumulantes, in eadem Metrop. Eccleſia, in ipſius Chriſti Domini & Sanctorum ejus imagines, ac Sacras Reliquias graviter, proh dolor! ſævierunt. Imagines enim Crucifixi in fruſtra diſſecuerunt, picturas etiam alias pulcherrimas deſtruxerunt, ſtatuas confregerunt & in cineres redegerunt: Sepulchra SS. Patronorum denudârunt, omnia ornamenta Altarium diſtraxerunt, atq; ipſa altaria diruerunt, lapides comminuerunt, Reliquias flammis injecerunt; & quæcunq; pulchra, quæcunq; devotionis provocativa in picturis, in imaginibus & antiquitatibus ibidem viſebantur, ſingula corruperunt; nec pepercerunt calicibus, nec Varijs & ſuperpellicijs noſtris, alijsq; Eccleſiæ rebus, quæ in Sacriſtia fuerunt. Veriſſimè nunc cum Pſalmiſta, mutatis verbis ipſius, dicere poſſumus: Deus venerunt Calviniſtæ in Bohemiam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Eccleſiam Metrop. in abominationem deſolationis. O quot propter hoc lachrymæ Civium! quot ſuſpiria Religioſorum! quot ejulatus Parochorum! quot querelæ flebiles omnium bonorum audiuntur & videntur! Plangit verò

tanto

tanto magis ipſa alma Mater Metrop Eccleſia, exuta veſtimentis jucunditatis ſuæ. Nunc videmus, quomodo ex modica ſcintilla, ſurrexit vix extinguibilis flamma: noluerunt, qui potuerunt, & ex officio debuerunt, ſcintillam extinguere, ignem hunc ſic inflammatum, excepto Deo, neſcimus quis extinguet. Cùm autem hæc omnia non tantùm in deſtructionem EccleſiaMetrop. ſed etiam in detrimentum totius jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ac inſuper in perditionem totius Religionis Catholicæ fiant; iterum atq; iterum à Veſtra Illuſtriſſima Celſitudine reverenter petimus edoceri, quid facto nobis opus ſit, aut quo nos vertere, & quid aggredi debeamus. Nam jam & titulum noſtrum nobis adimunt, ſcribentes in Decretis ſuis: quondam Canonicis Eccleſiæ Prag. *ita quòd & ruinam Capituli pertimeſcamus. Quod attinet ad ſuſtentationem noſtram, de qua deſiderat intelligere, qualiter poſt diſtractos, oppignoratos & divenditos pagos noſtros, vitam ſuſtentemus; hoc ſcribere poſſumus, quòd quilibet noſtrûm vivit de ſuo, quod fortè antea ex parſimonia ſervavit. De reliquo Illuſtr. Celſit. Veſtra quàm optimè valere cupimus. Dat. Prag. in Hradcziano 14. Januarij anno 1620. Præpoſitus, Decanus & totum Capit: Eccleſ. Metrop. Prag.*

Alias item ad eundem litteras dederunt, quibus de Cantu nocturno & Proceſſionibus in templo D. Viti, à pijs haud dubiè Manibus, quorum corpora ibidem ſepulta requieſcunt habitis, & à militibus, qui cuſtodiebant templum, viſis & auditis, (cujus rei infrà, Radio VI. ex profeſſo mentionem faciemus) certiorem reddebant. Quid porrò reſponſi à pijſſimo Antiſtite acceperint, dignum hic relatione exiſtimo.

Aliæ de audito noctu in templo Cantu.

Joannes DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ ArchiEpiſcopus Pragenſis, Princeps, Legatus Natus, Sac. Cæſ. Regiæq; Majeſtatis Conſiliarius.

Admodum Reverendi, Venerabiles, Nobiles Domini, Amici nobis Chariſſimi; diu deſideratas litteras veſtras, tandem heſternâ die reſponſoriales accepimus; credimus quòd frequentiores reciperemus, & certè nos, quoq; ſcriberemus frequentiùs, ni utrinq; partium Interceptionis metus paratiſſimas ſcribentium manus retardaret.

Reſponſum ArchiEpiſcopi conſolatorium.

ret. Exemplis edocti loquimur. Ingemiſcimus perſæpe Statum Eccleſiæ adeò deploratum, ut ſuos Miniſtros & Alumnos è gremio quodammodo nativo disjectos videre cogatur; Sed hoc vovemus; ſentiant nobiscum tempori cedendum eſſe, nec non jugiter adnitendum, ut ſub ſpe melioris ævi proximè futuri, in illud patientiæ manipulos recondamus, deſolatorum & exulum gaudio ſubſequenti. Craſtinus ô ſi malorum horum finalis illuceſceret dies, quò in amplexus conſolationis invicem recurrere liceret! Sed DEI beneficio, eventum præſtolabimur rei.

Quæ ad nos de Cantu nocturno in noſtra Eccleſia deſolata, & Patronorum, aliorúmq; ibidem quieſcentium Sanctorum venerandis Reliquijs peſſundatis, ejectis, & exuſtis ſcripſiſtis, ea ad nos citiùs ante perlata ſunt, quæ veſtris litteris confirmantur. Deus vindex juſtus, in cujus manu Electorum animæ ſunt, ſuo tempore de ſacrilegis ultionem ſumet in Sanctos ſuos graviter admiſſorum. Ulteriorem veſtram vicem dolemus; gratulamur tamen, quod Mons Syon vos exceperit; modò nulla alia periclitantes perſecutio ſubſequatur. Probamus non minùs etiam de publicato Jubileo eodémque celebrato; multorum unanimes preces non contemni confidimus, exoratus Deus (ita indubitanter ſperamus) aut dabit quod petimus, aut quod nobis eſt utilius. Liquores ſacros per R. Dominum Georgium Abbatem Hilarienſem in Willering Altovadum, & inde Crumlovium 19. Maij, tribus diſtinctis lagenis ſtanneis, illinc ad vos ſecuritate quâ poſſibile eſt maximâ perferendos miſimus; necquicquam dubitamus, jam allatos. Noſtri Senij imbecillitatem, precibus omnium veſtris & ſacrificijs, conſolantes & noſtro nomine ſalutantes vosmetipſos, recommendate, & Deo Eccleſiæq; diu optimè valete. Viennæ Auſtriæ 30. Maij Anno Domini 1620. Subſcriptum infrà, propriâ ipſius manu, quam ſingulariter veneror.

Joannes ArchiEpiſcopus Pragenſis.

Erat ſanè per id tempus Metropolitanæ Eccleſiæ facies, adeò miſerabilis conditionis, ut multis nonCatholicis tantùm, ſed etiam Huſſitis ſive Utraquiſtis, qui hæc Calviniſtarum facinora eorúmque ritus palam deteſtabantur, juſtas lacrymas excute-

coteret. Unde etiam factum, ut ab illo tempore multorum animi, à Friderici partibus magis ac magis averterentur; multis probris & convitijs proſciſſa, ac diris omnibus devota illorum nomina, qui ejus in Regnum inducendi temerario conſilio authores fuiſſent, & Patriam in has miſerias & calamitates præcipitâſſent. Atque hoc fortaſſe eſt, quod Princeps Anhaltinus in ſecretiſſima ſua inſtructione, quam Friderico Pragæ dederat, inter alia appoſuit: *Imò jam non obſcurè te Luterani & Huſſitæ deteſtantur, Saxonémq; reſpectant, ut ſuæ libertatis vindicem.* * Fridericus ſenſim redditur Bohemis gravis & exoſus.

Intereà Capitulares, viri integerrimi, quos nulla vis potuit à Fidei conſtantia, & obſequio legitimæ Poteſtati debito dimovere, tametſi fuerint idcirco ab aris proſcripti, exuti Sacerdotijs, ejecti ſuis ſedibus, nominati etiam, ùt ex ſupradictis patet, qui eorum Beneficijs incubarent, homines hæretici, novatores peſſimi, ſectâ Calviniani; non deſponderunt tamen animos, ſed præſenti exilio audentiores facti, contra injuriam ſibi per ſummam vim illatam palam proteſtabantur. Collatis demum ſermonibus, cum Guilhelmo ſeniore à Lobkowicz, Joanne Rudolpho Trczka Barone de Lippa, & alijs quibusdam, religionem quidem ſub Utraque profitentibus, ſed Calvini ſectatoribus magnoperè infenſis; ideóque ea omnia quæ circa Templum Metropol. fierent, pari cum Catholicis indignatione deteſtantibus, quos ſubinde ex ſingulari confidentia, quam erga ipſos gerebant adire, & cum illis de exilij ſui ærumnis, repetendóque Templo & domibus, mæſti ac lamentantes, colloqui & conſilia agitare conſueverant: conſultiſſimum viſum fuit, ut ad preces converſi, opportuna exilij remedia apud Supremos Regni Proceres quærerent, & ab illis ſupplicibus votis in partes ſuas traductis, opem & auxilium poſcerent, quò faciliùs Templum recuperari, & reconciliatum contra æmulos retineri poſſet. Capitularium conſtantia, & de recuperando Templo ſollicitudo.

Verùm poſt multos ſupplices libellos, multáſque preces, id duntaxat obtinuerunt (nec ſine difficultate, Calvinianæ ſectæ homi-

(*) *Prima ſecretiſſ. Inſtructio §. X.*

hominibus apud Fridericum & apud alios, qui in familiaribus ejus miniſterijs conſtituti erant, contranitentibus) ut Divi Wenceslai Sacellum, adhuc ſingulari Divini Numinis protectione inviolatum, & Sacriſtia Templi ſuperior, quam ſacrilegi primo illo ſuo furore, nullâ arte, nullis machinis reſerare poterant, manerent etiam deinceps intacta; conſignatiſque rebus omnibus, non obſerata tantùm, ſed appoſitis quoque ſigillis Commiſſariorum, ùt vocant, ad hoc deputatorum firmata & munita, clavéſque ab ijs ad Cancellariam Regni deferri juſſæ.

Sacellum D. VVenceslai intaminatum.

Pro clariori horum omnium cognitione, & ut magis reddatur conſpicuum noſtrorum etiam Eccleſiæ ſuæ Metrop. in eo miſerando rerum ſtatu, ſervatum omni poſſibili ſtudio debitum fidei ac pietatis officium, ex litteris illorum ad diverſos ea de cauſa datis, unam vel alteram è Bohemico idiomate in latinum translatam, hìc proferre in medium placuit.

Illuſtriſſimis DD. Nobilibus & Generoſis DD. Conſultiſſimis &c. Deputatis Directoribus &c. Illuſtriſſimi DD. &c.

Capitulares ſupplicant Directoribus, & Veſtimenta ſacerdotalia, libros & alia pro Divinorũ Officiorum uſu, extradi ſibi petunt.

Juxta mandatum Illuſtriſſimarum DD. VV. Stationem noſtram in Hradczano continuamus, & in Eccleſia S. Benedicti non ſatis plenam Divinorum officiorum adminiſtrationem, idq; ob defectum rerum ad eam neceſſariarum peragimus. Cùm verò defectus ille oriatur ex eo, quòd Antiphonarijs, alijsq; Pſalteriorum libris, qui Miſſis ac cæteris Divinis officijs decantandis ſerviant, caremus, ab Illuſtriſſimis DD. VV. ſubmiſſè petimus, demandare velint, ejuſmodi libros, ſicut & veſtimenta ſacra & calices, nobis extradi. Rogamus etiam, uni è Vicarijs noſtris facultatem concedi, ut Capellam S. Wenceslai intrare poſſit, qui inde SS. Eucharìſtiam ad ſacellum S. Adalberti deferat, & ſub ſacrificio Miſſæ reverenter abſumat; manentes pro Illuſtr. DD. VV. in precibus aſſidui: 26. Octob. anno 1619. Præpoſit. Decanus, & totum Capit. Eccl. Prag.

Ad Regni Proceres.

Iidem ad Regni Proceres pro reſtitutione Templi & Domorum ſuarũ ſupplicant.

Quo in ſtatu Eccleſia noſtra Pragenſis, curæ & cuſtodiæ noſtræ ſub graviſſimis obligationibus demandata, in qua hactenus ſemper, jam à ſepingentis & ampliùs annis Divina Officia, ſecundum pia & ſancta, tam Sereniſſimorum Principum ac Regum Bohemiæ Romano-

[illegible]rimq; Imperatorum, quàm Majorum veſtrorum indulta & fundationes, ab ortu Solis usq; ad occaſum, imò diu noctuq; devotiſſimè peragi erant ſolita, hac tempeſtata conſtituta ſit, Illuſtriſſimas DD. VV. minimè latebit. Proinde ut piæ intentioni eorundem Fundatorum Benefactorumq;, quorum corpora ibi requieſcunt, ſatisfiat, & Eccleſiæ huic Sanctæ priſtinus decor, pietas & gloria reſtituatur, Illuſtriſſimas DD. VV. ſubmiſſiſſimè rogamus, quatenus pro ſua loci hujus Sanctitate, & reverentia ab omnibus ſemper magni habita, etiam turbulentiſſimo illo Ziſcæ & aſſeclarum ejus, ſuisq; omnia vertentium tempore, quo Templum hoc, eſtò deſpoliatum, nunquam tamen alienis ſacris traditum legimus; partes ſuas interponere dignentur, ne cultus divinus per tot annorum ſpatia ſanctiſſimè ſemper & devotiſſimè habitus in eo exulet; idq; pro ſua auctoritate efficere, ut Sanctam hanc Eccleſiam, ſicut etiam domos, curâ & proprijs ſumptibus, poſt luctuoſiſſimum illud incendium, à nobis & prædeceſſoribus noſtris inſtauratas, priſtino decori quantum fieri potuerat, reſtitutas, regio inſuper Ferd. I. Maximil. II. Rudolphi II. piæ memoriæ Impp. conſenſu, Tabulis Regni inſertas, nobisq; & ſucceſſoribus noſtris aſſecuratas, recipere valeamus. Nos ſicut antehac ſemper, ita & deinceps pacificè in omnibus nos gerere volumus, & Divinis Officijs, quæ præſertim in loco hoc ſacroſancto intermitti non debent, peragendis, inſiſtendo pijs Prædeceſſorum noſtrorum exemplis, ad majus Divini cultus augmentum, ſedulò incumbere; operam denique dare diligentem, ne cuiquam vel minimum, ſive per nos, ſive per noſtros homines præbeatur offendiculum. Quapropter ſperamus quòd juſtam hanc petitionem noſtram Illuſtriſſimi DD. tanquam Patres Patriæ, & Divini nominis cultores eximij, benigno [illegible], locum dare (quandoquidem hoc ipſum literis Majeſtatis & Concordiæ mutuæ partium ſub Una & ſub Utraq;, imò recenti quoq; Reſcripto regio habeatur cautum, ut cuiq; liberum Religionis exercitium permaneat) non dedignabuntur. In quo nos & hanc Sanctam Eccleſiam benigno favori & protectioni Illuſtr. DD. VV. commendamus, reſponſum favorabile cum deſiderio expectantes. Datum in Hradſchino, die 25. Novembr. 1619. Præpoſ. Decanus & Capitulum totum.

Ab ijsdem pro videri maturè, ne impij Iconomachi corpora quoque SS. Patronorũ involent, eximant & comburant, ſollicite petunt.

Ad Supremum Burggravium aliósq; Regni Proceres.

Conſcientijs noſtris ducti, & obligationibus graviſſimis, quibus Eccleſiæ Metropol. nos obſtrictos novimus, compulſi plorare coram Illuſtriſſimis DD. per præſentes cogimur, & conqueri; ne forte tacendo aut connivendo, impietati quæ fit, conſentire videamur. Audiverunt jam antea haud dubiè, quæ & qualia apud Eccleſiam noſtram fiant? quomodo Sanctorum imagines, ipſaq; Chriſti è cruce pendentis non una effigies in fruſta comminuuntur, aræ evertuntur, Divorum Reliquiæ conculcantur. Quod nos omnino, non poſſumus audire & ferre, niſi cum maximo cordium dolore & amaritudine tanta, ut vix non contabeſcamus præ nimio mœrore & triſtitia, dolentes tam miſerandam Eccleſiæ noſtræ vicem; & ex his, quæ nuper facta ſunt, facilè animadvertimus, illam brevi ſupremam abominationem deſolationis ſubituram. Cùm verò in eadem Eccleſia exiſtant ſepulchra SS. Regni Patronorum Viti, Wenceslai, Adalberti & Sigiſmundi MM. metuendumq; ſit ne & illis ab efferatis hominibus, quibus audendi ſimilia & fortaſſe majora ex impunitate licentia creſcit, vis inferatur, humillimè rogamus, & per Deum ſanctamq; ejus obſecramus, Illuſt. DD. tanquàm genuinos Patriæ Filios, & Primores Regni, quos utiq; decet ea, quæ ad honorem, decus & gloriam Regni faciant, integra inviolatáq; ſervare; velint, authoritate ſuâ interpoſita nobis auxilio eſſe, ut Sacra hæc Pignora è ſepulchris levare, & in alio ſecuriori loco deponere poſſimus. Hoc enim Theſauro Sacro, nihil habet, nec habere poteſt Regnum pretioſius; ideoq; & vobis & nobis ſumma diligentia agendum eſt, & curandum, ut illum etiam Poſteris inviolatum conſervemus. Reſtant præterea, ſicut ex relatis habemus, in eodem Templo aliquot tabulæ pictæ, & imagines non dum corruptæ; & illas cuperemus ulterius Calviniſtarum furori ſubtrahere, & deportando aliò ab interitu vindicare. Spe igitur ducimur, quod hanc noſtram petitionem admittere, nósq; ſimul cum Eccleſia hac Sancta ſibi quam commendatiſſimos habere dignabuntur. Ex Hradczino die 23 Dec. 1619.

Idem à Joachimo Comite Schlicko flagitant.

Ad Illuſtriſſimum D. Joachimum Comitem Schlick Supremum Regni Judicem. *Dolenter Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ, obligationibus & conſcientijs noſtris ducti referimus, quibus cum*

ma-

[illegible] Aprilis conſecrata ſunt tria Altaria. I. *Beatiſſimæ [illegible]* in medio Templi, vel Chori potiùs, ante [illegible] & Impp. Reliquiæ SS. impoſitæ, *de peplo & de [illegible] B. Mariæ V. [illegible] Domini, de veſte S. Joan. Evang. de Rubo [illegible] S. Bernardi Ab. S. Benignæ V.* II. propiùs [illegible], ad columnam dextram Sacriſtiam versùs, *SS. [illegible] & Jacobi & S. Matthiæ App. & S. Apolloniæ Virg. & M. [illegible] eorundem SS. Apoſtolorum & S. Apoll. S. Bar- [illegible] Cruce Domini, S. Procopij Abb.* III. In altera par- [illegible], ſub Oratorio Regio; *[illegible] SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & SS. Coſmæ & Dami- [illegible] SS. Petri & Pauli, SS. Coſmæ & Dam. de peplo [illegible] Stephani Proto M. S. Vincentij M. S. Candidi M. S. Chri- [illegible]*

[illegible] ejusdem menſis, conſecratum eſt Altare in Sacello [illegible] ad tumbam ejusdem, in honorem ejusdem *Sancti [illegible] MM. Benedicti, Matthæi, Joannis, [illegible] Reliquiæ eorundem, & S. Martini Ep. S. Martini Pa- [illegible] de ligno Domini, de peplo B. V. S. Philippi Ap. S. Victoris*

M. S. Hilarij Ep. S. Gereonis M. S. Leonardi M. & diversi innominati Sancti.

Die 22. ejusdem, in capella olim Saxonica, nunc Sternbergica dicta; *Annunciat. B. V. & S. Thomæ Ap. & S. Stanislai M.* Reliquiæ: *De ligno & ſudario Domini, de peplo, camiſia & cingulo B. V. & Ss. Thomæ Ap. Stanislai M. Catharinæ V. & M. Marthæ V. Urſulæ V. & M. Dorotheæ V. & M. Adalberti M, Brictij Ep. Remigij Ep. Viti & Wenceslai MM. Barbaræ V. & M. Lucæ Evang. & Elisabethæ Viduæ. Poſt conſecrationem hujus Altaris, quod ego proprijs meis impenſis erigi feci* (verba ſunt [illegible]) *ipſemet Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus hac [illegible] Miſſa [illegible] celebravit, & poſtea pranſus eſt apud me, una cum [illegible] RR. DD. Capitularibus.*

Die 22. Junij, in ſacello, quod eſt à Sacriſtia [illegible] conſecratum ab eodem *Altare S. Joan. Bapt. & S. [illegible]* Reliquiæ *eorundem Ss. de veſte S. Joan. Evang. & [illegible] M. Caſſij M. & Theodori M.*

Die 12 Julij, in ſacello, quod Sacriſtiæ adjacet, ſub pergula Choraliſtarum, *Altare Conceps. B. V. S. Annæ & [illegible] tuor Eccleſiæ Doctorum, Gregorij, Ambroſij, Auguſtini & Hieronymi.* Reliquiæ *eorundem Ss. de tunica B. V. de ligno Domini &* S. *Hedwigis Viduæ.*

Die 13. Julij, in ſacello huic vicino, quod [illegible] à ſepultura illius Familiæ vocamus. Altaria duo: I. [illegible] verſus, Ss. *Cyrilli & Metudij Epp: & S. Agathæ V. M. II. Septentrionem verſus* Ss. *Stephani Proto M. & Martini Ep.* In illis Reliquiæ ſunt incluſæ: Ss. *Agathæ V. & M. Cyrilli Ep. [illegible] Stephani Regis Hung. Victorini, Urſulæ, Margarethæ, & [illegible] dam Sancti.* In hoc: Ss. *Stephani Proto M. Martini Ep. [illegible] terni Ep. Gereonis, Mauritij, Valentini & Ægidij Abb. Item [illegible] ce Domini & de lapide quo S. Stephanus lapidatus fuit.*

Die 1[illegible]. ejusd, in ſacello Cæſareo, poſt Aram ſummam, in honorem *Ss. Trinitatis & Ss Bartholom. Ap. Nicolai Ep. Cad. millæ & Eliſab.* Reliquiæ *eorundem Ss. ac præterea Ss. Blaſij Ep. & M. Galli Abb. & Barnabæ Ap. & de ſpongia Domini.*

Die

Die 31. ejusd. in ſacello Joannis I. ArchiEp. Prag. è regione Sepulchri B. Joannis Nepomuc. M. in honorem *Viſitat. B. V. & S. Clementis Papæ & M. Luciæ V. & M. Ottiliæ V. & B. Joannis Nepom. Martyris glorioſi.* Reliquiæ: *De pallio S. Eliſabethæ, in quo viſitata eſt à B. V. de ſepulchro B. V. & SS. Clementis, Luciæ, Ottiliæ, Cæciliæ V. & M. Juliani M. Felicitatis M. & Theclæ V. & M.*

Die 23. ejusd. in ſacello Waldſteiniano, quod proximè adjacet meridionali portæ, *Altare S. Mariæ Magd. & S. Agnetis V. & M.* Reliquiæ earundem, *& SS. Lazari fratris ejusd. Marthæ* [illegible] *Petri, Innocentum, &c.*

Die 4. Augusti, in ſacello Martiniciano & Lobkoviciano erecta ſunt tria Altaria, I. *S. Andreæ Ap.* II. *S. Laurentij M. & S.* [illegible] *Ep. & M.* (ſucceſſu temporis ex duobus iſtis facellis [illegible]) & III. *S. Sylveſtri Papæ & SS. Dionyſij Mart. & Wolfgangi Ep.* Reliquiæ: in I. *S. Andr. Ap. SS. Primi & Feliciani, S. Cunegundis Imp. Hieremiæ Proph. Decem Millium Mm.* E-[illegible] *& Stephani Proto M.* In II. *Ss. Laurentij M. Apollinaris Ep. M. Chriſtoph. M. Blaſij Ep. & M. Jodoci Confeſſ. & Epiphanij Proph.* In III. *Ss. Sylveſtri, Dionyſij, Wolffg. Tyburcij M.* [illegible] *Nicolai Ep. Leonis Papæ, & S. Cordulæ V. & M.*

Die 14. ejusd. in Sacriſtia ad honorem S. *Michaëlis Arch. & S.* [illegible] *& Rochi.* Reliquiæ: Ss. *Sebaſt. Coſmæ & Dam. Thomæ Ap. Laurentij* M. *Barbaræ V. &* M. *& Marcelli Papæ &* M.

Die 20. ejusd. ad columnam, è regione graduum, per quos aſcenditur ad Oratorium regium: *Altare* Ss. *Patronorum Regni & S. Barbaræ.* Reliquiæ: Ss. *Viti, Wenceslai, Adalberti, Ludmillæ, Quinque Fratrum, Procopij & Barbaræ.*

Die 21. ejusd. ad columnam ex oppoſito Sacriſtiæ: Altare, Ss. *Dorotheæ V.* & M. *Catharinæ V.* & M. & *Chriſtophori* M. Reliquiæ earundem, ac præterea Ss. *Thomæ Ap. Joannis & Pauli* Mm. *& Afræ* M.

Die 29. Novembr. in ſacello S. Sigiſmundi, *Altare minus in honorem S. Crucis &* S. *Marthæ V.* Reliquiæ: *De ligno S. Crucis, & Ss. Marthæ, Chriſtinæ V. &* M. *de crinibus & cineribus* S. *Cæciliæ V. &* M. *de ſepulchro Domini lapis, &* S. *Helenæ Viduæ.*

[illegible]tum Metrop. Eccleſiæ Pragenſis, per obitum Reve- [illegible] Domini Joannis proximi & immediati ejuſdem poſ- [illegible] autem, juxta Statum Capituli noſtri, poſtulandum. [illegible] diſſicilimis temporibus, pro hæreſum extirpatione [illegible] intereſſe cenſuimus, ne Archidiœceſis Prag. legitimi Pa- [illegible]tle, diu maneat deſtituta; ita præfatum poſtulatum ta- [illegible]nus, qui præter avitæ Nobilitatis decus, ob eximias [illegible], ac rumq; Catholicæ Religionis Zelum, Archidiœceſi Pra- [illegible] (cujus potiſſima habetur ratio) propaganda, haud [illegible] eſſet allaturus. Itaq; prætermittendum minimè du- [illegible] noſtram erga prædictum Illuſtriſſimum Dominum Er- [illegible]ertum ab Harrach, propenſi animi voluntatem Sac: [illegible] Veſtræ humiliter exponeremus. Quare Sac: Cæſ: Maj: [illegible] rogamus, dignetur poſtulationem noſtram, non tan- [illegible] habere, verùm etiam apud Sanctiſſimum Do- [illegible], Poſtulati cauſæ juvandæ & promovendæ haud de- [illegible] Regnum Bohemiæ, ex iis quibus premitur Hæreſum grava- [illegible]bus commodiusq; emergere ac tandem feliciter reſpi- [illegible] Cæterum, Sac. Maj. Veſtram commodâ valetudine frui [illegible] & Metrop. Eccleſiam noſtram Majeſtatis Veſtræ Cæſa- [illegible] & tutelæ, precibus ſubmiſſis commenda- [illegible]. Pragæ ex Capitulo noſtro, 9. Novembris, anno Domini 1622. [illegible] M. V. Humillimi Sacellani. Præpoſ. Decanus, Ar- [illegible], Scholaſticus, totumq; Capitulum Metrop. Eccleſiæ Prag.

Anno ſequenti, cum Ferd. Imp. peractis Ratisbonæ Co- [illegible] Electoralem dignitatem, Friderico Palatino [illegible] reo ablatam, Maximiliano Bavariæ Duci, ob [illegible] merita, ſolenni pompâ contulit, Pragam die XI. Aprilis veniſſet; venit paulo poſt etiam à Sede Apoſtolica jam confirmatus ArchiEp. Pragenſis præmemoratus Erneſtus, & Sa- [illegible] gubernacula cum magno Capitularium ac totius Cleri Catholici applauſu, ſuſcepit.

[illegible] Cæſar, mox in primo ſuo ad templum Metropol. introi-

introitu, dum à Prælatis & Canonicis ante fores templi, conſveto ritu ſalutaretur, collaudatis illis ob Fidei DEO, Eccleſiæ & ſibi integerrimè ſervatæ conſtantiam; ut quantum hæc ſibi grata acceptaque eſſet, ſingulari aliquo regiæ ſuæ munificentiæ, ac liberalitatis exemplo, teſtatum redderet; ſpecialibus quibusdam gratijs, omnes & ſingulos ornandos decorandósque conſtituit, quos etiam ipſo facto cùm Nobilitatis prærogativâ, tum Sacri Lateranenſis Palatij Aulæq; Cæſareæ, ac Imperialis Conſiſtorij Comitum titulo & dignitate in[illegible] alijsq; multis, etiam in notabili pecuniarum ſumma honorarij, ac donativis abundè cumulavit. Id verò feciſſe [illegible] Cæſarem, præcisè Fidelitatis eorum tot hactenus in[illegible] documentis probatæ intuitu, vel ex hoc patet, quod in Diplomate Simoni Broſo Præpoſito, ſuper dignitate Comitis Palatini dato habet, verbis iſtis: *Tum vero benignè recolentes [illegible] rati Rebellione in Regno, & in ipſa Arce Regia prævalente, furioſo in Sacra juxta & profana barbantium impetus fortiter ſu[illegible], ædibus per vim ejectus, omnibusq; fortunæ bonis ſpoliatus, fidei tamen, & obſervantiæ DEO, legitimoq; Regi debitæ, [illegible] memor: Collegas tuos, aliosq; Viros probos exemplo tuo [illegible], adeo, ut nec civium ardor prava jubentium, nec vultus [illegible] Tyranni, nec bonorum direptioni, ſupperadditæ con[illegible] aliaque multiplicata incommoda, & perſecutionum procellæ, quæ [illegible] etiam fortem concutere potuiſſent, animum tuum de ſolida Conſtantiæ arce dejicere potuerint; prætermittere nolumus, quin [illegible] gni aliquo te gratiæ noſtræ Cæſareæ documento, ad ſeram poſteritatem duraturo, benignè commiſcerandum [illegible] &c.* Magnum ſanè, ac omni exceptione majus, ab ipſo Cæſare Maximo Fidelitatis encomium!

Canon. Prag. [illegible] Catholica [illegible] per [illegible]

Annis ſequentibus, in eo iterum eminuit Capitularium Virtus, & in placitis tam Sedis Apoſtolicæ, quàm Cæſareæ Majeſtatis circa Religionem adimplendis ſolers ſtudium, quod in ijs, quæcunque ad eliminanda e Regno perverſa atque prodamnata hæreſeos dogmata, facere videbantur, nihil penitus intentatum reliquiſſent; Caſparo Arſenio Decano, Vicario Ar-

ch-

chiEpiſcopi in Spiritualibus Generali (Præpoſitus jam tunc di-
gnitate Epiſcopali fulgens in Suffraganeum evectus erat) Jo-
[illegible] Macario SS. Theologiæ Doctore Eccleſiæ Metrop.
Scholaſtico, & Joanne Tyburtio Kotwa Canonico, Archiepi-
ſcopi Aſſeſſoribus, ſicut etiam Joanne Arnesto Plaicys Cano-
nico, & alijs, id ſummis ſtudijs agentibus, ut avitæ Religionis
Catholicæ obſervantia, per Bohemiæ Regnum in priſtinum
[illegible] reduceretur decus. Quod ipſum Cæſar quoque,
[illegible] ferventiſſimus Catholicæ Religionis cultor, de pleni-
tudine poteſtatis ſuæ approbare voluit, qui inſuper, ne deinceps
alia, præter Romano Catholicam, religionis profeſſio Bohe-
mis unquam libera eſſe poſſet, novis anno 1627. ab ſe promul-
gatis Regni Conſtitutionibus, lege lata ſanciendum duxit. (z)

Nova iterum turbatio rerũ.

Sed ut rerum omnium viciſſitudo eſt, dum in hunc mo-
dum Archiepiſcopus & Capitulum pro Religione Catholica
per univerſi Regni partes denuò plantanda ſtabilienda que
[illegible] cum fructu operam impendunt, a[illegible]tis ubique à ſug-
[illegible], acatholicis præconibus, totaque Bohemiâ pu-
blico edicto proſcriptis, & eorum loco Catholicis Eccleſiarum
[illegible] & Scholarum moderatoribus conſtitutis, ijsq; in par-
tem laborum religioſis diverſorum Ordinum viris, potiſſimùm
verò Patribus Societatis JESU, quibus ſine Bohemia in reli-
gionis reformatione multum debet, quaquaverſum ſubmiſſis. [illegible]

Cæſariani exercitus ad Lipſiam clades.

[illegible] Cæſariani exercitus ſub Duce Tyllio, à Sveco &
Saxone graviſſimo prælio ad Lipſiam cæſi clades, anno 1631. die
[illegible] Septembris intervenit; quæ ſicut omnem retro victoriarum
noſtrarum fructum, uno velut ictu ſubitò proſtravit, ita novarũ
calamitatum principium dedit, quibus Patriæ ac Religionis
tranquillitatem haud mediocri invecto malorum turbine, plu-
rimùm conturbavit. Quemadmodum enim Regi Sveciæ præ-
[illegible] victoriæ, ſparſa ab omni parte, etiam ultra Rhenum &
[illegible] Germania fuit; ita Saxoni Bohemia in ſpolium
[illegible] uti alibi ſcripſimus (a) de Bohemia ſubigenda con-

Ddd ſili-

(z) [illegible] (a) *Mart. Moraſ. lib. 2. cap. 6.*

ſiliam ſtatim à victoria cepit; præmiſſoque Arnheimio cum va- lidiore parte exercitûs, primò omnium [illegible] oppidum, [illegible] caſtella, deinde [illegible] & [illegible] illi [illegible], Auſtam, [illegible], [illegible] civitates Regias, [illegible], [illegible] & alia [illegible] gentium oppida, nullo reſiſtente occupavit: atque in brevi in- terjecto tempore tota illa Regni Bohemiæ [illegible] plaga Miſniæ & Luſatiæ contigua, negotio facili, & [illegible] ſanguine potitus eſt.

Sax. [illegible] [illegible].

Cætera quoque in interioribus Regni partibus oppida & municipia, aut metu excedentibus præſidijs, aut ſponte ſeſe de- dentibus oppidanis, quòd vim hoſtilem ſuſtinere non poſſent, & diſperſis Cæſarianorum copijs, auxilio juvari poſſe deſpera- rent, haud difficulter deditionem fecêre. Tantus autem [illegible] [illegible] Regni invaſerat terror ac metus, ut non modò à pagis minoribusque oppidis, in alia tutiora loca, cum uxoribus & li- beris, rebusque charioribus confugerent, ſed etiam [illegible] parum trepidaretur: [illegible] magna civium pars, præſertim [illegible] [illegible], haud [illegible] accelerantium præcipue [illegible] [illegible] [illegible] hoſtium [illegible] [illegible], Iſtique imprimis [illegible] res, Budvicium vel Taborium, aut Iglaviam, [illegible] Vien- nam ſeſe receperunt. Quibus dilabentibus, [illegible] erat [illegible] Arnheimius Urbis potiundæ, ſi modò adhibita celeritate [illegible] pias adduceret. Sed jam ingruente univerſo Saxonico exer- citu, Pragamque diligente, etiam Regni Proceres Vicarijque Cæ- ſaris, unà cum Archiepiſcopo Cardinali Harrachio Pragâ ex- ceſſere: [illegible] Metrop. [illegible] Macarius, cum Corona Regia, & Sacris Reliquijs, Regiiſque Cimelijs. Dux item Fridlandiæ, ſupremus quondam Cæſareæ militiæ Archiſtrategus paulo ante, conſilio, uti eventus docuit, Reipublicæ pernicio- ſo, exauctoratus: Vir alioquin geſtis ſuis ætate noſtra magnus & illuſtris, priſcisque Imperatoribus conſilio, fortitudine, fe- licitate ac rei militaris ſcientiâ comparandus. Balthaſar quoque Marradas, qui Triumviri [illegible] poteſtate [illegible],

Praga [illegible].

Proceres Re- gni Pragâ [illegible] [illegible].

alijs

[illegible] quàm plurimis poſtè ſequentibus; ita ut [illegible] nequam, oves ſine paſtore, ſine ordine ac lege re[illegible]. Qui ſe ſervare poſſe diffiſi, vitam & fortunas in [illegible] adducere, omnino alienum à rationibus ſuis exiſti[illegible] idcirco ad Arnheimium nuncios miſerunt, collo[illegible] de Urbe tradenda poſtularunt. quo conceſſo; alij [illegible] miſſi, qui ſuper deditione paciſcerentur. Adera[illegible] Comes ſenior Turrianus, & Wenceslaus [illegible] de Raupowa, cum nonnullis Bohemiæ exulibus, [illegible] cooperantibusque in has conditiones con[illegible] Milites Saxonici in Univerſum omnes intromiſſi, [illegible] nec cuiquam, in vita & fortunis nocerent. Collegiis, Monaſterijs, Templisque, perſonis item Eccleſiaſti[illegible] regularibus nulla vis inferretur: Dynaſtæ & Conſiliarij [illegible] ſequè civici ab oneribus domeſticis, militi[illegible] entur, arreſto utrique ne premerentur, [illegible] aliò diſcedere vellet, liberè ſecureque emigrare poſ[illegible]. Additum, ut Judæi quoque eadem gauderent ſecuritate. Quæ poſtea Elector adveniens rata habuit, tametſi in nonnul[illegible] fides deſiderata fuerit, ditiorum domibus multis [illegible] ur infra ſemeſtre, domus plusquam mille trecen[illegible] numerarentur.

Praga deditionem facit ſub certis [illegible];

[illegible] Saxonis, non [illegible]

Pragâ hunc in modum occupatâ, Egra quoque ad finem [illegible] in Saxonis venit poteſtatem: Cubitus item ſeu Li[illegible] ſeu Sclakenverda, Falconovum aliáque tam in [illegible] aliis Bohemiæ Diſtrictibus, complura oppida; uti [illegible], [illegible]dana, Launa, Brixia, Brunduſium cum arce, No[illegible] & alia. Nymburgum verò Urbs in loco pro[illegible] hoſtium inſultibus apprimè idoneo ad Albim ſita, [illegible] munita, quia reſiſtere auſa fuit, miſerabilem ac pe[illegible] Magdeburgenſi parem, ab igni & ferro, cladem tulit.

Nymburgum [illegible] cladem.

Capitularibus noſtris, nequibat non eſſe triſtis, ac me[illegible] occupatæ hunc in modum ab hoſtibus Trium Urbis & ar[illegible] aſpectus: præſertim cum primis diebus viderent,

[illegible] Templa [illegible]

ſed contra nitentibus Canonicis, juſſuque Saxonis excedere, & ad viciniam Eccleſiæ Omnium SS. migrare coguntur.

etiam templo Metropol. à Lutheri præconibus, contra deditionis pacta, vim inferri, & ex ipſa adeò Cathedra unumq; ex illis dogma ſuum pro concione venditare. Pro ea tamen, qua DEO & Eccleſiæ ſeſe obſtrictos noverant fide, reſiſtebant, quantum poterant, nihil intentatum relinquentes, quò ſacrilegos loci Sacro Sancti invaſores quantocyùs ſubmoverent. Idq; tandem ſuâ conſtantiâ effecerunt, ut veniens Pragam Saxo, novos iſtos incubatores templo exceſſe juſſerit, edixitque ſub interminatione graviſſimæ pœnæ (quod in Lutheranæ Sectæ Principe haud parum mirère) ne è ſuis quiſquam Catholicos in Sacris impedire, vel quocunque modo interturbare præſumeret. Ut tamen aliquid etiam ſuæ ſectæ miniſtris tribueret, & ne penitus totâ arce exularent, poteſtatem fecit, in regia Collegiata Capella omnium Ss. intra mœnia arcis, habendi cœtus Lutheranos. Quò cum liberum eſſet cuique de quandocunque venire, audire declamatores, cœnare eorum ritu, verbo, Luthero litare; ideóque multi de plebe, imò alioris quoque Statûs non pauci, præſertim in religione Catholica tepidi, veterani adhuc Huſſitæ, apud quos uſus Calicis altum inſederat, cœtus illos frequentarent, & detractâ demum larvâ, Lutheranos palam induerent, atque ita in hæreſim relabarentur, vicinis iterum Capitularibus Metrop. hæc è tam propinquo ſpectare impunè, durum erat ac per acerbum. Fecerunt tamen, quidquid pro viribus ſuis poterant, nec paſſi ſunt quicquam de ſua vigilantia decedere; præſertim Andreas Kokr, & Elias Colbius Verbi Divini Prædicatores eximij (ille Bohemico, hic Tevtonico eloquio potens) quos nec laborum periculorumque magnitudo, nec præſentia infeſtiſſimorum hoſtium, ſub quorum poteſtate erant, deterrebat, quò minùs Catholicæ Religionis veritatem, modò publicè pro concionibus, modò privatim contra adverſariorum vanas, & jam pridem damnatas opiniones, demonſtrarent. Unde factum, ut detectis Lutheranorum erroribus, non paucos Catholicos nutantes, in fide & religionis Orthodoxæ puritate confirmatos retinerent.

[illegible] pro propaganda religione Catholica Zelus.

Hæc

Hæc illorum præclara virtus, poſtea recuperatâ feliciter Pragâ, per Albertum Waldſteinium Fridlandiæ, Sagani & Mechelburgi Ducem dignitati priſtinæ reſtitutum, ac bellatorem, ut jam diximus, ea tempeſtate nemini ſecundum, à Cæſare & Ferdinando, meruit non tantùm collaudari, verùm etiam dignè condecorari præmijs, utpote Nobilitatis Inſignijs, & alijs. Ipſum etiam Capitulum, hoc illorum in propugnanda Religione Catholica, & confundenda hæreſi, tuendisque Eccleſiæ Metrop. juribus ſtudium, usque adeò ſuſpexit, ut vacantibus non multò poſt Præpoſiturâ & Decanatu, primarijs poſt Archi-Epiſcopalem in Regno dignitatibus, dignos qui in demortuorum, hic Præpoſiti, ille Decani, locum ſuccederent, exiſtimaverit.

rebus deinde mutatis in melius,

à Cæſare collata præmia.

Alio iterum, longè tamen triſtiori Urbis Pragenſis, Minoris quidem, ſed parte ſui magnâ Nobilioris, unà cum Arce Regia à Svedis, mirabili fato, anno 1648. ante diluculum diei 26. Julij ex improviſo captæ ac dirreptæ caſu; inter alios, etiam noſtri Capitulares grande ſubierunt diſcrimen: quo, licèt premerentur graviter, ab hoſtibus ſucceſſu tantæ rei immane quantùm elatis ac ferocientibus, fortunis omnibus deſpoliarentur, captivi hinc inde per vicos & plateas cum ludibrio traherentur, plagas inſuper & verbera ad uſque ſanguinis effuſionem ſuſtinerent: non defecit tamen illos ſolitum Eccleſiæ ſuæ defendendæ ſtudium, quin potiùs enituit tunc illorum, permultis iterum documentis comprobata, potiſſimùm verò in tuenda conſervandáque religione Catholica, inſignis conſtantia & virtus. Jam Lutheranæ doctrinæ buccinatores, cæperunt in Metrop. templo, de ſuperiori loco, ad ſuæ farinæ homines dicere, cùm primarij Eccleſiæ Prælati (Cardinalis ArchiEpiſcopus tunc captivus domi ſuæ detinebatur) Franciſcus Raſch Præpoſitus, & Chriſtophorus Reinholdus Decanus, hanc ſacroſancti loci injuriam ad ſe rati pertinere, Khinigsmarchium Svedorum præfectum, quem ego propter egregium militarem induſtriam *Ulyſſem Svedicum* appellare ſoleo,

Arx & Minor Urbs Prag: à Svedis, glorioſa Gotthorum progenie, occupantur, anno 1648.

 acce-

accedere ea de cauſa non dubitârunt; apud quem, licèt homi-nem moribus aſperum, & non facile tractabilem, comi blan-dáque ſuadelâ effecerunt, ut novatores illi templo excedere cogerentur: qui Saxonum exemplum ſequuti, Capellam Col-giam Omnium Ss. pro habendis ſuo more conventiculis oc-cupârunt.

Atque hæc ſunt, quæ de Fidelitate Capituli Metrop. Prag-per tot ſecula DEO, Religioni Sedique Apoſtolicæ, legitimis Principibus, Regibus ac Cæſaribus, Eccleſiæ denique ſuæ con-ſtantiſſimè ſemper ſervata, pluribusque eximijs documentis comprobata, paucis ac veluti per compendium, dicenda ha-buimus. Cætera quæ ſanè talia ſunt ac tanta, ut juſtum vo-lumen non unum ſibi meritò vendicent, Scriptori diſcretiori, cujus hìc Prodromum duntaxat agimus, & qui ex con-ſtituto hæc uberiori ſtylo tractet, relinqui-mus deſcribenda. Jam ad ulte-riora.

RA-

RADIUS IV.

Gloriæ S. Metropol. Pragenſis Eccleſiæ, à SS. RELIQVIIS.

MAgnus ſemper à naſcentis Eccleſiæ primordijs, habitus eſt honor Ss. Reliquiarum, magna dignitas & veneratio, ab omnibus Chriſtiani nominis gentibus; uti Annales omnium temporum demonſtrant; nec minus in ijs conquirendis ſtudium. Sed nec minor gloria cenſebatur, dum quis Sacris ejuscemodi Pignoribus, ſeu propriâ virtute & induſtriâ comparatis, ſeu alterius dono & liberalitate, aut quocunque tandem modo acquiſitis, gaudere potuerit: eoque habebatur ſplendor nominis & gloria major, quò quis harum Sanctarum opum erat ditior, & vel earundem notabili copiâ, vel ſingularitate unius, aut alterius magni in Eccleſia nominis Sancti, præ alijs fælicior. SS Reliquiarũ dignitas.

Ita mox à principio Reparatæ Salutis Humanæ, clarificata eſt Hieroſolyma Proto-Martyre Stephano: ita quoque illuſtris facta Roma Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo, & non multo poſt etiam Levitici Ordinis principe Laurentio. Hodieque ſunt non paucæ in Europa Catholicæ Urbes, quæ exi- Urbes à SS. Reliquijs celebres.

mio

mio Ss. Reliquiarum, ſive earum multitudinem, ſive raritatem & excellentiam ſpectes, theſauro nobilitatæ ſupra alias clareſcunt. Ex his, poſt Romam, eminet Colonia Aggripina, Urbs Imperialis & Catholicæ religionis obſervantiſſima, a pluribus idcirco Roma Germanica dicta; in qua tantus aliquando fuit Ss. Reliquiarum theſaurus, occaſione XI millium Virginum cum B. Urſula ab Hunnis occiſarum, & S. Gereonis ac Sociorum CCCXVIII. e Thæbæa legione militum, ſub Diocletiano & Maximiliano Impp. anno 297 die 10. Octobris, ob Chriſti fidem ibidem interfectorum, ut paſſim per Chriſtianorum Provincias, Eccleſiæ ijs decorari locupletarique potuerint; per quod ſanè Urbi inclytæ magnum acceſſit decus, magna ubique apud Europæos populos exiſtimatio, claráque antea, clarior deinceps haberi cæpit. Noſtrâ quoque ætate Urbs hæc Ss. Reliquiarum prædivite theſauro gaudet; ac imprimis trium Regum Magorum Caſparis, Melchioris & Baltaſaris corporibus; quæ primò S. Helenæ Auguſtæ ſtudio Conſtantinopolim, inde Mediolanum ſub Euſtorgio ejus nominis I. vel II. (pro utroque ſunt Authores) ArchiEpiſcopo natione Græco fuerunt translata; ac tandem vi expugnato per Fridericum Barbaroſſam Imp. Mediolano, ac funditùs everſo, anno 1162. Coloniam à Reinoldo ArchiEpiſcopo Colon. qui ea ſimul cum corporibus Ss. Felicis & Naboris Mm. ab eodem Imperatore dono acceperat, honorificè transportata: ut de alijs quamplurimis, cùm Chriſti, tum Deiparæ V. & Sanctorum taceam. Ampliſſimam quoque Ss. Pignorum copiam oſtentant, eâque piè gloriantur, Moguntia, Treviris, Aquisgranum, in Germania: Neapolis, Venetiæ in Italia: Ovetum in Hiſpania; Antverpia, Gandavum, Tornacum, Duacum in Belgio: Lutetia Pariſiorum, S. Dionyſij oppidum, Aurelia in Gallia: Veſontium in Burgundia: & quæ nobis viciniora ſunt, Cracovia in Polonia, Andacenſe Monaſterium (vulgò Montem Sanctum appellant) Ordinis S. Benedicti in Bavaria: & quædam alia.

Roma, Colonia ad Rhenū,

Moguntia, Treviris, Aquiſgranum, Antverpia &c.

Sed in hac quantumcunque inſigni prærogativa & gloria, ſive in tam præcellenti & copioſa Ss. Reliquiarum opulentia

Etia-

Pragam Regni Bohemiæ Caput, potiſſimùm verò Sanctam Metropol. Divi Viti Eccleſiam, non aliquando fuiſſe, nec eſſe hodie præmemoratis Urbibus, aliiſq; locis DEO ſacratis inferiorem, verùm ſi non majorem, certè parem, ſi dixero, nihil à vero alienum me dicturum exiſtimo. Scio ex Sacrario Agrippinæ Fr. Erhardi Winheimij Cartuſiani, quid Colonienſes: ſcio ex Nicolao Serario, quid Moguntini; ſcio ex Laurentio Beyerlinck, quid Aquisgranenſes, Antverpienſes, Neapolitani, Andecenſes & alij, de Sacris Pignoribus habeant; ut tamen noſtra ſive multitudine, ſive excellentiâ & raritate ſuperent, non video. Teſtis locupletiſſimus mihi eſt P. Bohuslaus Balbinus è Societate JESU, limati vir judicij, & lectionis, propè dixerim, infinitæ; cujus in Vita Ven. Arneſti I. ArchiEp. Prag. verba ſunt iſta: *Vix credo Urbem ullam in Europa eſſe (unam Romam excipio) in qua tam rara, & tot Sanctorum Lipſana, atq; etiam ad Chriſtum, & ejus Matrem Virginem pertinentia, invenire pius Peregrinus poßit, ſicut Pragæ in Eccleſia Metropol. Nemo me ignarum hujusmodi rerum ſcribere opinetur: legi quæ Aquisgrani, Coloniæ, Venetijs, in S. Monte ad Monachium, alibiq; ſervantur; nihil (audacter & certiſſimâ fide, & comperta ſcribo) nihil ad haſce noſtras, id quod æquo Lectori probari poſſe, certum habeo.* (b) Et alibi: *Quem non moveant tot Sanctorum Corpora, & cæleſtes Exuviæ à Carolo IV. toto Orbe quæſitæ, & in arcem Caroli compoſitæ, quibus raritate & ſingularitate rerum pares (ſcio quid ſcribam) vix hodie ulla Civitas habet, ut mecum ſentiunt Eruditi: à Roma vincimur, pluribus alijs nihil concedimus.* Ita ille. Reliquum eſt, ut Ss. Reliquiarum omnium, quarum excellentiâ & copiâ fuimus aliquando non ſine vicinorum populorum admiratione glorioſi atque ſpectabiles, juxta ac earum, quibus etiamnum gaudemus, ac jure merito gloriamur, Syllabum videamus.

ſed longè omnium Praga.

Hæ erant tam multæ & variæ, ut in tres peculiares claſſes diſtri-

Ss. Reliquiæ in Bohemia triplices: Cathedrales,

(b) *Balbin. in Vita Arneſti I. ArchiEp. Prag. lib. 2. in Notis ad Cap. 13. Id. in Auctuar. I. Hiſtoria S. Montis cap. 1. & 5. §. 2.*

diſtribuerentur. Primæ ad *Eccleſiam D. Viti Cathedralem*, poſtea in Metropolitanam erectam, propriè pertinentes; quas jam à tempore, quo Bohemia excuſſo gentilitatis jugo, Evangelij lucem videre cæpit, gentis Principes, Epiſcopi, demum etiam Reges, ac tandem Carolus IV. Imp. è diverſis Europæ partibus, magnâ induſtriâ comparatas, eidem Eccleſiæ, tanquam cæterarum in Regno Eccleſiarum principi & Matri, piâ liberalitate contulerunt.

Karlſteinenſes &

Aliæ *Carlſteinenſes*, & quandóque etiam *Reliquiæ Regni* dici ſolitæ, quód in arce Carlſteina, penes Regiam Coronam, Tabularium, Privilegia & κειμήλια quæq; Reipubl: præſtantiſſima, in Sacello S. Crucis, ſive Coronæ Regiæ, miræ pulchritudinis & ſplendoris ſanè incomparabilis, à Carolo IV. eum in finem, ſicut & ipſam arcem, magnificè extructo, ut plurimùm aſſervari conſveviſſent: quas idem Carolus Imp. ſtudio ingenti toto Orbe quæſitas, & quà pretio, quà prece à diverſis impetratas & collectas, Regno Bohemiæ donavit. De hoc pio Caroli in conquirendis Ss. Pignoribus ſtudio, innuit aliquid Trithemius Abbas, celebris ante duo ſæcula Scriptor, hiſce: *(c) Anno 1356. Conventu Metis ſoluto, Carolus Imp. cum uxore tranſivit de Civitate in Civitatem, & de Monaſterio ad Monaſterium, Sanctorum Reliquias ubiq; diligentiſſimè inquirens; & ex inventis multas, precibus quas nullus ſpernere potuit, obtinuit, quas ad gloriam & decorem Eccleſiarum gentis ſuæ, in Bohemiam invexit.*

Imperiales

Tertiæ *Imperiales*, quòd à Carolo Magno Imperatore magna ex parte comparatæ, inter primaria Imperij Cimelia haberentur, per Carolum IV. acquiſitæ, & poſt Ludovici Bavari ExImp. mortem, Monachio Pragam translatæ: De his agemus omnium primò.

Auguſtalia hæc Cimelia toti Germaniæ honoratiſſima, exiſtimabantur ſemper, tanquàm *fatale Imperij pignus*, & Palladij

(c) *Tritbem. in Chron. Hirſaug. Serarius Moguntiacar. rer. lib. 5. in Gerlaco.*

dij inſtar, vel aureæ quondam apud Cæſares Romanos Fortunæ, ab Imperatore ad Imperatorem, velut præſentiſſimæ Imperatoriæ dignitatis σύμβολον deferebantur. Anno 1350. Dominicâ Palmarum, Pragam ex Bavaria ſunt allatæ, & primò in Baſilica Wiſſehradenſi depoſitæ: ubi cûm minùs paterent populi frequentiæ & pietati, Carolus ut earum cultum liberiore comprecantium affluxu, & loco ſanctioris reverentiæ augeret, ſolenniſſimâ pompâ ad Metrop. Divi Viti Templum eas transferri voluit. Id factum Feriâ VI. poſt Dominicam in Albis, publicâ ſupplicatione per Arneſtum ArchiEp. inſtitutâ; cui Cæſar ipſe cum magno Procerum comitatu præſens aderat, populus verò Pragenſis totus ad earum venerationem effuſus ſpectabatur. (*d*) Scimus hæc ab Hageko, Lupacio, & alijs referri ad an. 1349. ſed apud nos plus faciunt litteræ Ludovici Marchionis Brandeburg. & Bavariæ Ducis, filij Ludovici ExImp. in teſtimonium, quod haſce Ss. Reliquias Imperiales integrè omnes Carolo Imp tradat, datæ; quarum autographum Teutonico ſcriptum idiomate, in Capituli noſtri Archivo hodiéque ſervatur; quod in Latinum translatum ſic habet.

Pragam allatas an. 1350. miſſas.

„ Nos Ludovicus DEI Gratiâ Marchio Brandeburg. & Luzicenſis, S. Rom. Imp. Supremus Camerarius, Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ & Carinthiæ, Comes Tyrol: & Goricienſis, Supremus Advocatus Baſilicarum Aquileg. Trident: & Brixiæ. Affirmamus & palam facimus his litteris, quòd pro nobis & omnibus noſtris Fratribus, die Veneris ante *Judica*, dum hæ datæ ſunt, Sereniſſimo Principi, & Illuſtriſſimo D. noſtro, D. Carolo Romanorum Regi ſemper Auguſto, & Regi Bohemiæ fideliter & in veritate, *Reliquias Sacri Imperij*, unà cum alijs adjunctis Cimelijs: nimirum, unam *auream Crucem* pretioſis lapidibus & unionibus ornatam, integram & inviolatam, & in qua Cruce eſt *Lancea unà cum clavo Domini noſtri*; in illa eſt etiam pars *Sanctæ Crucis*, unus *Dens S. Joannis Baptiſtæ* in cryſtallo & S. *Annæ brachium*; adſunt

Caroló IV. à Ludovico Duce Bavariæ filio Ludov. IV. Imp.

Eee 2

(d) *Cruger. ad d. 31. Martij.*

„ ſunt quoque ſpeciatim *duo gladij, unus* S. *Mauritij, & alter*
„ *S. Caroli* in deauratis vaginis; adeſt etiam ſingulariter in-
„ tegra & inviolata, præfati S. Imp. Caroli, *aurea Corona cum*
„ *arcu & Cruce*, pertinentia ad illam, texta de varijs pretioſis
„ lapidibus & auro, in qua ſingulariter pretioſus eſt lapis in-
„ textus, qui vocatur Candidus. Adeſt quoque *candida toga*
„ S. *Caroli*, in manicis contexta lapidibus & unionibus; & u-
„ num *pallium S. Caroli* cum duobus leonibus, contextum ex
„ auro, lapidibus & unionibus; adeſt etiam *aureum pomum*,
„ unà cum aurea Cruce S. Caroli, & ambæ ejus *chirotecæ* cum
„ lapidibus, unionibus & auro; & argenteum *Sceptrum*. Adeſt
„ etiam grandis *annulus* cum ingenti pyropo, quatuor zaphy-
„ ris, & quatuor unionibus, quod eò devenit ab uno Duce
„ Brunſvicenſi; adeſt etiam *alter annulus* cum uno pyropo, &
„ *tria aurea calcaria*. Etiam adeſt unum deauratum *pomum*
„ cum una Cruce, & de aurato ſceptro, unum *thuribulum* au-
„ reum, duæ benè candidæ partes ceræ, & unum *calefactivum*
„ *pomum*; adeſt etiam *cærulea toga* contexta in manicis auro
„ & unionibus, & alia *phœnicea toga* cum nigris Aquilis, &
„ unus globus, *duæ chirothecæ* & *duo calcei* ejusdem coloris;
„ adeſt etiam *una ſtola* contexta auro, lapidibus & unioni-
„ bus, & *altera ſimplex ſtola*; adeſt etiam unum deauratum
„ *ſcrinium*, in quo eſt unum inſtrumentum ſeu teſtimonium, &
„ una cryſtallus cum Reliquijs, & una aurea vacua crucula;
„ hæc propriè ſpectabat ad piæ memoriæ noſtrum charum Do-
„ minum & Patrem Imperatorem Ludovicum: completè, ſine
„ diminutione & permutatione tradiderimus, in omni ea men-
„ ſura, prout nobis eas præfatas Reliquias, noſter piæ memo-
„ riæ charus Dominus & Parens Ludovicus reliquit: & hoc
„ ſumimus ad juramentum & homagium, quod ſacro Romano
„ Imperio præſtitimus, cum atteſtatione harum; quæ datæ
„ ſunt Monachij, poſt Chriſtum natum, anno 1350. Die Veneris
„ ante, *Judica*. Eundem annum 1350. habet, Chronicon Weit-
„ milij Canonici noſtri; & ex illo Crugerius, in Sacris Memo-
„ rijs Regni Bohem. ad 21. Martij.

Pri-

Primùm itaque in Eccleſia Metropol. deinde in arce Carlſteinenſi, cum alijs Regni Cimelijs, utpote loco ſecretiori, & ab hoſtium vi ſecuro ſervabantur Ss. Reliquiæ Imp. ſubinde verò, & quidem annis ſingulis, die determinato Pragam ad templum Corporis Chriſti, ob id à Carolo conditum delatæ, populo & peregrinis tantâ frequentiâ, ut aliquando centum millia hominum numerarentur, convenientibus, publicè viſendæ exponebantur.
„ Erat is dies à Pontifice Maximo Innocentio VI. Reli-
„ quijs Sanctorum, ac præcipuè Lanceæ, quæ in Chriſti Corpo-
„ re ſtiterat, alijsq; inſtrumentis Divinæ mortis honorandis de-
„ ſtinata, Feria VI. poſt octavam Paſchæ. Qua de re pia om-
„ nino, & pereruditа ejusdem Pontificis ad omnes Chriſti fi-
„ deles Adhortatio ſcripta eſt: cujus partem aliquam in Sa-
„ cerdotalium precum librum, Lectionum vice, ùt vocant, Ec-
„ cleſia Pragenſis tranſtulit, & recitat. De earum veneratio-
„ ne, æſtimatione pióque colendi ritu, Arneſtum Pragenſem
„ ArchiEp. Epiſtolam itidem edidiſſe & ſparſiſſe in vulgus, tra-
„ dit Lupacius. Tanta verò ad eam diem Pragam, ex omni
„ propè Europa hominum affluebat multitudo, ut centum mil-
„ lia Peregrinorum, uno die aliquando numerata in portis fu-
„ iſſe, & panem totâ Urbe defeciſſe, teſtentur Hiſtoriæ. (e)

Feſtum Reliquiarum in Bohemia per Innoc. VI. Papam inſtitutum.

Has Imperiales Reliquias, per Carolum IV. comparatas & ſucceſſu temporis magis adhuc auctas, cùm poſtmodùm initio turbarum Huſſiticarum, impijſſima hæreſis terribilibus ſumptis armis, humana divinis confundendo, omnia in Regno ſurſum atque deorſum miſcere cæpiſſet, amiſimus: Sigismundus enim Imperator & Bohemiæ Rex, eas ſecuritatis gratiâ Normbergam, Urbem tunc Catholicæ Religionis obſervantiſſimam an. 1420. tranſtulit, & pecunijs in ſumptus belli, quod contra Bohemos parabat egens, Normbergenſibus pro 50. florenorum millibus anno ſequenti oppignoravit: ubi in præſentem usque diem, ſed ſine veneratione & cultu, auro inſuper, argento cæteróque pretioſiſſimo ornatu à Lutheranis ſpoliatæ,

Reliquiæ Imperiales ex Bohemia Normbergam translatæ.

(e Balbin. in Hiſtoria S. Montis Auctuar. l. cap. 5. §. 2. pag. 38.

tæ, (*f*) ſervantur. Quod Sigismundi factum Bohemi Proceres ægerrimè tulerunt, ita, ut poſtmodùm inter alias abrogatæ illi Coronæ Bohemicæ cauſas, in publico Czaslaviæ conventu an. 1421. etiam hanc ordine Undecimam apponere non dubitarent: quòd Imperiales Reliquias, quas Carolus IV. Imp. magno labore, magnisque impenſis comparatas in Bohemiam attulerat, & quæ hactenus toti Regno maximo decori fuerant, ille absq; conſenſu publico, extra Regnum educi curaverit. (*g*) Erant porrò præcipuæ: pars magna S. Crucis: Lanceâ, quâ fuit in Cruce latus Domini transfixum: clavus quo fuit Dominus Cruci affixus; tres (juxta alios, quinq;) ſpinæ de Corona Domini; pars Mappæ ultimæ Cœnæ Domini; pars de cunabulis Naſcentis: brachium S. Annæ, dens S. Joannis Bapt. &c.

ubi hodiéque ſervantur, & Rebdorffenſis memorat ſe vidiſſe anno 1361. Norimbergæ hæc inſignia Imperialia. *Ferrum lanceæ, quæ transfixit latus Christi: cui præterea aderat clavus, cum aliquali petia, ſive particula ligni S. Crucis, qui tranſivit manum Chriſti. Item gladius Caroli Magni primi Imp. & Corona, quâ coronatus eſt in Imperatorem à Leone Papa III. Item gladius Mauritij Martyris. Item petia brachij S. Annæ Matris Mariæ Virginis; & dens Joannis Baptiſtæ. Item petia chordæ, quâ Chriſtus fuit ad columnam ligatus; Spongia, quâ fuit in Cruce potatus; & aliæ plures Reliquiæ.*

Leo de Rosmital Baro Bohemus, Joannæ Reginæ quæ erat Georgij Regis conjunx, germanus frater, Supremus Regni Judex, in ſuo Itinerario an. 1465. per quendam è ſuis comitibus, idiomate Bohemo conſcripto, ac demum poſt annos centum, per Stanislaum Pawlowsky Præpoſitum Brunenſem, Canonicum & poſtea etiam Epiſcopum Olomucenſem, in Latinum translato, inter alia quæ Normbergæ, viderat, de SS. Reliquijs hæc referri juſſit. (*h*) *Normbergæ duos dies commorati ſumus, & has SS. Reliquias ſpectavimus.*

Pri-

(f) *Chriſtian. Erdtman. libro de SS. Reliqu. Noriberg.* (g) *Hagek in Chron. Bohem. ad an. 1421. Goldaſt. in Append. Documentor. Commentar. de Regni Bohem. Privileg. pag. 91.* (h) *Commentar. Itineris D. Leonis de Koſmital & Blatna ad init.*

Primò, monſtratum eſt nobis præſepe, in quo Genitrix DEI infantem JESUM poſuerat; deinde cubitus S. Annæ, & Dens S. Joannis Baptiſtæ; item fruſtulum ligni de S. Cruce, in qua Chriſtus crucifixus fuerat, & clavus dextræ manus, quo idem Cruci affixus erat. Poſtea oſtendebatur nobis gladius Divi Mauritij, itémq; alius enſis Divi Caroli Imp. qui ipſi cælitùs à DEO datus eſſe dicitur, ut eo adverſus hoſtes ſuos Ethnicos uteretur; ejuſdémq; calcaria, ocreæ, calcei. Vidimus deinde catenas Ss. Petri & Pauli, qui pro nomine Dei paſſi ſunt. Deinceps conſpeximus Lanceam, qua divinum Latus Chriſti trans verberatum fuerat. Super eam Sacerdotes annulos noſtros ponebant, ut qui dolore vel punctione lateris infeſtarentur, præſens & certum apud ſe remedium haberent. Præter eas, multæ aliæ Ss. Reliquiæ Domino, comitibúsq; ejus monſtrabantur, quæ hoc loco aſſignatæ non ſunt. peregrinis ſub inde oſtendûtur.

Dubravius lib. 22. Hiſtoriæ Bohemicæ, ubi de Carolo IV. Imp. ſermo eſt; *Conſueverant*, inquit, *Cæſares inſignia Cæſarum, cum Sanctis quibusdam Reliquijs apud Succeſſores deponere, quæ tunc omnia Ludovicus Brandeburgicus, poſt obitum Patris Ludovici Imp. in ſua poteſtate habuit; videlicet Lanceam, quâ perfoſſum fuit corpus Domini, dexteram portionem S. Crucis, cum uno clavo & Mappa, quâ ultima Menſa Domini ſtrata fuit, ac gladium Caroli Magni, & alia plura; non magni videlicèt cuncta pretij apud talium contemptores; at apud Carolum (*IV. Regem Bohemiæ*) in tanto pretio poſita, quanto nulla res profana, vel pretioſiſſima. Quapropter Ludovico inveſtituram & poſſeſſionem Marchiæ Brandeburgicæ, abſq; mora conceſſit ac confirmavit.*

A Godefrido Viterbienſi, parte XIX. Chronici, hæc inſignia enumerantur, ſimul & explicantur. *Crux, Lancea, gladius S. Mauritij, à Boſone Rege Arelatenſi, Othoni Magno Imperatori donata: Globus aureùs, & crux globo impoſita: Diadema ſeu corona.* Exſtat libellus ſermone Germanico de Reliquijs Imperialibus quotannis Feria VI. poſt Dominicam in Albis Norimbergæ olim monſtratis, & ad publicam venerationem exponi ſolitis, in quo iſtæ Reliquiæ enumerantur. I. *Fruſtillum de præſepi* Normbergenſium quondam pietas, & erga SS Reliqv. veneratio ac cultus.

ſepi Domini. 2. Brachium S. Annæ. 3. Dens S. Joannis Baptiſtæ. 4. particula de veſte S. Joannis Baptiſtæ. 5. particula de triplici genere catenarum, quibus SS. Apoſtoli Petrus, Paulus & Joannes diverſis temporibus, & carceribus vincti fuère. Et hæc quidem ſacra Lipſana, primo miſſu ſpectatoribus, ordine quo enumerata ſunt, ad ſpectaculum & cultum exhibebantur.

Secundo miſſu proferebantur, quæ ad Imperialia ſtemmata & dogmata potiſſimùm ſpectant. I. *Corona Imperialis referta Sacris Reliquijs diverſorum miraculorum operatricibus. II. varia veſtimenta Regalia, Dalmatica, ſtola, cingulum, ſceptrum, & alia, univerſim circiter viginti inſignia, ceu Cimelia. III. Gladius Caroli Magni, quem ad Domini prælia fortiter præliandà cælitùs ab Angelo acceperat. IV. Gladius S. Mauritij Thebeæ Legionis fortiſſimi Ducis.*

Tertio miſſu oſtendebatur I. *Particula de Mappa menſaria, quâ in ultima cœna Dominus uſus eſt. II. Particula de linteo, quo Dominus præcinctus fuit, quando Diſcipulorum pedes lavit. III. De Corona ſpinea ſpinæ quinq;, tribus hierothecis ſeu Monſtrantijs incluſæ. IV. Notabilis portio de S. Cruce. V. Lanceæ ferrum ſeu cuſpis, quo Sacroſanctum Latus Chriſti in Cruce pendentis apertum eſt, cui innexus clavus unus, ex illis, quibus Dominus cruci affixus fuit. VI. Crux magna & pretioſa, utpote variarum Reliquiarum theca.* (*i*)

Karlſteinenſes Reliquiæ cum Imperialibus, Altera Ss. Reliquiarum claſſis eſt *Carlſteinenſium*, quas, uti diximus, Carolus IV. magno ſtudio, nec minore pietatis Zelo conquiſitas Regno donavit: & quæ duobus ſeculis & ampliùs ab hoſtium injuria, præſertim hæreticorum, in Templa ſacráq; pignora crudeliter debachantium furore, peculiari Dei beneficio conſervatæ (tametſi aliquâ parte, auro & argento ab aduncis manibus ſpoliatæ) in hunc usque diem magna in reverentia habentur. Olim quotannis, ſicut Imperiales, Feriâ VI. poſt Dominicam in Albis, magna cum ſolennitate, in templo Corporis Chriſti Neo Pragæ, ex editiore loco, & uti ferunt, extru-

(*i*) *Beyerlink lit. R. pag. 285.*

tructo ſupra tectum templi circa turrim, quæ in medio prominet, theatro, populo in foro pecuario longè latéque circumſtanti oſtendebantur; tantâ aliquando hominum, ex Regno & vicinis Provincijs, ad eam diem confluente multitudine, ut non ſemel (prout ſupra dictum) panis Pragæ deeſſet, piſtoribus, ut in conficiendo pane ſatisfacerent omnibus, nequaquam ſufficientibus; fueritq; etiam à Pragenſibus ſedulò & armis vigilatum, ne ob tantam exterorum multitudinem, tumultu alicunde exorto, Urbs aliquod detrimentum pateretur. *(k)* Tantam peregrinorum copiam, plurimùm emolumenti attuliſſe Civibus Pragenſibus, dubium nullum eſt: qui non ſolùm ejus conſervandi, verùm etiam augendi deſiderio flagrantes, anno 1379. à Wenceslao Cæſare & Rege impetrârunt, ut ſacerrimus hic theſaurus, deinceps in præmemorato loco Corporis Chriſti, in ſubterraneis ad hoc ex conſtituto pro majore ſecuritate præparatis cryptis, depoſitus ſervaretur, quò magis peregrini, maximè verò altioris Ordinis advenæ, ad eum, etiam extra præfinitum tempus, viſendum pertraherentur. Hinc cùm anno 1410. gliſcentibus in Urbe circa religionem ſeditionibus & turbis, ac de die in diem invaleſcentibus, idem Wenceslaus Rex ſecuritati ipſius proſpicere cupiens, illum de præfato templo tolli, & Carlſteinam veluti ad natale hoſpitium & ſecuritatis portum, deferri juſſiſſet; quod non multo poſt, uti meminimus Radio II. etiam cum Metropolitanis fecit; gravia exinde, ad ſummam obtrectationem & deſpectionem Majeſtatis Regiæ, exorta fuerunt inter Pragenſes murmura, querimoniæ, lamenta, multique ſermones acres, facti hujus occaſione ultro citróque habiti, pleni irarum & contumeliæ, quibus ipſe mollis inertiæ, ac neglectæ Reipub. infamiâ indignum in modum lacerabatur.

ſingulis annis Pragæ publicè oſtendebantur, Feriâ VI. poſt Dom. in Albis,

hominum accurſu ingenti

quam Solemnitatem hæreſis interveniens turbat;

Allatæ Carlſteinam, ſervabantur ibi toto illo è veſtigio ſequenti perturbatiſſimo tempore, quo inteſtinis diſcordijs &

Fff civi

(k) *Hagek ad an. 1369. & 1388.*

civilibus armis fuerat, potiſſimùm religionis cauſâ,dimicatum acerrimè, ad annum uſque 1437. Hoc enim Sigismundus Imp. non ita pridem à Bohemis ad clavum Regni admiſſus, ideóq; commodam non tantum pacis & ocij parandi, ſicut & regiminis ſui firmandi ſtabiliendique occaſionem, verùm etiam religionis Catholicæ in priſtinam faciem reſtituendæ, facultatem ſe nactum exiſtimans; ut inter alia avitæ pietatis exercitia, etiam ad cultum Sanctorum, & Reliquiarum ipſorum Pragenſes reduceret; has Carlſteinâ anno ſupra memorato Pragam adferri, & Feriâ VI. poſt Dominicam in Albis, pro veteri more, per Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem Rhotomagienſis Provinc æ, tunc BaſilienſisConcilij plena cum poteſtate perBohemiam Legatum, in templo Corporis Chriſti ſpectandas exponi juſſit. *(l)* Nec poſtea unquam fuerunt in publico viſæ,recrudeſcente hæreſi, & domeſticarum ſeditionum incremento magis ac magis invaleſcente, ſed Carlſteinam deportatæ, toto illo temporum tractu, ad uſque nuper anno 1618. exortam, triſtem inceptu, triſtiorem exitu Metamorphoſim, manebant ibidem penes Cimelia Regni continuò per duo ſecula reconditæ. Aliquas tamen, eſtò paucas valdè, & in Regum duntaxat Coronationibus, fuiſſe ſubinde publicè oſtenſas, invenio: de quo inferiùs.

Sigiſm. Imp. aliquantùm renovat.

Anno deinde 1629. Joannes Kawka de Rziczan, illuſtris ac pervetuſtæ in Bohemia gentis Baro, dum â Ferdinando II. Imp. Carlſteinam cum ſuis pertinentijs,in uſum fructum hypothecario ut ajunt contractu accepiſſet,Ss.hujus theſauri,ne in alienas manus veniret,néveCoronæ & aliorum Regni cimeliorum exemplo,aliò aſportaretur,unde fortaſſe nunquam niſi magnâ ſui parte mutilatus reſtitui poſſet, curam ſuſcepit ſingularem; quâ effecit, ut illum, fervente licèt bello Saxonico, diutiùs verò Svedico, tam Regno Bohemiæ, quàm finitimis circumquaque luctuoſo, ab omni penitus jactura illæſum inviolatúmque Patriæ

ReliquiæKarlſtein. diu ignotæ latent,

(l) *Hagek ad an. 1437. Lupac. in Ephemerid. ad 12. Aprilis.*

triæ ſuæ, memorabili ſanè ad omnem poſteritatem pietatis exemplo conſervaret, ad annum uſque 1645. quo poſt obitum ipſius, detectus & in lucem prolatus, (neque enim ulli conſtare poterat, ubi latuiſſet hactenus) juſſu Ferd. III. Imp. primùm in templo D. Thomæ Apoſtoli in Minori Urbe Prag. eſt depoſitus, ac inde magnâ ſolemnitate, magnóque omnium Ordinum applauſu, Dominicâ infra Octavam Aſſumpt B. Virginis, die 20. Auguſti, in Metropolitanam S. Viti Eccleſiam translatus; ubi hodiéque in Divi Wenceslai Sacello, in ara principe honorificentiſſimè aſſervatur, & à Fidelibus quotidie magnâ pietate & frequentiâ colitur. Ut porrò hujus celeberrimæ Translationis jugis & continua maneret memoria, atque priſtina erga Ss. Reliquias tanto citiùs reſuſcitaretur in animis Fidelium pietas, inſtitutum eſt Feſtum Solenne, ad gloriam DEI Omnipotentis, & honorem Beatiſſimæ Virginis, ac omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ in Metrop. D. Viti Templo aſſervatæ exiſtunt, quotannis die Dominicâ proximâ poſt Feſtum S. Bartholomæi Ap. idq; ſub ritu Duplici primæ Claſſis, per totam Archidiœceſim quàm devotiſſimè celebrandum.

revelantur, & ad Metropol. Prag. in Sacellum S. Wenceslai honorificentiſſimè transferuntur, an. 1645.

FeſtumTranſlat. earund. inſtituitur.

Jam Cathalogum ſeu enumerationem Carlſteinenſium, de quibus ſermo nobis eſt, videamus; quæ profectò rariſſimæ ſunt & illuſtres, ac non paucæ notabilis magnitudinis. Operæ pretium verò, nec alienum à propoſito me facturum arbitror, ſi priùs veterem earundem conſignationem, juſſu Wladislai Regis, à Joanne Stradomirio Carlſteinenſi Decano, anno 1515. factam, quam manu ipſius propriâ conſcriptam habeo, & quam ſucceſſor ejus Wenceslaus Hagek in paralipomenis operis ſui Chronologici, tametſi non integrè ſatis, ex Latino in Patrium idioma translatum recenſet, pijs Lectoribus cognoſcendam propoſuero. Ita refert ille.

Anno Salvatoris noſtri JESU Chriſti M. D. XV ex mandato Sereniſſimi Principis D. D. Wladislai Regis Ungariæ & Bohemiæ. Ego Joannes Stradomirius Decanus Carlſteinenſis, Vice Comes & Palatinus Sacri Palatij Lateranenſis, has Reliquias Imperiales & Regias conſcribere juſſus, ut memoria earum & numerus non pereat, ſed in æternum vivat. Sunt au-

Conſcriptio earundem in arce Karlſt. facta an. 1515.

rem aliæ, quæ ad Regnum pertinent, aliæ quæ in cuſtodia Decani & Canonicorum eſſe debent, uti priùs erat; omnium Catalogus ſpecificabitur & oſtendetur.

I. Sunt *Duæ Veronicæ* in tabula aurea, ad inſtar illius, quæ Romæ oſtenditur ad S. Petrum, quam Carolus IV. Romæ depingi juſſit cum omni diligentia:

Alia ſimilis primæ, ſed horribilior, in ligno etiam per Carolum IV. acquiſita.

II. Sunt *duæ Cruces*, ambæ ſine pedibus pro nunc; priùs enim habuerunt pedes optimos fabricatos, qualiter perditi ſunt, in fine Reliquiarum lucidiùs deſcribetur.

In prima Cruce, quæ ponderat X. millia Ducatorum Hungaricalium puri auri, ſunt hæ Reliquiæ pretioſæ: de ligno Dominicæ Crucis, ubi adhuc foramen apparet, pars ſatis magna & lata: pars de clavo pedum. Reliquiæ *S. Joannis Baptiſtæ*, de junctura digiti, quo demonſtravit: *Ecce Agnus DEI! S. Annæ*, & aliorum Sanctorum cum titulis ſuis: & Spina de Corona Chriſti. Habetur etiam particula veſtis purpureæ, in qua fuit irriſus Dominus noſter.

In altera Cruce, quam Innocentius Sextus, Carolo IV. dono dedit, ſunt Reliquiæ etiam precioſæ: de *Sudario*, cum quo Chriſtus fuerat coopertus in Cruce: de *Fune*, quo fuerat ligatus ad ſtatuam, & aliæ Reliquiæ: pars de *Spongia*, quâ fuerat potatus in Cruce.

Sunt etiam utraque in Cruce magni lapides pretioſi, & margaritæ ſatis magnæ, ſapphiri, ſmaragdi, pallaſij: ut deſuper Schedula habetur à Regnicolis & Officialibus. Item duo clavi de Archa Noë pendentes ante magnum Altare. Crux hæc minor, eſt etiam de puro auro, ornata ſatis pretioſis lapidibus.

Et iſtæ duæ Cruces cum Veronica, ſunt Regni totius: aliæ omnes Reliquiæ fuêre in cuſtodia & poteſtate Decani & Canonicorum.

III. Sunt lapides diverſi & Virgæ: lapis de loco, ubi natus eſt: alius, ubi aſcendit in Cœlum: alius, ubi ſanguinem ſudavit: alius de Sepulchro Chriſti: unus lapis, quem diabolus dixerat & voluit, ut Chriſtus in panem converteret: alius de loco, ubi Chriſtus crucifixus eſt. Pars Virgæ Moyſis, quâ diviſerat Mare & petram, de qua aquæ dulces emanaverunt. Pars de Virga Aron, quæ floruit: Crux de ligno Arcæ fæderis.

Reliquiæ Mariæ Virginis Glorioſæ.

Eſt *peplum Intemeratæ Virginis Glorioſæ*, in tabula deaurata; particula ab eadem abſciſſa & ablata in uno angulo, neſcitur per quem. Ciſtula parva argentea deaurata, in qua etiam eſt *pars pepli, in quo Beata Virgo Maria ſub Cruce ſtetit tempore paſſionis Chriſti:* ibidem apparent *tres guttæ* Cruoris, quæ de Corpore Chriſti effluxerunt. Sunt etiam *Crines Beatæ Vir-*

ta Virginis, cum lacte ejusdem; & pars illius *Candelæ*, quando mortua fuit Beatiſſima Virgo, & pars *Palmæ*, quæ ferebatur ante feretrum. Etiam particula *Camiſiæ* ejus, & aliæ de *Veſte, Cingulo, & tunica* ipſius. De loco, ubi B. Virgo obdormivit in Domino: de Sepulchro ejus.

Corpora Sanctorum & Sanctarum.

SS.
- *Palmatij* M. Trevir. &
- *Euphemiæ* V. & M. iſta duo ſunt ſub poteſtate Decani in Capella S. Palmatij.
- *Juſtinæ* V. & M. acceptum ex Capella S. Palmatij.
- *Sapientiæ* V. & M.
- *Arnolphi* Metenſis Ep.

Capita SS.

SS.
- *Philippi Ap.* in argēto deaurato.
- *Timothei*, & *Baſilij Magni*: ſuper hæc tria Capita ſunt literæ teſtimoniales cum tribus ſigillis.
- *Affræ M.* concrematum.
- *Roſæ V.* & M. ex Societ. XI. mill.
- *Palmatij M.*
- *Euphemiæ V. & M.*
- *Juſtinæ V. & M.*
- *Sapientiæ V. & M.*
- *Romani M.* quem baptizavit S. Laurentius.
- *Maluſij M.* ex legione S. Mauritij.
- *Pauli* primi Eremitæ (hoc datum poſtea fuit Ludovico Regi anno 1523. dum Pragâ reverteretur in Hungariam.)
- *Dionyſij Ep.* Auguſt. & M.
- *Reginæ V. & M.* ex Societ. XI. mill.
- *Chriſticolæ V. & M.* ex ead. Soc.
- *Suſannæ V. & M.* ex ead. Soc.

Aliarum Ss. ex ead. Soc. capita ſeptem.

S. Antoniæ V. & M.

Unius de *Triginta millibus MM.* & militum.

Item, partes de Capit.

SS.
- *Viti*, & duo oſſa de humeris ejusd.
- *Simonis & Judæ.*
- *Coſmæ & Damiani.*
- *Mariæ Magdalenæ.*
- *Calixti Pap. M. Leodegar. Ep. M.*
- *Hermetis M. Primi Ab.*
- *Geminiani Ep. Theodori M.*
- *Martini Ep. Udalrici Ep.*
- *Fabiani & Sebaſtiani.*
- *Felicis & Adaucti.*
- *Decem millium* militum.
- Reliquiæ *S. Ignatij M.* in una parva monſtrantia arg. deaurata.

Dentes SS.

SS
- *Margarethæ* V. & M.
- *Apolloniæ* V. & M.
- *Catharinæ* V. & M.
- *Stephani* ProtoM.
- *Stanislai* Ep. & M.
- *Mauritij* M.
- *Dionyſij* Ep. & M.
- *Antonij* Ab.
- *Urbani* Papæ & M.

Mandibulæ SS.

S. Clementis Papæ M. cum tribus dentibus.

Ss { *Petri* Apoſt. mandibulæ pars, in theca arg. deaurata per modum monſtrantiæ.
Burghardi Ep. cum duobus digitis.
Benignæ V. & M. }

Manus & Brachia SS.

Ss. { *Reginaldi* de Monte Albano brachia duo in argenteis thecis deauratis.
Matthæi Ap. & Evang. adhuc cum cute in arg. theca deaurata.
Anonymi cum litteris Græcis, etiam in arg.
Joan. Chryſoſtomi / *Luciæ V. & M.* / *Roberti Comitis.* / *Achatij M.* } in arg. thecis deaur.
Stephani ProtoM.
Lucæ Evang. *Procopij Abb.*
Mar. Magd. & *Lazari* Fr. ej9.
Longin. Mil. & M. *Nicaſij M.*
Florentij M. *Palmatij M.*
Euphemiæ V. & M. *Gereonis M.*
Pij Papæ M. *Ruperti* Ep.
Antonij Erem. *Valent.* Ep. & M.
Burchardi Ep. *Juſtinæ* V. & M. }

Pedes, digiti, juncturæ SS.

Ss. { *Catharinæ* junctura pollicis, in catenula aurea pendens in cryſtallo.
Nicolai digitus cum cruore modico in alabaſtro deaurato
Burghardi Ep. duo digiti.
Chriſtophori junctura digiti, in ciſtula parva argentea.
Pes integer una cum pelle & carne, alicujus Sancti Anonymi. }

Reliquiæ SS. & Sanctarum.

diverſæ ſatisque magnæ; & aliquæ parvæ in Ciſtulis, Apoſtolorum & multorum Sanctorum in cryſtallis ſuis.

Reliquiæ in ciſtula parva *SS. Apoſtolorum*, & omnium Evangeliſtarum cum titulis ſuis: Item *Decem millium militum*, & aliorum SS. in una Monſtrantia parva abſque pede, in qua eſt Sapphirus & margarita ſatis magna: *S. EmerammiM.* in argento deaurato, inſtar turris parvæ: Vexillum *S. Georgij* rubeum ſericeum cum alba Cruce, quod portavit poſtquàm Draconem interfecit: Scyphus *S. VVenceslai* deauratus lign: us.

Reliquiæ *SS. Thebæorum, Mauritij, Candidi, Victoris.* & aliorum cũ titulis ſuis, *S. Hermagoræ* Eremitæ, *S Floriani* M. in argento deaurato; *S. Venceslai* in uno Pacificali argenteo: lapis Corralius magnus in argento, qui dicitur fuiſſe de theſauro Caroli IV.

Una theca cum Reliquijs ſuis, lapidibus pretioſis ornata: Colare deauratum*S. Venceslai*: unus lapis Brunaticus pretioſus in argento: de lorica *S. Gandolphi*: Reliquiæ in una ciſtula parva deargentata cum cæteris Reliquijs; pars veſtis *S. Claræ*. Reliquiæ *S. Floriani M. S. Luciæ, S. Martini, & SS. Quinq; Fratrum*, & de veſtimentis eorundem, in quibus celebrabant.

Reliquiæ SS. Martyrum.

S. Clement. Papæ. Mart.
Decem Millium Militum.
S. Chryſogoni. *S. Pangratij.*

S. Fa-

SS.
Fabiani & Sebaſtiani.
Euſtachy. *Theodori.*
Vincenty. *Eraſmi.*
Laurenty. *Victoris.*
Kiliani. *Hippolyti.*
Chriſtophori. *Colmanni.*
Bonifacy. *Thomæ Cantuar.*
Valentini. *Innocentum.*
Coſmæ & *Damiani.*
Saturnini. *Oſwaldi* Reg. Ang.
Geneſij. *Donati.* *Maronis.*

Reliquiæ Ss. Confeſſorum.

SS.
Nicolai. *Martini.*
Fortunati. *Fauſtuli.*
Hieronymi. *Ambroſij.*
Gregory. *Auguſtini.*
Bernardi. *Franciſci.*
Caroli M. *Lazari.*
Leonis Papæ. *Remigy.*
Medardi. *Leonardi.*
Ruperti. *Servaty.*
VVolphgangi. *VVilibrordi.*

SS.
Benedicti. *Hilary.*
Floriani. *Hermagoræ.*
Sturmy. *Martini* crux
Helani. *VVendelini.*
Ciſtula cum Reliquijs *S. Procopy*, & aliorum SS. cum titulis ſuis.

Reliquiæ SS. Virginum & Viduarum.

SS.
Margarethæ. *Agnetis.*
Ceciliæ. *Barbaræ.*
Catharinæ. *Dorotheæ.*
Apolloniæ. *Mariæ Magd.*
Claræ. *Benignæ.*
Marthæ. *Agathæ.*
Ludmillæ. *Eliſabethæ.*
Hedvigis. *Affræ.*
Gertrudis. *Dignæ.*
Abundantiæ. *Secundæ.*
Creſcentiæ. *Chriſtinæ.*
Julianæ. *Brigittæ.*
Ottiliæ. *Valpurgis.*
Ex *XI mill. ſoc.* in ſacculo.

Capita optimè fuêre ornata margaritis & lapidibus pretioſis; ſed tempore Sigismundi Imp. quando Caſtrum Carlſteyn obſeſſum fuit, Reliquiæ illæ per Barones & Nobiles ſpoliatæ ſunt; nam ut habetur in RegiſtrisVenerabilis Capituli Pragenſis, jocalia ornamenta in auro & argento, ad ducenta millia aureorum Hungaricorum ſunt ablata Eccleſiæ Prag. & Carlſteinenſi. Crudelitas inaudita Nobilium &c. O utinam eſſet finis!

Eſt etiam oleum de ſepulchro *S. Andreæ Apoſtoli*, de ſepulchro *S, Mariæ Magdalenæ*, de ſepulchro *S. Catharinæ, S. Nicolai &c.* Caput Draconis, quem S. Georgius interfeciſſe dicitur; duæ tubæ eburneæ, in catenis ferreis, quæ dicuntur fuiſſe S. Rolandi Burgundiæ Ducis, aliqui autem putant illas eſſe de ſeptem Jerichuntinis: & quædam alia.

Deſcribit deinde Sacelli illius, in quo hæc Sacra Pignora, unà cum Regni clenodijs aſſervabantur, pulchritudinem & ornatum, tabulas in eo auro pictas, Cruces rubri coloris arte præſtanti efformatas, gemmatas Sanctorum effigies, parietes ipſos prægrandibus Jaſpidibus, alijsq; pretioſis lapidibus Bohemicis exor- Sacelli Karlſtein deſcriptio brevis.

exornatos, fornicem vitris ſpecularibus, & auro decoratum, ſudique inſtar cœli collucentem; lapides item pretioſos juſtæq; magnitudinis ante ſummum altare in deauratis catenulis pendulos, & plura talia; ſed quæ huc non faciunt. Igitur ad rem.

SS. Reliquiæ Karlſt. in coronatione Regum publicè oſtendi ſolitæ: ita factum

Dixeram paulo antè, aliqua ex hiſce Ss. Reliquijs, eáque admodùm pauca, & tantùm dum inaugurandorum Bohemiæ Regum ſolennes exhiberentur actus, fuiſſe publico ſpectaculo expoſita; id de ſupra memoratis duabus aureis Crucibus, quas Ludovicus Rex, anno 1522. novis fulcris ſeu baſibus argenteis inauratis, piâ liberalitate redintegrari curaverat, & Tabulis Veronicæ, indubitatum eſt.

BohuslausBaro de Lobkovvicz teſtis oculatus narrat.

Aliquid horum innuit Bohuslaus Haſſenſteinsky Baro de Lobkowicz, vir doctrinâ & ingenio præſtans, & prout ex Scriptis ejus per Thomam Mitem ante centum annos typo in publicum editis videre eſt, J. U. Doctor, Poëta, Orator & Hiſtoricus excellens; qui de coronatione Ludovici anno 1511. die 11. Martij conſveto ritu peracta, cuidam familiari ſuo referens, „ inter alia recenſuit iſta: Fui his diebus Pragæ, & Principem „ meum ad nos ex Pannonia reverſum, ut par eſt, veneratus „ ſum. Mutâſſe mihi viſus eſt vultum, &, neſcio quomodo, „ ſemper cogitabundus incedere, magisque præ ſe ferre mæ- „ ſtitiam, quàm gravitatem: neque id, ut ego arbitror, vitio „ ſenectutis accidit (vix enim ſextum & quinquageſimum an- „ num attigit) ſed curis ſolicitudinibúsque, nempè qui omnem „ penè ætatem inter bella, & ſuorum inſidias traduxit. Neq; „ facilè dixerim, fortunæ ne temeritate, quæ in res humanas „ plurimùm poſſe creditur, id factum eſt, an culpa ſua? qui „ dum benignitatis & clementiæ laudem plus juſtò quærit, „ & ſe, & Rempub. in magnum ſæpe numerò periculum con- „ jicit. Adivi autem & Regium puerum jacentem in cunis, & „ ſtragulâ auro intertextâ velatum, cujus quidem indolem lau- „ dare poſſum: nam & venienti mihi manum cupidè obtulit, „ & forma corporis membrorúmque lineamenta, magnum „ quiddam polliceri videntur. Cætera in eo optanda magis, ſpe-

„ ſperandáque ſunt, quàm laudanda; mollis enim hæc educa-
„ tio, voluptates immodicæ, & quotidianæ aſſentantium voces
„ non pueros tantùm, ſed ſolidiora firmioráque ingenia non-
„ nunquam pervertunt. Huic verba adhuc dimidiata magis
„ balbutienti, quàm proferenti, pro veteri gentium more, ne
„ dicam ſuperſtitione, inſigne Regium impoſuimus, non ſolùm
„ Bohemiæ, Moraviæq; Proceribus, ſed etiam Ducibus Sileſiæ
„ & plerisque Epiſcopis partim adſtantibus, partim miniſteri-
„ um tantæ Solennitati exhibentibus: Principe verò tuo Fri-
„ derico Marchione (*is erat Brandeburgicus, Regis Vladislai affi-
„ nis*) non ſolùm præſente, ſed etiam infantem, cujus res age-
„ batur, in manibus geſtante. Magno hic honore exceptus
„ eſt, pluribúsque diebus hoſpitaliter habitus, donatúsque
„ cum Conjuge & liberis, multis muneribus. Sed dum Pro-
„ ceribus noſtris inter ſe diſſentientibus, uni favet, & in alie-
„ na Repub. plus æquo curioſus eſt, alijs ne id faceret magno-
„ perè deprecantibus, multos, quorum auctoritas apud nos
„ potior eſt, offendit; unde factum eſt, ut recedentem quàm
„ pauciſſimi comitarentur. De Corona, quâ Reges noſtri
„ quingentis penè annis uſi ſunt, nihil ad te ſcribere poſſum:
„ quid enim ipſe in his ſapio? plena certè eſt prægrandibus
„ ſaphiris, hyacintis, rubinis, unionibúsque, & à noſtris im-
„ menſo æſtimatur pretio: ita enim plerumque evenit, ut
„ unusquisq; ſua laudet, & admiretur. *Vidi etiam ultra iſta,*
„ *Salvatoris noſtri faciem Veronicæ datam, quam & Proceres, &*
„ *vulgus Romanæ anteferunt. Ferunt autem: Carolum Impera-*
„ *torem ejus nominis IV. qui apud nos quoq; regnavit, Romæ fuiſſe,*
„ *impetráſſéq; ab Urbano V. Pontifice Maximo, ut ejusdem ima-*
„ *ginis contemplandæ poteſtas ſibi per aliquot dies fieret; eáq; uſum*
„ *occaſione, juſſiſſe quendam ex ſuis Pictoribus ad exemplar ejus*
„ *aliam pingere, & adulterinam quidem Urbano reſtituiſſe, veram*
„ *autem ad nos tranſtuliſſe; ajúntq; exſtare literas aureo Caroli*
„ *ſigillo munitas, quibus id confirmatur &c. Ex Haſſenſtein, 28.*
„ *Martij. Anno 1509.*

In Coronatione Ludovici Regis.

Ggg Ad

Bohuslaus Haſſenſteinſky à Lobkowicz lib. 4. Epiſtolar pag. 156.

Idem factum in coronat. Ferd. I.

Ad Coronationem Regis Ferdinandi I. anno 1527. die 5. Matthiæ Apoſtolo ſacrâ, præter Coronam, Sceptrum & Regalia alia, fuiſſe Carlſteinâ allatas etiam duas Cruces (illas de quibus ſupra) non tam auro, gemmis & lapidibus pretioſis, quàm Dominicæ PaſſionisReliquijs præſtantes, majorem unam, minorem alteram, & unam Tabulam itidem auream Veronicæ, in MS. Authoribus invenio; quæ ſub coronatione inTemplo Metrop. publicè omnibus fuerunt oſtenſæ. Idem factum anno 1562. ſub coronatione Maximiliani die 20. Septembr. an. 1575. ſub coronatione Rudolphi II. die 22. Septembr. & 1577. dum Maximiliano II. præcedenti anno die 12. Octobr. Ratisbonæ defuncto, juſta funebria Pragæ in Metrop. Æde perſolverentur, die 22. Martij.

Maximil II. & Rudolphi II.

ReliquiæKarlſtein. inter alia Cimelia Regni reputatæ,

Quemadmodum verò Coronæ ac Privilegiorum Regni cuſtodiendorum, penes Burggravios Carlſteinenſes ad hoc ſpecialiter à Statibus Regni deputatos, cura erat; ita etiam Ss. hujus Theſauri, penes eoſdem & Collegij ibidem à Carolo IV. inſtituti Decanum, arctiſſimo, ſicut Regi Regnóque, ita mutuò ipſos inter ſe devinctos Sacramento; quo obſtringebantur ad providendum & curandum, ne quid Arx Caroloſteina, vel illa quæ in ea eſſent recondita, detrimenti acciperent. Nec ulli vel unquam, niſi ab Ordinibus ſimul in Comitio congregatis juſſi, publicíſque literis de eorum voluntate edocti, ſingulari inſuper cautione adhibitâ, quicquam extradere auſi fuerant. Exemplo id, vel uno ſaltèm (plura nobis non deſunt) oſtendere lubet.

& ab Ordinib9 Regni in magna veneratione & obſervatione habitæ.

Cùm anno 1575. coronandoRudolpho dies 22. ut paulo ante diximus, menſis Septembris, præſcripta eſſet, & delegati ex Ordinibus primis numero complures, qui Coronam & aliaRegalia ornamenta in hujusmodi ſolennitatibus adhiberi ſolita, Caroloſteinâ Pragam adferrent, litteræ eam in rem à totoConventu ad Burggravios Caroloſteinenſes, Joannem Borzitam de Martinícz & in Smeczna, & Nicolaum Mirzkowsky de Tropczicz & in Mirzkow datæ ſunt, in hunc fere ſenſum.

Quan-

Quandoquidem tres inclyti hujus Regni Status, Majorum laudabili more, ſecundùm leges ac libertatem Regni, in nupero publico Conventu, (m) Sereniſſimum Principem & DD. Rudolphum Hungariæ Regem, Sac. Cæſ. Majeſtatis primogenitum in Regem Bohemiæ elegerunt, nihilq; aliud ſupereſt, quàm ut inauguratio Serenitatis ejus ac Coronatio ſolennis, die jam etiam conſtitutâ, ſolitis ritibus peragatur. Mittimus idcirco è medio noſtrûm, ad vos, pro Corona, Sceptro, Pomo aureo, & SS. Reliquijs, alijsq; Regni clenodijs in hujusmodi actibus vel adhiberi vel oſtendi ſolitis, Illuſtriſſimos Dominos, D. Adamum de Svamberg in Przinda & Wolſſy, Supremum Regni Judicem, D. Zbinkonem Berkam de Duba & Lippa & in Zakupi, Supremum Regni Theſaurarium; D. Jaroslaum Smirziczsky de Smirzicz, & in Koſtelecz ad Nigras ſylvas, Sac. C. Maj. Aulæ Mareſchalcum; D. Wenceslaum Leporem de Hazenburg & in Strakonicz ſupremum Magiſtrum Prioratûs Equitum Crucig. Melit. D. Joachimum Novobradsky de Kolowrat & in Koſſatek Cameræ Regni Præſidem; D. Joannem de Sternberg & in Konopiſſt; D. Joannem de Schelmberg & Koſti & in Mracz, è Statu Baronum. Et Illuſtres ac Generoſos Equites D. Adamum Nebilowsky de Drahobuzy & in Polina; D. Sebaſtianum Leskowecz de Leskowcze & in Veteri Rubro Rzeczicio; D. Andream Nebrzehowsky de Nebrzehowicz & in Pyſſeli; D. Georgium Slepoticzsky de Sulicz & in Librzi; D. Sigiſmundum Brozansky de Wrzeſovicz & in Brozan: D. Bohuslaum Kalenicze de Kalenicz; D. Beneſſium Benedam de Necztin & in Wilimow, è Statu Equeſtri. Vobisq; juxta conſtitutiones Regni demandamus, ut præfatis Perſonis à nobis eum in finem deputatis, & ad vos miſſis, Coronam & alia cum SS. Reliquijs, quantocyùs extradatis, ſperantes, quòd non aliter, quàm Officium veſtrum requirat, facturi ſitis. Actum in Arce Prag. Feriâ II. poſt S. Lamberti.*

etiam ab Huſſitis,

quod vel exinde patet,

quàm ſolemniter Karlſteinâ Pragam, cū Corona Regni ſubinde apportabantur,

His acceptis Burggravius, qui ſolus tunc aderat, Joannes

(m) *Comit. an. 1575. Feriâ II. poſt Feſt. Aſſumpt. B.V. Comit. an. eod. Feriâ III poſt Feſt. S. Matthæi Apoſt.*

Borzita de Martinicz, Regalia cum Ss. Reliquijs ipſis tradidit, factò deſuper hoc, Recognitionis inſtar, ſub duplici exemplari inſtrumento.

Anno 1575. Feria III. ante feſtum S. Matthæi Apoſtoli, Legati omnium trium Statuum inclyti Regni Bohemiæ, miſſi à publico Conventu huc Caroloſteinam, pro Corona, SS. Reliquijs & alijs Regni Cimelijs, pro ſolemnitate Coronationis Regiæ neceſſarijs, cum litteris Sac. Cæſ. Maj. & eorundem Statuum, videlicet, Illuſtriſſimi Domini, D. Adamus de Svamberg, &c. Illuſtres & Generoſi Equites, D. Adamus Nebilowsky, &c. in Sacello ſuperiori arcis Caroloſtein unà præſentes: acceperunt à me ſibi extradita hæc Regni clenodia; Coronam, Sceptrum & aureum pomum: præterea Veronicam veram, & Cruces duas, unam majorem, alteram minorem. In cujus rei memoriam, confectum eſt hoc præſens inſtrumentum, per modum Schedæ ſciſſæ, ſub duplici exemplari, quorum unum præmemorati Domini Legati accipiunt; alterum D. Joannes Borzita de Martinicz & in Smeczna Burggravius Caroloſteinenſis pro ſe, & Collega ſuo D. Nicolao Mirzkowsky de Tropczicz & in Mirzkow Arcis Prag. Capitaneo, retinet in acceptorum prætactorum Regalium teſtimonium. Actum in Sacello Coronæ Arcis Caroloſtein; anno & die ut ſupra.

& rurſum Pragâ Karlſteinam deportabantur?

Coronatione peractâ, ijdem Coronam & alia Caroloſteinam retulerunt, teſtimonio in eodem ſciſſæ Schedæ inſtrumento, quòd integrè omnia retuliſſent reſtituiſſentq;, à Burggravio recepto, ſub tenore iſto:

Anno eodem 1575. die feſto S. Wenceslai Martyris & Patroni Regni, Illuſtriſſimi Domini, D. Adamus de Svamberg &c. retulerunt ad arcem Caroloſteinenſem, Coronam cum SS. Reliquijs ac cæteris Regni clenodijs, quæ ſuperiùs in hac ſciſſa ſcheda recenſentur; eáq; omnia integra & inviolata depoſuerunt ad manus D. Joannis Borzitæ de Martinicz Burggravij Caroloſteinenſis. Actum ut ſupra, in Sacello ſuperiori Arcis Caroloſteinenſis.

Cura Ss. Reliquiarũ Karlſt. quam habebãt Status Bohem.

Patet ex his, quanta cura, quantumvè ſtudium fuerit Regni Ordinum, in conſervandis SS. Reliquijs, non minus utique illo,

lo, quod erat in Corona, Sceptro ac Privilegijs Regni accuratiſſimè cuſtodiendis. Quamvìs enim ex ipſis numerarētur non pauci, qui ſpretis veteribus Orthodoxæ Religionis placitis ac legibus, ad novas & depravatas Viclephi, Lutheri Calviniq; hæreſiarcharum opiniones converſi, vel perverſi potiùs, SS. Reliquiarum cultum & venerationem ſuperſtitionis arguerent, deteriores certè illis ſpiritibus nequam, (*n*) qui Apoſtoli Pauli ſemicinctia & ſudaria ſuſtinere non valentes, ab obſeſſis vel inviti fuerunt egreſſi: plures tamen erant, & ex Optimatibus præcipui, Catholicæ Religionis, Majorum ſuorum exemplo obſervantiſſimi, qui contrarium ſentirent. Alij verò, & quidem pars numero major, tametſi calycis in ſacra Synaxi, Compactatorum Baſilienſium vigore, & recenti quoque Pauli IV. Pontificis Max. conceſſione, amplecterentur uſum, alios tamen ſacrorum ritus ſecundùm ſacroſanctas Romanæ obſervantiæ leges, adeóque Summi Pontificis auctoritatem, Divæq; Virginis Deiparæ, ac Divorum cultum, SS. Reliquiarum venerationem, cæteráque Catholicæ Religionis capita admittebant, & tenebant inconcuſſâ fide.

etiam ab Ultraquiſtis, ita ut nihil ex illis abalienari vel donari licuerit,

Nec intermittendum hìc exiſtimo, quod cùm anno 1523. Ludovicus Rex, ante ſuum è Regno Bohemiæ in Hungariam diſceſſum, Ladislai Salcani Epiſcopi Vacienſis inſtinctu, peteret ſibi dari è Reliquijs Caroloſteinenſibus Caput S. Pauli Primi Eremitæ, deſiderij ſui compos non poterat reddi citiùs, quàm id publicis in Comitijs Statibus fuiſſet propoſitum: quod ubi Cancellarius Regni Adamus de Nova Domo, Regis nomine feciſſet, die 7. Martij, quæ erat Sabbati ante Dominicam *Oculi*, de communi omnium Voluntate & aſſenſu, (*o*) decretum latum; ut Regis petitioni quantocyùs fieret ſatis; ac confeſtim die ſequenti miſſi, qui illud Sacrum Caput Caroloſteinâ afferent, datis eam in rem ad Burggravios Caroloſteinenſes, Joannem de Sternberg Dominum in Bechina, & Tobiam Kaplirz de Sulevicz hiſce litteris.

nec ipſi Regi Ludovico petenti caput S. Pauli Primi Erem.

(n) *Actor. cap. 19.* (o) *Comit. an. 1523. initio Feb.*

niſi cum ſcitu & conſenſu omnium DD. Statuum:

Illuſtriſſime Domine Domine, Illuſtris ac Generoſe Domine, Domini & Amici noſtri multum dilecti. Præmiſſa Servitiorum noſtrorum promptitudine, ſignificamus, nos mittere ad vos Illuſtriſſimos Dominos, D. Cunradum Kragirzium de Kragko, & in juniori Boleslavia, Supremum Regni Camerarium, & D. Wenceslaum Bezdruziczsky de Kolowrat & in Koſſatka Supremum Feudorum in Regno Judicem; & Illuſtres ac Generoſos, D. Jacobum de Wrzeſovicz Subcamerarium Regni, & Wolfardum Planknar de Khinigsperg, demandantes illis, ut Caput S. Pauli Eremitæ, quod inter alias Ss. Reliquias in Capella Coronæ depoſitas aſſervatur, levarent & Pragam ad nos deferrent. Nam hunc ſacrum theſaurum, omnes tres Status, clementiſſimo Regi, ad ejus ſingularem petitionem, donare conſtituerunt. Ideóq; confidimus, quòd ſcientes in hoc eſſe voluntatem noſtrum omnium, his ablegatis noſtris tanto citiùs fidem adbibebitis, cùm præſentes litteras noſtras terreſtri Sigillo munitas videritis. De cætero, manemus vobis amicè addicti. Datum in Arce Prag. Sabbatho poſt Translationem S. Wenceslai An. 1523. Barones, Equites, Pragenſes & Civitatum delegati, atq; ita omnes tres Status Regni Bohemiæ, ſimul in Arce Pragenſi congregati.

à quibus etiã Regina Anna aliquas impetrat.

Similiter, cùm anno 1616. Anna ejus nominis VI. Bohemiæ Regina, Matthiæ Imp. Conthoralis, poſt ſui coronationem die 10. Januarij peractam, ex ijsdem Ss. Reliquijs Carolo-ſteinenſibus aliquas particulas inſtantiſſimè expeteret, non niſi de Ord. aſſenſu quaſdam dono obtinuit. Sunt mihi præ manibus literæ donationis hujus teſtes, deſcriptæ ex authentico, quæ ſic habent.

Anno Domini M. DC. XVI. die XIV. Januarij, in ſacello Arcis Carlſtein. Illuſtriſſimi Domini Commiſſarij Ordinum Regni Boh. ad petitionem Sacræ Majeſtatis Imperatricis Annæ Reginæ Bohemiæ & Hungariæ; & interceſſionem Sacræ Maj. Imperatoris Matthiæ, ſolicitante Zdenkone Adalb. Poppl de Lobkowicz. Commiſſario Cæſareo ad DD. Status, dederunt præſentes Reliquias: De brachio S. Juſtinæ M. de capite S. Romani Diſcipuli S. Laurentij, de brachio S. Sapientiæ V. & M. De capite S. Philippi Apoſtoli: De capite S. Su-

Suſanna V. & M. Imaginem S. Agnetis cum reliquijs ejusdem in pectore.

Infra demum nomina Commiſſariorum, qui præſentes aderant, hoc ordine leguntur.

Adam z Sternberka / Girj z Talmberka / Karel Mracſký z Dube / Frydrych z Ryzmberka / Herald z Kolowrat / Jan Zdeněk z Sternberka / *Wenceslaus Guilbelmus Baro de Raupow, Ladislaus Zeidlicz, Joachimus ſenior Slavata,* Purgkhart Točnjk / *D. Paulus Piſtorius a Luzka Decanus in Carlſtein.* Sed jam rectiùs ad viam.

Hæ itaque Reliquiæ Ss. anno 1645. in Eccleſiam Metrop. Pragenſem, uti jam meminimus, magnâ omnium Ordinum lætitiâ & celebritate fuerunt delatæ, & in Sacello S. Wenceslai depoſitæ; ubi usque in hodiernum diem ad altare majus, in Arca elegantiſſimi operis, quam Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus DD. Bernardus Ignatius S. R. Imp. Comes de Martinicz, Cæſ. Maj. Conſiliarius actualis intimus, Aurei Velleris Eques, & Supremus Regni Bohemiæ Burggravius, pro innato in res ſacras affectu præclaráque liberalitate ſuâ, magnificè extrui curaverat, piè aſſervantur. Translatio earund. Pragam ad Metropol. Eccl.

Non dubito, me Lectoris animo gratum facturum, ſi hæc Sacra Pignora, eo ordine, quo ſuis quæque loculamentis ſive ciſtulis, ſunt per me nuper depoſita, & qui ordo ex decreto Capituli deſuper lato, mutari deinceps nunquam debet, Effigie æri inciſâ, Arcam & loculamenta in eâ omnia, quæ numero ſunt LXXVI. repræſentante, hic expreſſero; & quænam, qualésque in eorundem ſingulis aſſervatæ maneant, appoſitis nominibus, docuero. ubi hodiéque in Sacrario S. VVenc. piè aſſervantur:

Cata-

CATALOGUS SS. Reliquiarum Carlſteinenſium.

In Primo Ordine.

In Ciſtula I.

In Cryſtallo.

Dentes SS. { *Stephani ProtoM.* *Stanulai M.* *Apollonia V. & M.* *Catharina V. & M.* *Margareta V. & M.* }

In uno parvulo ſacculo.

SS { *Joan. Bapt.* *Andrea Ap.* *Thoma Ap.* *Barthol. Ap.* *Barbara V. M.* } Fruſta inſ.

In una viridi tapheta.

de cap. S. *Chriſogoni M.* tres majores & duæ minores part.

In alia ciſtula cornea.

SS. { *Laurentij,* *Hippol.* M. *Remigij,* *Vincenty* M. *Gregorij* Pap. *Urbani* Pap. *Victoris* M. *Theodori* M. *Conſtantini, Doroth.* V. & M. *Gertrudis* V. *Anonym.* MM. *Trium Reg.* }

Item SS. { *Eliſabethæ* Vid. Reg. Hung. Filiæ pars inſ. *Helena* Vid. *Affra* M. }

In alia ciſtula ærea.

De cingulo *B. V.*
De cranio *S. Bened. Ab.*
De capit. *S. Calixti P.* & M.
De capit. *S. Faliciſſimi* M.
De veſte *Quinq. Fratr.* MM.
Dens *S. Dionyſij Ep.* & M.

SS. { *Fabiani & Sebaſt.* *Eraſmi* M. *Leonardi* C. *Maurity* M. *Vincenty* M. *Gereonis* M. *Caroli* Regis. *Thoma* Cant. *VVilibaldi* Ep. *Stephani* ProtoM. *Viti* M. *Florentij Ep.* *Leonis* P. & M. } diverſæ partes.

In alio ſacculo.

SS. *Simonis & Juda App.* diverſæ partes inter alias quinque inſignes.

SS { *Chriſtina* V. & M. *Abundantia.* *Creſcentia,* *Secunda* V. *Sturmy* primi Ab. Fuld. de peplo *B. V.* }

Crux S. *Materni* ex metallo.

In viridi ſacculo.

S. *Pantaleon.* & aliorum Ss. quorum nomina non poſſunt legi.

In lineo ſacculo.

De loco, in quo Chriſtus natus eſt.
Da loco, in quo ſudavit.
De lapide, qui ſciſſus eſt Paſſionis temp.
De Sepulchro Dom.
Lapis ſat magnus, ubi Dominus fuerat à Diabolo tentatus: *dic ut lapides hi panes fiant.*

In



NAPOLI

In alia viridi tapheta.

SS. { *Sim. & Thad.* App. } { *Fortunati* } { *Hermagoræ* pars de ſcap. } { *Gundebaldi* } { *Gangolphi* } { *VVencelini.* } partes inſ.

In ciſtula II.

SS. { *Petri & Pauli.* } { *Andreæ. Jacobi.* } { *Thomæ, Bartholomæi* } { *Philippi & Jacobi.* } { *Simonis & Thad.* } { *Matthiæ & Matthæi.* } App. { *Lucæ & Marci.* } { *Martini* Pap. & M. } { *Colmani* M. } { *Chriſtianæ* V. & M. }

Hæ Ss. Reliq. ſunt in parvula ciſtula occluſæ, quas aperiri nequit absque clavi.

Ibidem. in alia ciſtula quoque occluſa.

SS. { *Viti, VVenceslai, Adalberti, Sigismundi. Procop. Quinq. Fratr.* de ſanguine *S. VVenceslai*, pars pallij *ejuſd.* pars pallij *S. Claræ* V. }

In ciſtula III.

De Capite *S. Philippi Ap.* potior pars.

In ciſtula IV.

Caput *S Timothei Ep.* & M. qui erat diſcipulus S. Pauli.

5. Caput *S. Romani* M. qui erat diſcipulus S. Laurentij.

6. Caput *S. Baſilij* Magni.

7. Caput *S. Dionyſij* Ep. Auguſt. & M.

8. Caput. *S. Othwari* Abb.

In ſecundo Ordine.

1. Caput *S. Suſannæ* V. & N.
2. Caput *S Sapientiæ*, V. & M.
3. Caput *S. Reginæ*, V. & M. de Societate XI. mill. VV. & MM.
4. Caput *S. Roſæ*. Virg. & M. de eadem Societ.
5. Caput S. Virginis, de ead Societ.
6. Caput *S. Chriſticolæ*, de ead. Soc.
7. Caput S. de eadem Societ.
8. Caput S. de eadem Societ.

In tertio Ordine.

1. Caput Sanctæ de Societ. XI. mill.
2. Caput Sancti de Societ. Thebæorum MM.
3. Caput *S. Valerij*. Epiſcopi Trevir.
4. Caput *S. Victoris* M.
5. Peplum *B. Mar. Virg.* ſub cruce ſtantis, ſanguine Chriſti Dom. cruentatum.
6. Caput S. de Societ. XI. mill.
7. Caput S. de eadem Societ.
8. Duo Capita Ss. VV. de ead. Societ.

In quarto Ordine.

1. De cap. *S. Urbani* P. & M. pars anterior cum mandibula ſuperiori & tribus dentibus.

2. Ss. { *Domitillæ* V. & M. aliquot fruſta inſ. de capite. } { *Geneſij* M. pars inſ. } { *Hilarij* Ep. pars inſ. } { *Ruperti* Ep. pars brachij. } { *Achatij* M. pars brachij. } { *Stephani ProtoM.* brachij pars. } { *Dignæ* M. Sociæ S. Affræ partes inſign. } { *Dionyſij* M. pars de cap. }

Cerâ de candela. quæ arſit ad obitum *Beatiſſimæ Virg.*

3\. Potior pars corporis *S. Juſtinæ* V. & M. inter alia fruſta mandibula infer. cum 4. dentibus.

4\. Caput unius S. de Soc. XI. mill.

5\. De Capite *S. Maluſij* M. qui fuit ſocius S. Gereonis.

De Capite *S. Florenty* M. de legione Theb.

Anterior pars cap. abſque occip. *S. Juſtinæ* V. & M.

6\. Capita duo Ss. de Societ. XI. mill.

7\. Caput unius S. de Societ. ead.

In capſula rubra.

8\. Ss. *Thomæ* Ap. *Joan. Bapt.* *Petri* & *Pauli* particulæ.
Affræ M. aliquot fruſta magna de cap. ſemicombuſta. & aliæ plures partes in ſacculo novo rubeo ſimul reconditæ.

In capſula oſſea.

Ss. *Procopy* Ab. *Bonifacy* M. *Euſtachy* M. *Ignaty* M. *Theodori Tyron.* M. *Arethæ.* M. partes inſ.

In capſula alia oſſea.

Ss. *Florenty* Ep. VVien. & M. pars inſ.
Lucæ Evang. pars inſ.
Burghardi Ep. pats de brach.

In quinto Ordine.

1\. Ss. *Florini* præſb. & Conf. pars de tibia, in theca arg. inaur.
VVenceslai pars inſ. in pixide arg. in aur.
Bonifacy Ep. & M. pars inſ.

Ss. *Nicolai* Ep. de oleo.
Cæciliæ V. & M. particula.
Agnetis V. & M. de brachio partic.

2\. Olea ex ſepulchris Ss. *Nicolai.* *Andreæ.* *Catharinæ.* *Mariæ Magd.*

3\. Ss. *Coſmæ & Damiani* de cap.
Clementis P. & M. de cap.
Procopy & *Theodori* de brach.
Pangraty coſtæ.
Thebæorum MM. particulæ in uno ſacculo.

In alio ſacculo, mandibulæ duæ *S. Nicolai* & *S. Martini* Epp.

In alio ſacculo, de cap. *S. Mariæ Magd.* pars inf.

In alio lineo ſacculo, plurima oſſa *SS. Virg. de ſoc et.* XI. mill.

In viridi taphera mandibula inferior integra *S. Benignæ.*

In alia, *S. Chriſtinæ* V. & M. de brachio pars magna.

Ss. *Euphemiæ* V. magna pars brachij.
Burchardi Ep. Herbip. pars de humero & mandibula, cum duobus digitis in viridi taphera.
Leodegary & *Udalrici* partes de cap.
Ottiliæ V. longa pars brachij.
Lazari fratris Magdal. magna pars de tibia.
Longini Militis pars brachij.
Florenty M. brachium.
Nicaſij, Py, & *Ca*[illegible] MM. partes de brachijs & tibijs ſimul compoſitæ.

4\. Ss.

4 *SS. Decem millium Militium* diverſæ partes, inter alias, de mandibula

5. Os magnum argento incluſum, cum ſcriptura veteri Græca, quæ legi non poteſt.

S. Barbaræ V. & M. pars cap. de fronte.

6 Pes alicujus S. integer unà cum pelle & carne

7 *S. Margaretha* V. & Mart. dens in cryſtallo.

S. Matthæi Ap. quatuor inſignes partes ſimul in argentea theca compoſitæ.

Item alia pars de humero ejuſd.

S. Galli Abb. mandibula.

8. *Ss. Anonymor.* Reliquiæ.

In ſexto Ordine.

1. *S. Sapientiæ* V. & M. major pars corporis.

2. *SS. Patricij* & *Metelli* Ep. partes de capit.

3. SS. *Hermetis* M. pars de cap.
Albani M. pars de tibia.
Abundantii M. pars inſ.
Valentini Ep. & M pars de brachio, & aliæ minores
Gandulphi de lorica.

Pars de *Virga Aaron*, quæ floruit.

Item. *S. Antoniæ* V. & M. pars de cap. cum multis alijs Reliqv. in rubra tapheta.

4. *S. Mauritij* M. tres partes in flava tapheta, una de brachio, altera de tibia, tertia tenuior.

5. Vexillum *S. Georgij* M.

6. *S. Viti* de brachio os integrum

7. Collare *S. VVenceslai*, & pars mõſtrantiæ, in qua ſunt reconditæ multæ *Ss.* Reliquiæ.

8. Caput unius *S. Innocentis Bethlemit.*

In ſeptimo Ordine.

1. *S. Burchardi* Ep. Herbipol. brachium in virceto, & *S. Sophiæ* V. & M. ex ſocietate XI. mill, pars tenuior de brachio.

2. *S. Hermagoræ* primi Patriarchæ Aquilejenſ. pars inſign. incluſa arg. in aur.

3. *S. Reginaldi* monachi & M. pars de tibia.

Reliquiæ multæ in una viridi tapheta.

4. SS. *Philip.* Ap. pars inſ. de manu.
Bartholomei Ap. de tibia pars magna.
Longini Ep. & Militis pars inſ. de manu.
Richardi duæ partes de cap.
Sebaſtiani pars magna de junct. pedis.
Albani M. qui convertit Moguntiam, magnæ tres partes.
Chriſtophori M. de junctura cruris.
Florentij Ep. Argent. mandibula inferior.
Matthæi M. ex quinque Fr: pars de brachio.
Gereonis M. pars de coſta.
Manſueti Ep Tullens pars de brachio.
Thyrſi M. pars inſ de occipite
Kiliani M. pars de ſcapula.
Stephani Proto M. de junct. ped.
Cæciliæ V. & M. magna pars de ſcapula.
Eliſabetha V. pars inſ.
Chriſtina V. & M. pars de coſt.

Ss. { *Albinæ* V. & M. pars brach. *Juſtinæ* V. & M. pars inſ. *Antoniæ* V. & M. & aliarum Ss. in uno ſacculo particulæ complures. }

Pars de *baculo Moyſis*.

5. *S. Balthazaris* Regis anterior pars cap.

6. *S. Clementis* Papæ & M. mandibula inferior cum duobus dentibus.

Coralium ramoſum rubrum ex theſauro Caroli IV.

7. *S. Serbaty* Ep. Tungr. pars inſ. de cap.

8. *S. Matthæi Ap.* & Ev. brachium, & Ss. Reliquiæ Anonimæ.

In octavo Ordine.

1. Reliquiæ diverſ. Ss. in capſula arg. deaurata.
2. Monſtrantia ſine pede cum Reliqu. *SS. vaillium Militum*.
3. *S. VVenceslai lorica*.
4. *S. Innoxy* pars decrure.
5. *S. Eliſab. Vid.* pars de manu in cryſt.
6. *S. Matthiæ Ap.* pars brachij & *SS. Urſulæ, Julianæ*, & *Bartholom.* Ap. in parvo Reliquiario.
7. *S. Albani* M. fragmenta oſſium, in tapheta violacei col.

Particulæ *Spongiæ Dom.* & *Crucis*, in tapheta viridi.

Reliquiariū vetus inſtar arculæ.

8. Crux ex ligno *Arcæ Faderis*.

S. Mariæ Magdal. pars de brach.

In nono Ordine.

1. *S. Chriſtophori* M. junctura pollicis in argentea capſula.
2. *S. Agathæ* V. & M. pars de crure intra cryſt.
3. *S. Petri Ap.* pars inſignis de mandibula in turricula arg.
4. *S. Nicolai* Ep. digitus in pacificali arg.
5. *S. VVenceslai* poculum.
6. *S. Gereonis* M. os magnum de crure in argentea theca, & pars de brachio.
7. *S. Lucæ Evang.* pars brachij.

S. Theodori M. pars de cap.

8. *S. Catharinæ* V. & M. pars de pollice pendens intra cryſtallum.

In Decimo & infimo Ordine.

1. Effigies *Faciei Chriſti Domini* ex velo S. Veronicæ depictaRomæ, præſente Carolo IV. Imp. an. 1368.

2. Ss. { *Roberti Comit. Palatini Rheni*, & Ducis Lotharing. brachium. *Luciæ* V. & M. Syracuſanæ brachium. *Macary* M. pars inſignis. }

3. Ss. { *Reinoldi Ducis* de monte Albano brachia duo, quodlibet eorum in argentea theca intra vitrum. *Falicis M.* cujus erat ſocius Adauctus M. pars brachij. }

Peplum B. V. candidum, in theca arg. deaurata.

4. *S. Joan. Chryſoſtomi* pars brachij.

Monſtrantia argent. deaurata in qua Reliquiæ:

Ss. { *Stanislai* M. *Agnetis* V. & M. *Sixti* P. & M. *Iſaac* M. *Nazary* M. }

De Oleo *S. Cathar.* & quædam aliæ.

Omnes

Omnes autem hæ ciſtulæ, ſunt intus holoſerico, phrygio opere doctè elaborato, ſuffultæ, rubri ut plurimùm coloris; pulvilliquc infernè additi, qui Sacra Pignora molliter ſuſtentant; ſupernè verò in operculis Ciſtularum, clypei & Inſignia Procerum, cùm Martinicziorum tum aliorum, acu pictoriâ ſingulari arte expreſſa ſpectantur; ita ut quod de Tumulo S. Wenceslai aureis argenteisq; clypeis, & Inſignibus Procerum Regni venuſtiſſimè contecto quondam legimus, hîc ſimile aliquid eſſe videatur.

Id porrò hîc animadvertendum eſt, in harum Caroloſteinenſium numerum, venire non paucas Reliquias Ss. ad Metropol. Eccleſiam quondam pertinentes; uti ſunt Peplum Beatiſſimæ Virginis Chriſti Domini Sanguine aſperſum: medietas, corporis & caput S. Sapientiæ V. & *M.* ex Societate S. Urſulæ: quatuor oſſa ſimul argenteæ thecæ impoſita S. Matthæi Apoſt. Capita Ss. Philippi Apoſt. Romani, qui erat diſcipulus S. Laurentij, Fabiani Papæ M. Dionyſij Epiſcopi Auguſtenſis & M. Othmari Abb. Victoris M. Fœliciſſimi M. Leodegarij. M. Antoniæ V, & M. Juſtinæ V. & M. Innocentis Infantis, Urbani Papæ M. Maluſij M. mandibula S. Clementis. Brachia S. Procopij, S. Lazari, S. Chryſoſtomi, S. Longini, S. Ottiliæ, S. Albani M. S. Theodori M. S. Euphemiæ V. & M. & aliæ non paucæ: quæ dum olim, furente in Regno hæreſi, & omnia ſusque deq; miſcente, Caroloſteinam majoris ſecuritatis cauſâ, aſportatæ fuiſſent, per incuriam illorum, qui pacatis demum inteſtinis diſcordijs & civilibus armis, eas in propria referre neglexerant, tam diu iſthic aſſervatæ manſerunt, donec tandem in claſſem & numerum Caroloſteinenſium tranſierunt.

Jam ad tertium Reliquiarum genus, quæ propriè Metropolitanæ dici amant. Hæ quàm pretioſæ ſint & raræ, quantâ etiam magnitudine inſignes, & olim, ſtantibus Orthodoxæ Religionis rebus integris, quàm numeroſæ? ex infra dicendis patebit. Reliquiæ Cathedrales ſeu Metropolitan.

Ex primis omnium poſt introducta in Bohemiam Chriſti-

anæ Religionis Sacra, ... ſimchium S. Viti M. quod D. Wenceslau ... uti ſupra oſtendimus, dono ... aliqui velint, his longè priores fuiſſe brachium & mandibulam S. Clementis, à B. Cyrillo Welehradenſi ArchiEpiſcopo & Moravorum Bohemorúmque Apoſtolo, priusquàm Romam cum corpore ejusdem Sancti, in Cherſoneſo Pontica è medio maris prodigio elevato, & in Moraviam primo, deinde in Bohemiam allato, diſceſſiſſet, Borzivogio donata: quod nos in medio relinquimus.

primæ omniũ mandibula S. Clement. & brachium S. Viti.

Sacro poſtmodùm Divi Wenceslai M. corpore Vetero Boleslaviâ Pragam translato, anno 942. templum Divi Viti multum inclaruit; ac longè magis an. 1039. adſportatis ex Polonia, per Brzetislaum Ducem, Ss. Adalberti, Gaudentij & Quinque Fratrum MM. Benedicti, Matthæi, Joannis, Iſaac atq; Chriſtini Corporibus; præter illa Ss. Pignora, quæ Mlada ſeu *Maria* Boleslai II. Ducis ſoror, à Joanne XIII. Papa an. 97 . & Eccardus, ſive Helicardus Prag. Epiſcopus in ordine IV. à Benedicto VII. dono accepta an. 1020. Româ attulerant: Jaromirus item Prag. Epiſcopus, Wratislai Regis frater an. 1073. & Wladislaus junior Brzetislai II. Ducis filius an. 1112. quem cum trecentis ex Nobilitate Bohemia & Morava Equitibus clypeatis, ut refert Coſmas, qui hæc videbat, Wladislai ſenioris Bohemiæ Ducis juſſu, comitatum fuiſſe Henricum V. Imp. in expeditione Italica, indéque gloriosè reducem attuliſſe, à Summo Pontifice Paſchali II. ſibi collata magni pretij dona, ac inter alia Ss. Reliquias, cásque Eccleſiæ D. Viti piâ liberalitate transcripſiſſe, memorat Pulkawa, & Hagecius. (*p*) Maynhardus quoque Epiſcopus Prag. dum per Venetias Hieroſolymam, anno 1130. pium iter ſuſcepiſſet, indeque poſtea per Conſtantinopolim in patriam reverteretur: & Daniel Baro de Lippa Prag. etiam Epiſcopus, dum ab anno 1162. per quadriennium & ultra, Fridericum Imp. cognomine Barbaroſſam, in expeditione Italica ſeque-

ſucceſſu temporis aliæ æquè præſtantes

allatæ exdiverſis locis

(p) *Hagek in chron. Bohem. ad an. 1112. Pulkava in eod.*

quæreretur, multa Ss. Pignora in diverſis locis collegerunt, *ijsq; Sponſam ſuam dilectiſſimam* (verba ſunt Weitmilij Prag. Canonici (q) *Pragenſem Eccleſiam mirificè decorârunt;* Inter alia fuêre, pars unius inſtar digiti de Vivifica Salvatoris noſtri JESU Cruce; caput S. Chriſogoni M. portio capitis S. Catharinæ; partes notabiles de reliquijs Ss. Joannis & Pauli Mm. Ss. Innocentum, S. Projecti Ep. & M. de tabula, in qua Chriſtus cum Apoſtolis in ultima Cœna recubuit: pars haſtæ, quâ latus Chriſti fuerat apertum; de Sepulchro Domini; de veſtibus Beatiſſimæ Virginis; de crinibus S. Mariæ Magdalenæ faſciculus: & alia quàm plurima. Ex quibus tamen aliqua, præſertim quæ Maynhardus & alij ante ipſum diligenti ſtudio comparaverant, funeſtiſſimo illo incendio anno 1142. quo templum D. Viti funditùs penè conflagaverat, perierunt.

Brevi tamen, álijs æquè præſtantibus Divi Viti Baſilica inclaruit Ss. Reliquijs; utpote particulis notabilibus de capite S. Joan. Baptiſtæ, quas Hynko ejus nominis I. Epiſcopus Olom. regij ſanguinis Princeps, Romæ accepit an. 1146. & Eccleſiæ Pragenſi donavit: brachiò & gladio S. Mauritij M. quæ Wladislaus Rex II. Mediolano redux, unà cum Nazarij, Celſi, Fælicis & Naboris alijsq; Ss. Reliquijs, uti habetur in veteri MS Martyrologio S. Prag. Eccleſiæ ad X. Cal. Octobr. attulit. brachio item S. Prôcopij Abb. miraculis invita & poſt celebratiſſimi, ideóque ab Innoc. III. an. 1205. in Sanctorum numerum adſcripti. Divorum item Thomæ, Jacobi, & Thadæi Apoſtol. atque iterum S. Mauritij, aliquot notabilis magnitudinis fruſtis, anno 1212. uti refert coævus Scriptor Jaroslaus Coſmæ Continuator hiſce; anno M. CC. XII. *allatio Reliquiarum Ss. Thomæ, Jacobi & Thadæi Apoſtolor. & S. Mauritij de Teutonia in Pragam.* (r) Et alius quìdam ſine nomine, quem ego puto eſſe Fridericum de Hradek Canonicum Prag. ijsdem fere verbis: anno Domini 1212. *Reliquiæ* Ss. *Thomæ, Jacobi & Thadæi Apoſt. nec non* S. *Mauritij*

Allatio Reliquiar. SS. Thomæ Jacobi & Thadæi App. S. Mauritij M.

(q) *In Chron. Prag. part. 1.* (r) *MS. Jaroslaus in Continuat. Coſmæ ad an. 1212.*

ritij & S. Erhardi Ep. & Confeſſ. de Teutonia ſunt Pragam allata. Sit nomen Domini benedictum. Fit mentio earundem etiam in MS Codice Anniverſarior. Eccl. Prag. ad diem 12. Aug. & primariò quidem Wladiſlai Marchionis qui eas Eccleſiæ Prag. donaverat hiſce: *Wladiſlaus Marchio Moraviæ obijt, qui contulit Eccleſiæ Pragenſi brachia SS. Thadæi, Mauritij, & Reliquias Ss. Jacobi & Thomæ Apoſtolorum, & alium ornatum pretioſum; in cujus anniverſario &c.* Horum feſtum celebre præſcribit rubrica Pragenſis Breviarij ad VI. Id. Januarij hiſce paucis. *Tertio die poſt Epiphaniam, Allatio Reliquiarum Ss. Apoſtolorum Thomæ, Jacobi, Thadæi & Mauritij Martyris, nec non Erhardi Epiſcopi & Confeſſ. quæ allatæ ſunt ad Eccleſiam Pragenſem.* His acceſſêre, Divæ Eliſabethæ Viduæ, ſub Joanne ejus nominis II. Epiſcopo, anno 1232. & S. Stanislai Epiſ. & Martyris, ſub Nicolao de Roſis Epiſcopo, an. 1253. Pragam allatæ, & receptæ cum proceſſione ſolemni. Sanctæ item Margaretæ V. & M. Caput & magna pars Corporis, Przemyslo Ottacaro Regi anno 1262. ex Hungaria, allata. *Accidit porrò miraculum* (verba ſunt Crugerij,) *in advectione illius in Bohemiam. Cœlum aliquot menſes clauſum tenebatur, arebant omnia, ac defectu neceſſariæ pluviæ deſolabantur. Ut primùm intulerunt cum ſacris Lipſanis pedes ſuos Bohemiæ vectores equi, implorata Margareta ab accolis loci, ſe oſtendit miſereri calamitoſorum: nam cœlum contenebreſcere fecit, ac tempeſtivis imbribus terram arentem recreavit. Extra ordinarij beneficij memores Bohemi, eâ ipſâ die deinceps ſolennitatem celebrare cœperunt; hoc eſt die XIII. Julij, cùm more Romano XX. currentis Martyrium recolatur. Fuit autem feſtum ſolenne quondam Fori in Bohemia, præ quo vigilabant & jejunabant populi noſtri ex obligatione.* Ita Crugerius antiquitatum Patriæ peritiſſimus; qui ibidem addit, ſe hæc habere ex fida relatione moderni Celſiſſimi Principis Archi-Epiſcopi Prag. (s)

S. Eliſab. S. Margar. & aliorum.

Aliquas etiam Ss. Reliquias, Wenceslaus II. Bohemiæ Rex, dum filium ſuum ex Hungaria in Bohemiam unà cum Corona & alijs Regni

(s) *Cruger. ad d. 13. Julij.*

Regni Hungarici cimeliis reduxiſſet, anno 1304. ſecum attulit; uti S Demetrij M. S. Agnetis V. & M. S. Macarij Abb. S. Dorotheæ V. & M. S. Julianæ V. & M.S. Georgij M. aliquot partes. S. Auguſtini Ep. fruſtum inſigne, S. Donati Ep. & M. S. Gerhardi Ep. & M. quas Eccleſiæ Prag. donaverat, præter alias plures, quas Monaſterio Aulæ Regiæ in Zbraslaw tranſcripſerat.

Sed à modicis hiſce & numero paucis, ad cumulos, quos Carolus IV. Ss. ejuſcemodi Pignorum ſummè amans congeſſerat, tranſeamus. Supra docuimus, ex Trithemio & Serario, piiſſimum hunc Imperatorem, in colligendis Sanctorum Reliquiis, tanto flagrâſſe ſtudio, ut ea de cauſa itinera ſatis longa & gravia ſuſciperet, tranſeundo de Civitate in Civitatem, & de Monaſterio in Monaſterium, & Reliquias Ss. ubivis diligentiſſimè inquirendo: jam id propriâ ipſius confeſſione, ſive litteris, ad univerſos Regni Bohemiæ Status, Moguntiâ an. 1354. die 4. Januarij, ſub aurea Bulla datis, & manu ipſius propriâ ſubſcriptis, oſtendemus; quæ ſic habent. Reliquiæ per Carol. IV. cōparatæ,

Carolus DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Venerabilibus Arneſto Sanctæ Pragenſis Sedis ArchiEpiſcopo, Epiſcopis, Principibus, Præpoſitis, Decanis, Canonicis, Capitulis, Collegijs, Abbatibus, Prioribus & Religioſis quibuslibet, Baronibus, Nobilibus, & Univerſitatibus Cleri & populi prædictarum Diœceſium, noſtris Regni & Coronæ Boëmiæ fidelibus, ad quorum notitiam præſentia contigerint pervenire, Gratiam Regiam & omne bonum. Ineffabilis Divinæ Miſericordiæ pietas, & conſiliorum ejus imperſcrutabilis latitudo, ſicut Status noſtri magnitudinem, de immenſæ virtutis arcbano, non exigentibus meritis noſtris, quadam ſingulari prærogativâ fecit inſignem, ut dum univerſalibus mundi gubernaculis præſidemus, in pacis amænitate lætetur, ſub felici noſtro regimine, populus Chriſtianus. Sic juxtà deſideria noſtri cordis, generoſam illam plantaginem Matrem noſtram dignam DEO, Sanctam Prag. Eccleſiam, Regnum & Coronam Bohemiæ, & Subditum Majeſtati noſtræ fidelem populum, gratâ benignitate re-

ſpexit, nobis tot & tantorum Martyrum & SS. Reliquias, feliciſſimè miniſtrando; ut qui pridem cum ſubjectis nobis fidelibus, Zelo & amore fidei Orthodoxæ, ad Divini nominis cultum aſpiraſſe dignoſcimur, nunc Creatorem & Plaſmatorem omnium in Sanctis ſuis, quorum obtinuimus ipſo diſponente Reliquias, devotiſſimè veneremur.

Sanè dum lapſu tranſacti temporis egrederemur RegnumBoëmiæ, & ad diſpoſitionem felicem honoris & Status Sacri Romani Imperij, ad partes Alamaniæ noſtra procederet RegiaCelſitudo, Magnificus ille Conditor & Illuminator claritatis æternæ, pedes noſtros benignâ miſeratione direxit. Et dum Civitatem Auguſtenſem nobis & Sacro ſubjectam Imperio, ſicut hoc Divina clementia curavit admittere, tam proſperè quàm feliciter veniſſemus: ecce qualiter Venerabilis ejusdem loci Epiſcopus, unà cum Venerabilibus Prælatis, Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ ſupradictæ, Majeſtati noſtræ infra ſcriptas Reliquias liberaliter erogavit: primò de cingulo B. Mariæ Virginis; & de oſſibus B. Narciſſi M. item de Vexillo B. Odalrici, qui ſicuti fide digna tenet aſſertio, fuit Epiſcopus Eccleſiæ ſupradictæ. Item in eadem Auguſtenſi Civitate de Monaſterio B. Odalrici, Ordinis S. Benedicti, obtinuimus tales Reliquias: primò de brachio Beati Odalrici: Item anteriorem partem capitis Beatæ Ilariæ Martyris Reginæ Cypri, & Matris S. Affræ: Item poſteriorem partem capitis S. Dionyſij fratris Beatæ Ilariæ prædictæ, primi Epiſcopi Auguſtenſis. Ac demum in Monaſterio Campidonenſi Ordinis S. Benedicti ejusdem Auguſtenſis Diœceſis, obtinuimus tales Reliquias: primò de Tunica inconſutili Salvatoris; de Præſepi & pannis involutionis ejusdem; & de veſte purpurea Domini noſtri; quas quidem Reliquias Magnus ille Carolus Imperator donaverat Monaſterio ſupradicto: item de oſſibus Gordiani & Epymachi MM. Demùm felix illa Conſtantia affectu felici, adventum noſtræ Majeſtatis accipiens, donatione infra ſcriptorum munerum, noſtram decrevit præſentiam honorare, dum Epiſcopus & Capitulum ibidem, nobis infra ſcriptas Reliquias erogarent: primò ſcapulam cum oſſibus, carne & cute B. Pelagij M. qui Patronus in eadem

de cingulo B. V. de oſſib. S. Narciſſi M.

de vexillo & brach. S. Udalrici, de cap. S. Hilariæ & S. Dionyſij,

De tunica inconſutili Chriſti, de præſepi & pannis, de veſte purpur. ejusd. &c.

Reliqv. S. Pelagij, S. Conradi Ss. Patritij & Metelli, S. Gregorij Papæ,

eadem Eccleſia veneratur: item de brachio B. Conradi Confeſſoris ejusdem Eccleſiæ Epiſcopi; de capitibus Beatorum Pontificum & MM. Patricij & Metelli. Item de Monaſterio Petershuſen Civitatis ejusdem, obtinuimus de capite B. Gregorij Papæ, quod B.Gebhardus Conſtantienſis Epiſcopus, ex munere cujusdam Romani Præſulis, de Romà portavit: item de Reliquijs B. Gebhardi fundatoris Monaſterij ſupradicti. Et in Monaſterio B.Udalrici Civitatis præſata, obtinuimus particulam de Capite B. Udalrici Confeſſoris. S. Gebhardi, S. Udalrici.

Abinde versùs Monaſterium S. Galli, optatis greſſibus procedentes, altare in quo Corpus B. Galli jacebat fecimus aperiri, de cujus apertura hominum memoria non habetur; & aperto monumento, quod in altari erat reconditum, obtinuimus tales Reliquias: videlicet majorem partem capitis B. Galli Conf. cum aliquibus Oſſibus ſuis; & aperto altari S. Othmari in eadem Eccleſia, ac revulſo monumento, quod erat ſubtus altare, ubi Corpus B. Othmari Conf. jacebat, recepimus caput ejusdem, cum aliquibus ſuis ſacratis Oſſibus; poſteriorem tamen ibi capitis particulam relinquentes. Deinde in Monaſterio majoris Augye, quod ab Auguſta potentia nomen accepit, tales ſumus Reliquias aſſecuti; videlicet mediam partem cujusdam Crucis concavæ, in cujus una planicie imago Beatiſſimæ Virginis, in modum Crucis invenitur extenſa, ſuper cujus capite apparet una manus, quaſi de ſuperioribus benedicens: in cujus concavo ſanguis Domini noſtri fuit reconditus (u) *quam quidem Crucem Aſam Urbis Hieroſolymitanæ præfectus, Magno Imperatori Carolo, per manus Hubaldonis dicti loci Abbatis, & Humfridi Ducis Iſtryæ, legitur transmiſiſſe. Item partem Corporis B. Marci Evangeliſtæ: Item de lacte B. Virginis: item medietatem Corporis B. Januarij M. Beneventani Epiſcopi, & duorum Socio-*

S.Galli Abb.

S.OthmariAb.

de Sanguine Chriſti,

De lacte B. Virg. de corp. S.Marci Evãg. de corp. S. Januarij M. de cap.S.Bartholom. Ap. &c.

(u) *Videantur de hoc SS. Sanguine Domini Augiam allato, Reginon. append. ad an. 923 Herman Contract. Chronic. ad an. eund. Marian. Scot. Chronicor. lib 3 Ætat. 6 ad an eund. ubi hoc inſuper addit:* fortè ille ſanguis, qui de imagine Chriſti confluxerat, cum in Beryto civitate à Iudæis patiebatur eadem, quæ & Dominus paſſus eſt ab eis. *Sigebert. Gemblac. in Chronogr. ad an. eund. ubi idem apponit.*

rum ipſius: item de capite B. Bartholomæi Apoſt: item medietatem Corporum B. Fortunatæ V. & M. Carponij, Priſciani & Evagriſti fratrum Virginis ſupradictæ. Et cum perveniſſemus in Sekym, obtinuimus de Reliquijs B. Fridlini Abb. Et in Haſla Argentinenſis Diœceſis, magnam partem corporis S. Florentij Argentinenſis Epiſcopi & Confeſſoris. Et venientes in Andelach Monaſtarium Sanctimonialium, Ordinis S. Benedicti, quod B. Rychardis uxor Caroli II. Romanorum Imp. devotè fundavit, obtinuimus partem corporis B. Lazari, quem Deus Omnipotens à mortuis ſuſcitavit: quam quidem partem prædicta Imperatrix digniſſima, ad locum præfatum de Civitate Marſilia reportavit. Cúmq; ad Monaſterium Ersheim Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti ejuſdem Argentinenſis Diœceſis, quod Uxor Lotharij Imperatoris piè fundavit, gratis ſucceſſibus veniremus, data eſt nobis anterior pars capitis, & magna pars corporis B. Urbani Papæ & M. quas Reliquias Leo Papa attulit Monaſterio ſupradicto, & quædam etiam particula Capitis B. Sixti Papæ & M. nobis obvenit ibidem.

pars corporis S. Florentij, — pars corp. S. Lazari, — pars cap. & corp. S. Urbani Papæ & M.

Abinde etiam in Monaſterium Weiſſemburg Spirenſis Diœceſis, Fundationis Daguberti Imp. venientes, obtinuimus medietatem corporum Sergij & Bacchi MM. Beatorum, & particulam cujuſdam cinguli B. Mariæ Virginis; & de Alba veſte in qua Chriſtum ſprevit Herodes, & illuſum remiſiſſe legitur ad Pilatum. Poſtremò in Civitate Moguntinenſi, per Venerabilem loci ArchiEp. & Abbatem Monaſterij S. Albani, in ipſo Monaſterio obtinuimus Reliquias infra ſcriptas: primò, de Menſa Cœnæ Domini; de faſcià, qua Chriſtus involutus legitur Evangelicà veritate: De Sudario Chriſti; & & magnam partem capitis S. Vincentij M. & Levitæ: quas Reliquias Magnus Imperator Carolus, ob amorem Imperatricis Vaſtradæ ſecundæ ſuæ Conſortis, in eodem Monaſterio ſepultæ, noſcitur eidem Monaſterio erogaſſe. Item magnam partem corporis B. Albani: magnam partem capitis B. Juſtinæ M. & V. & partem brachij B. Aurei M. primi Præſulis ſeu Pontificis Moguntini.

medietas corpor. Ss. Sergij & Bacchi MM. — de alba veſte Chriſti Dom. de cingulo B. V. — de menſa Cœnæ Dom. de faſcia & ſudario Dom: pars capit. S. Vincentij. — pars corporis S. Albani, pars cap. S. Iuſtinæ, & brachij S. Aurei M.

Suſceptas igitur modo ſupradicto Venerandas Reliquias, animo deliberato, & ſicut hæc Divini numinis inſpiratione recepimus, ad

ad conſolationem totius Regni & Coronæ Boëmiæ, in Salutem ſubjecti nobis populi, Sanctæ Matri *noſtræ Pragenſi Eccleſiæ, velut aliarum Capiti & Magiſtræ, dignum duximus liberaliter erogandas. Ut dum tanti Capitis, venerenda ſolemnitas, tanti numinis grato fuerit ſolatio recreata, ſuavitatem rivi melliflui, de fontis dulci ſcaturigine prodeuntis fluenti copiâ non ignoret; & in membra transfundatur feliciter Salus & benedictio* Capitis *exaltati.* Caput *verò S. Galli, Eccleſiæ Parochiali in novo foro* Majoris Civitatis *noſtræ Pragen. ubi B. Gallus Patronus exiſtit, eâ ratione donavimus, ut populus Parochialis ejusdem Eccleſiæ, de tanti ſui Patroni digna præſentia, & noſtræ Majeſtatis grata ſolicitudine glorietur. Vos igitur fideles noſtros & ſubditos, quos in Patre & Domino noſtro JESU* Chriſto *exiſtimamus nobis ſpirituali fraternitate conjungi, in Salvatore omnium requirimus & hortamur; quatenus de adventu tam precioſi cœleſtis donarij, & tantorum* MM. *& Electorum DEI, nunc aſpirante gratiâ mentis, & animi lætitia gaudeatis; dignas ei agentes gratias, qui nobis vires præbuit, infudit ſollertiam, roboravit & animum, tantorum vobis donorum* Cœleſtium *ſolatia præparare: atq; Sanctos eosdem reverenter ſuſcipite, & adventum ipſorum debitis cæremonijs, & exquiſitis laudibus prævenite; diem celebritatis allationis Reliquiarum hujusmodi ſub certo anni tempore, ſicut tibi ArchiEpiſcopo viſum fuerit, ob amorem noſtri, & ut noſtris ſatisfiat affectibus, ſtatuendo, quem totus Regni populus teneatur ſub pœnis debitis, quoties annali revolutione redierit, cum ſolemnitate debita venerari; ut ipſi nos in Cœlis dignentur ſuſcipere, & diem extremi examinis, apud diſtrictum illum Judicem, gratis orationibus miſericorditer prævenire: præſtante D. noſtro JESU* Chriſto, *qui cum Patre & Sancto Spiritu unus eſt Deus, & Dominus glorioſus. Venerabilibus Baldvino Trevirenſi, Wilhelmo* Colonienſi, *Gerlaco* Moguntino *ArchiEpiſcopis, Alberto Herbipolenſis, Gerhardo* Spirenſis *Eccleſiarum Epiſcopis. Illuſtribus RupertoSeniore, Ruperto Juniore* Comitibus *Palatinis Rheni, & Ducibus Bavariæ: Rudolpho Auſtriæ, Alberto inferioris Bavariæ, Henrico Saganenſi, Wladislao Teſſinenſi Ducibus;* Wen-

Has omnes Ss. Reliqu. Carolus IV. donat Eccleſiæ Prag.

caput S. Galli, Eccleſiæ parochiali S. Galli in Urbe Vet.

Wenceslao Comite Lucemburgenſi; Nobilibus etiam Gerlaco ſeniore de Nazzow. Joanne & Adolpho Natis ipſius, Joanne & Wilhelmo de Kaczenelbogen, Ulrico ſeniore de Helfenſtein, Ulrico de Hanow, Siffrido de Vittengenſtein Comitibus: Henrico de Hoenloch Herbipolenſi, Bohuſſio de Pardubicz Luthomericenſis Eccleſiarum Præpoſitis, & alijs Baronibus, Proceribus & multitudine fidelium Sacri Imperij & Regni noſtri Boëmiæ, teſtibus ad præmiſſa. Præſentium ſub noſtræ Majeſtatis *typario teſtimonio litterarum. Datum* Moguntiæ *per manus Venerabilis Joannis Luthomiſlenſis Epiſcopi, Prothonotarij noſtri. Anno Dom.* M. CCC. LIV. *Indictione ſeptimâ, 4. Nonas Januarij, Regnorum noſtrorum anno* 8. Infra Carolus propriâ manu ſubſcripſit in hæc verba. *Hæc ad majus teſtimonium ego Carolus Quartus Romanorum Auguſtus Rex, & Boëmorum Rex, manu meâ ſubſcripſi ad perpetuam memoriam.*

Carolus IV. Trevirim proficiſcitur,

Mortuo demum hoc ipſo anno & menſe, Trevirenſi ArchiEp. Henrici VII. Imp. qui erat Caroli IV. avus paternus, germano fratre, confeſtim Moguntiâ eò iter arripuit; non alium in finem, niſi ut aliquid de Ligno S. Crucis, cujus partem eximiam à S. Helena Imp. S. Agritio Antiocheno primùm Patriarchæ, deinde Trevirenſium ArchiEpiſcopo, cum alijs raris ac pretioſis Reliquijs, dono datam, in Eccleſia S. Maximini piè aſſervari noverat, obtinere poſſet: quod tantò citiùs faciliùsque ſe obtenturum ſperabat, quod Capitulum Trevirenſe, vacante Sede, operâ authoritatéque ſuâ Cæſareâ apud Sedem Apoſtolicam plurimûm indigere non ignoraret. Nec conſilio huic eventus defuit. Litteras ea de re, ab ipſo ad Capitulum Metrop. Pragenſe, ſumma cum benevolentiæ ac confidentiſſimi affectûs ſignificatione, Treviri datas (ſiquidem ad non parvum ejuſdem Capituli decus faciunt) hic proponere cuique legendas meritò cenſuimus.

Honorabilibus Decano, Scholaſtico Totiq; Capitulo Sanctæ Prag. Eccleſiæ, devotis noſtris dilectis. Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex. Devoti dilecti. Dum his diebus proximè tranſactis, poſt obitum felicis memoriæ Venera-

nerabilis Baldvini ArchiEpiſcopi Trevirenſis, Principis & Patrui noſtri cariſſimi, triſtes de obitu ipſius in Moguntina Civitate, in Civitatem Trevirenſem veniremus. Conſolator ille Paraclitus Spiritus Sanctus in tribulatione nos dignatus eſt inibi mirificè conſolari; omnem ab oculis noſtris abſtergens lachrimam, mæſtitiæq; noſtræ triſtitiam convertens, in lætitiæ & jucunditatis gaudium & ſolamen: dum nobis Ss. Reliquiarum Pignora ibidem occurrunt, quæ dudum in votis Regijs præcipua, ardenti deſiderio geſtabamus. Et quanquàm magnas & innumerabiles pecuniarum quantitates, ab Electo & Capitulo Eccleſiæ Trevirenſis, juſtè & rationabiliter ac ſine ulla reprehenſione habere potuiſſemus; Regalis tamen dignitas ipſas reſpuens, cenſuit theſauros hujusmodi Cœleſtes & ſpirituales, quos nec tinea demolitur, erugo non conſumit, nec fures effodiunt vel furantur: videlicet Reliquias infra ſcriptas ab eisdem Clero & Capitulo, licèt invitis, & cum dolore cordis eorum obtinere. Et niſi pro tunc ipſa Trevirenſis Eccleſia deſtituta fuiſſet Paſtore; & ut cò promptiores eſſemus, partes noſtras interponere, in promotione Eccleſiæ prædictæ apud Sedem Apoſtolicam, eámq; Regiæ Celſitudini noſtræ recommiſſam dignaremur habere, nequaquam præfatas Reliquias habuiſſemus ab eisdem. Habuimus igitur in DEI nomine, & ob Reverentiam & honorem ac devotionem internam mentis noſtræ, quam ſemper geſſimus, & gerere volumus B. Mariæ *Virginis glorioſæ: & ob reverentiam vivificæ S. Crucis D. noſtri JEſu Chriſti, nec non ad Reverentiam SS. Patronorum noſtrorum Viti, Wenceslai, Adalberti, & aliorum SS. Patronorum noſtrorum Regni noſtri Boëmiæ: & præſertim ad honorem & exaltationem S. Pragenſis Eccleſiæ, volentes eam multiplicibus Sanctorum Reliquijs glorioſiùs inſigniri.* ubi Ss.Reliquias obtinet:

Et primò in Eccleſia ipſa Trevirenſi, certam partem de ligno Crucis Dominicæ, quod manu noſtrâ propriâ præſcidimus: quod quidem lignum Crucis prædictæ, B. Helena Conſtantini Mater *de Hieruſalem rediens ad Trevirenſem civitatem ſecum attulit, ubi tunc domicilium habuit, & ubi Natalis ſui originem duxerat; ab ipſis Clero & paucis de Capitulo, valdè clandeſtinè habuimus & ſecretè.* partem Crucis Dominicæ,

cretè. Præterea tertiam partem Pepli B. Mariæ Virginis glorioſæ habuimus ad S. Maximinum, in domo in qua habitare ſolebat ipſa B. Helena cum Conſtantio Conſulari Urbis Romæ, Patris Conſtantini Imp. prædicti; quam poſtea per S. Agritium Patriarcham Anthiochenum, in Eccleſiam ipſam S. Maximini conſecrari procuravit; qui Sanctus Patriarcha in eadem Eccleſia corporaliter requieſcit; quod quidem Peplum glorioſum & omni devotione venerandum, prædicta B. Helena ſecum de Hieruſalem in Trevirenſem civitatem apportavit, & repoſuit in Monaſterio S. Maximini, quod fundaverat ut prædicitur prælibato: quod quidem Peplum Venerandum de ſeptimo in ſeptimum annum ibidem, ſecundùm Indulgentiam Romanorum Pontificum, in Monaſterio S. Maximini omni populo publicè ſolet oſtendi; ſicuti aliæ Reliquiæ B. Mariæ Virginis Aquiſgrani in publico, anno ſeptimo demonſtrantur. Item habuimus in Eccleſia Trevirenſi prædicta, à præfatis Clero & Capitulo, de Mannate Domini ad inſtar & modum unius parvi panis formati, unam de quinq; formellis, quas eadem B. Helena de Hieruſalem in Trevirim ſecum attulit, cum aliis ſupradictis. Præterea habuimus partem Baculi B. Petri in latitudine trium digitorum, ſcilicet inferioris partis Baculi, quam manu propriâ ſerrâ præcidimus; quo reſuſcitatus fuit B. Maternus poſt quadraginta dies, de quo legitur, prout noſtis, in decret. Cum veniſſet, de Sacr. Unct. Item partem de calceamentis B. *Apoſtoli Andreæ; & partem cathenæ ferreæ B. Petri Apoſtoli, in Eccleſia præfata à perſonis prælibatis.*

tertiam partem pepli Beatiſſimæ Virg.

partē de Manna,

partem baculi S. Petri Ap.

partem calceam. S. And. Ap. & part. catenæ fer. S. Petri.

Caeterùm inde pervenimus ad Eccleſiam B. *Matthiæ Apoſtoli Treviren. & aperiri rogavimus Tumbam B. Matthiæ prædicti Apoſtoli, quæ nunquam ſolita fuit aperiri; habuimus inde Articulum digiti de Reliquiis ipſius B. Matthiæ, & partem de Reliquiis* B. *Philippi Apoſtoli, quas quidem omnes & ſingulas partes Reliquiarum attulit ſæpe dicta S. Helena; excepto baculo prædicto per S. Petrum miſſum, de quibus nunquam aliquid datum extitit ſeu diviſum. Deinde deſcendentes ad Monaſterium Cartuſienſe, fundationem dicti Treviren. ArchiEpiſcopi patrui noſtri cariſſimi, habuimus Sigillum ſecretum in Annulo ſculptum, olim Inclyti Henrici* Romanorum *Imp. avi*

articulum digiti S. Matthiæ Ap. & de reliqu. S. Philip. Ap.

avi noſtri cariſſimi. Item habuimus ibidem digitum unum ipſius Henrici Imp. abſciſſum de manu ſua per quoſdam devotos & Religioſos viros, ob reverentiam & venerationem ipſius, quam ad eum ex multa devotione habebant, propter ipſius merita & teſtimonium bonæ vitæ ſuæ. Item ibidem habuimus pectorale cum Reliquijs Ss. ipſi pectorali incluſis, quod ipſe Henricus felix Imperator, dum viveret, in ſuo collo cum devotione appendere & geſtare ſolebat. Quæ omnia præfatus Trevirenſis ArchiEp. zelo dilectionis magnæ, quem ad tantum fratrem & germanum cariſſimum, etiam jam defunctum, ac ſi adhuc viveret, habebat continuè penes ſe gerens ſub fida & ſolerti cuſtodia. Poſtremò habuimus in Eccleſia Trevirenſi ab Adminiſtratoribus Eccleſiæ ipſius unum annulum valdè gratum, qui fuerat ſæpefati Henrici Avi noſtri, cum gemma habente colorem quaſi Rubini, cujus virtute & tactu reſtringitur ſanguinis fluxus.

Inſuper accedentes ad Monaſterium *Horrei Dominarum, in Trevirenſi Civitate ſupradicta, quod fundavit olim Imperator Dagubertus, tradens ipſi* Monaſterio *B. Hermigardem filiam ſuam, relinquens ibidem membra & Reliquias unius S.Innocentis, ſuper quibus fundatum fuit* Monaſterium *prælibatum; de quibus Reliquijs recepimus unum Brachium cum ſuis quinq; digitis, pelle & carne & ungulis veſtitis & contectum: quæ habuimus ibidem cum magna difficultate à Canonicabus prædictis; verùm quia* Magiſtra *noctè proximè præcedente defuncta fuerat, Canonicæ prædictæ volentes nobis in hoc complacere, ſub ſpe promotionis in* Magiſtram, *nobis jam dictum Brachium eò promptiùs tradiderunt, quamvis nonnihil invitæ.* brachium unius S.Innocentis Bethlem.

Volumus itáq; & veſtram hortamur devotionem, quatenùs receptâ & aſſumptâ nobiscum exinde conſolatione, ſincerâ & devotâ mente cum Clero veſtro, Deum velitis pro nobis jugiter exorare. Volumus tamen, cùm pauciſſimæ perſonæ (Clerus, Præpoſitus, Decanus & Cuſtos duntaxat, Adminiſtratores Eccleſiæ modernæ Vacantis prædictæ, qui omnes ſunt quaſi de Comitatu Lucemburgenſi nativitate oriundi; in alijs verò Monaſterijs, *Abbas & Prior cum Sacri-* Idē Carol. IV. de hiſce Ss. Reliqu. à ſe obtentis, Capitulo Prag. nunciat,

 cri-

criſtanis non credentibus nos illuc causâ Reliquiarum habendarum veniſſe, ſed potiùs ad videndas ſolummodò easdem; Civitas autem Trevirenſis nobis obedientiam jam fecerat, & ipſi hoc videntes ſeſe nobis opponere non audebant in hac parte,) defacto Reliquiarum ipſarum notitiam habeant, ut hoc nuncium in ſecreto habeatis, neminíq; pandatis, propter pericula viarum, præterquam Venerabili Arneſto ArchiEpiſcopo Pragen. cui conſimiles ſcribimus litteras; donec certos noſtros nuncios cum ipſis Reliquijs pro parte noſtra, ad veſtram præſentiam pervenire contingat. Præterea ſcire velitis, quod intentionis noſtræ ſit omnimoda voluntas, ut partem illam Baculi inſeramus Baculo Paſtorali ArchiEp. Pragenſis, ut ſicuti pallio B. Petri veſtiri dignoſcitur, ſic & ſuo Baculo ipſe ArchiEp. & Succeſſores ſui in ipſa Pragenſi Eccleſia utantur temporibus perpetuis in futurum; quod novum erit in prædicta Eccleſia Pragenſi, nec alibi, in toto Orbe terrarum credimus poſſe huic ſimile reperiri; facturi nobis in præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum quolibet, gaudium ſingulare. Datum Treviri ſub annulo & ſigillo ſecreto prædicti Henrici Imp. die 17. menſis Febr. Regnorum noſtrorum an. VIII.

partem baculi S. Petri, Paſtorali baculo ArchiEp. inſeri vult, quod & factum.

Nec diu poſtea cum his Ss. Cimelijs, Pragam prout conſtituerat deportandis, cunctandum ratus, ſequenti menſe ea, per Commiſſarios deputatos, Neplachonem Abbatem Oppatovicenſem Ord. S. Benedicti, Welislaum Decanum Eccleſiæ Coll. S. Apolinaris in monte Sacka, & Haſskonem de Wartemberg & Zwirzeticz Eccleſiæ Pragenſi transmiſit; datis ad Arneſtum ArchiEp. Prag. & Capitulum litteris, veluti donationis hujus à ſe in perpetuum factæ teſtibus.

nec multo poſt Pragam miſſas

Eccleſiæ Metrop. donat,

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Boëmiæ Rex. Venerabili Arneſto ArchiEpiſcopo, Principi, & Honorabilibus Prziedbogio Decano, Sdeslao Scholaſtico, totiq; Capitulo Sanctæ Prag. Eccleſiæ devotis noſtris dilectis. Gratiam Regiam & omne bonum. Pacificus Rex & Regum Dominator DEUS Magnificus, qui facit mirabilia magna ſolus in ſublimibus pariter & in imis, aperiens manum ſuæ poteſtatis & lar-

datis alijs iterum ad Arneſtum ArchiEp. & Capitulum literis,

largitionis, ſimul quoq; implens omnia bonitate, ad hoc nos licèt immeritos, princi palis in Monarchia conſtituit dignitatis, biniq; Regni contulit dignitatem, ut ſi ad aliqua éxtrinſeca debita ſollicitudo nos provocat, & noctes plerúmq; ducamus inſomnes, ut ſubditi noſtri ſub tegimine dignitatis Regiæ queant vivere quietè: ad ea tamen, quæ incrementa cultus Divini, & Sanctorum Venerationem proſpiciunt, tantò faciliùs & ſolertiùs convertamus aciem noſtræ mentis, quantò prona juſtitia manus ejus, noſtrum præ cæteris mortalibus excelſiùs nomen errexit, & ſolium ſuæ clementiæ roboravit, & honorem ſplendoribus, licèt inſufficientibus meritis, voluit glorioſiùs inſigniri.

Sanè cùm ſicuti novit ille, qui nihil ignorat, cordi nobis ſit honor & decus S. Prag. Eccleſ. præfatæ, cujus zelus comedit viſcera noſtræ mentis, quæ nos in lavacro lavit Baptiſmatis, in ſinu quoq; ſuo regeneravit, refovit, & ut Mater in fide orthodoxa S. Apoſtolica & Catholica Eccleſia educavit & docuit. Ad honorem itáq; & exaltationem ipſius, in Chriſti nomine, & ob reverentiam Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Matris ipſius DEI, & BB. Martyrum Patronorum noſtrorum, Viti, Wenceslai, Adalberti & Procopij, & aliorum Sanctorum, quorum Reliquiæ & Corpora inibi, & in Regno noſtro Bohemiæ feliciter continentur, damus & donamus eidem Prageńſi Eccleſiæ. Inprimis partem tertiam de ligno Dominicæ Crucis, quod manu propriâ præcidimus, quodq; vivificæ & Sanctæ Crucis lignum, Beatiſſima Helena Mater Imperatoris Conſtantini, de Jeruſalem ad Trevirenſem rediens Civitatem ſecum attulit, ubi protunc habitationem & domicilium ſuum habuit, & ubi natalis ſui originem duxerat, ab Boëmundo Electo, & paucis de Capitulo dictæ Trevirenſis Eccleſiæ, clandeſtinè & ſecretè habitam & obtentam. Secundò tertiam partem pepli Glorioſiſſimæ Mariæ Virginis &c.

quibus pietatē ſuam & amorem in Eccleſiam Prag. ſatis ſupérque oſtendit,

enumerat dictas Ss. Reliq.

Quas & quæ omnia & ſingula, veſtræ devotioni & Eccleſiæ Veſtræ Pragen. memoratæ per honorabiles Neplachum Monaſterij Oppatovicenſis Abbatem Ord. S. Benedicti, & Welislaum Decanum Saccenſem Concanonicum veſtrum, Capellanos noſtros devotos dilectos,

lectos, & Haſkonem de Zwirzeticz Cameræ noſtræ Regiæ Magiſtrum fidelem dilectum, Nuncios & Ambaſſatores ad hæc, per nos ex certa noſtra diſpenſatione & ſcientia ſpecialiter deputatos, duximus tranſmittendos, volentes & devotionem veſtram obſecrantes per viſcera pietatis JESU Chriſti, ſinceris affectibus, quatenus apud Deum, & ipſius Genitricem Virginem Mariam glorioſam, ac præfatos Beatiſſimos Martyres Patronos & interventores noſtros, cum Clero & populo veſtro devoto, pro nobis velitis devotis mentibus exorare, ut DEUS multiplicatis interceſſoribus, propellens languores, ſalutem mentis & corporis, & vitam nobis tribuere dignetur æternam.

Capituli precibus ſeſe commendat.

In quorum omnium teſtimonium atq; robur, præſentes Litteras conſcribi, & ex certa noſtra ſcientia, noſtræ Majeſtatis Sigilli munimine juſſimus communiri. Datum & Actum Metis, ſub teſtimonio & in præſentia Venerabilium Gerlaci Moguntinenſis, & Vilbelmi Colonienſis Eccleſiarum ArchiEpiſcoporum; Daguberti Leodienſis, Ademari Methenſis, Joannis Olomucenſis, Joannis Litomislenſis, Protivæ Segnienſis Eccleſiarum Epiſcoporum, Boëmundi Electi Trevirenſis, & Bobuſſij Lithomericenſis Præpoſiti; nec non Illuſtrium Ruperti Senioris & Ruperti junioris Ducum Bavariæ & Comitum Palatini Reni, Wenceslai Ducis Lucemburgenſis, Wladislai Theſſinenſis Ducis; Vilbelmi Juliacenſis, Ruperti Pontenſis Marchionum; Gebhardi de Wiertemberg, Valeriani de Spanheim, Joannis de Saroponte, Henrici de Hoënſtein, Burchardi de Hardek, Alberti de Anhalt Comitum; & Burchardi Burggravij de Maideburg, & aliorum plurimorum Procerum & Nobilium Principum, & Devotorum & fidelium Imperij & noſtrorum; per manum Venerabilis Joannis Lithomislenſis Epiſcopi prædicti Cancellarij noſtri, Anno D. 1354. Indictione Septimâ, X. Calend. Aprilis, Regnorum noſtrorum anno VIII.

Quò autem certior firmiórque SS. his Reliquijs haberetur fides, in eo, quòd reverà illæ eſſent, quæ ſuis recenſerentur nominibus; Optimus Cæſar, uti in alijs omnibus, ſic etiam in hoc apprimè circumſpectus, providus & cautus, ab omnibus & ſin-

ſingulis locorum, ubi eas obtinuiſſet, Epiſcopis, Prælatis, Magiſtratibus &c. Litteras teſtimoniales accepit, eásque unà cum hoc Ss. theſauro Eccleſiæ & Capitulo Metropol. Prag. tradidit; quæ hodiéque in Archivo noſtro exiſtunt. Complures illarum, cùm hiſce diebus idem Archivum perluſtrandum ſúſcepiſſem, integras inviolatáſque inveni, & è farragine variorum Scriptorum, Diplomatum &c. in ſuum ordinem vindicavi: quæ ſi hic referri deberent, juſtum volumen facerent. Unum tamen atque alterum exemplar, præſertim quod paucioribus conſtat lineis, ut magis certitudo SS. horum Pignorum pateat, hic neceſſariò duximus apponendum. Teſtimoniales literæ ſuper ijsd. Ss. Reliq.

Henricus Divinâ proviſione Abbas Monaſt. in Petri domo, extra muros Civitatis Conſtantienſis Ord. S. Bened. Conſt. Diœc. Omnibus præſentes literas inſpecturis notitiam ſubſcriptorum cum Salute. Noverint igitur univerſi præſens ſcriptum inſpecturi; quòd veniens ad noſtrum Monaſterium Sereniſſimus Dominus noſter, D. Carolus Romanorum & Bohemiæ Rex, ſupplicans & petens à nobis Reliquias SS. Nos igitur annuentes mandatis ſupradicti D. Caroli Regis, tradidimus ſibi de Capite S. Gregorij Papæ & Confeſſoris, & de Reliquijs S. Gebbardi Epiſcopi, quæ veræ ſunt & juſta, quod & nos ſuo loco & tempore poſſemus probare & rationabiliter demonſtrare. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis ſigillum noſtrum duximus appendendum. Datum Conſtantiæ anno Domini 1353. in die S. Mauritij. Henrici Abb. Monaſt. Petri-dom. de cap. S. Gregorij P. &c.

Nos Hermannus DEI Gratiâ Abbas, totúsq; Conventus Monaſterij S. Albani apud Moguntiam Ordinis S. Benedicti, univerſis præſentes litteras inſpecturis, præſentibus & futuris, volumus fore notum. Quòd nos ad inſtantiam precum multarum Victorioſiſſimi & Sereniſſimi Principis & D. noſtri Glorioſiſſimi, D. Caroli DEI gratiâ Romanorum ſemper Auguſti, & Bohemiæ Regis Excellentiſſimi, infraſcriptas venerandas Reliquias SS. ſibi donavimus, in noſtro præfato Monaſterio reconditas, à tempore longinquo. Primò videlicet partem Sudarij Dominici, quo caput ipſius in Sepulchro extitit involutum. Secundò, de Menſa ipſius Domini particulam, in Hermanni Ab. Monaſt. S. Albani de Sudario, faſcia & menſa Dom. &c.

qua cum Diſcipulis ſuis in ultima Cœna comedit. Tertiò, particulam faſciæ, quâ ipſe Dominus in cunabulis fuit cinctus. Quartò, partem Capitis competentem B. Vincentij Martyris, quam ſecum apportavit de Hiſpaniæ partibus, Beatus Carolus Magnificus Imperator, & unà cum alijs tribus prænotatis, Monaſterio noſtro, ubi olim Illuſtris Domina Waſtmdis Imperatrix ſecunda Uxor ſua ſepulta corporaliter in Domino requieſcit, piè donavit; præterea magnam partem de Corpore B. Albani Martyris. Item, competentem partem de Corpore B. Juſtinæ V. & M. in noſtro præfato Monaſterio jam dudum repoſitæ, cum debita diligentia & cuſtodia conſervatæ, eidem Domino noſtro Regi Carolo, dedimus & donavimus præſenti & præſentialiter in Eccleſia noſtri Monaſterij conſtituti. In quorum omnium teſtimonium atq; robur præſentes conſcribi, & noſtrorum ſigillorum munimine fecimus communiri. Datum & actum ſub teſtimonio & in præſentia Reverendiſſimi Patris & DD. Gerlaci Sanctæ Moguntinæ Eccleſiæ ArchiEpiſcopi, & Venerabilis Viri Domini Bobuſſij Litbomericenſis Præpoſiti Canonici Pragenſis. Item Illuſtris Principis D. Rudolphi Bavariæ Ducis, Illuſtris Principis B. Rudolphi Auſtriæ Ducis, & aliorum plurimorum Procerum & Nobilium Virorum. Data in Monaſterio *noſtro prædicto anno Domini 1353. die 9. Menſis Decembris.*

Eberhardi Ab. Mon. Aug. de cruce cum ſangu. Dom. de cap. S. Barthol. &c.

Eberhardus DEi Gratiâ Abbas Monaſterij *Augiæ Majoris, immediatè Sedi Apoſtolicæ pertinentis, Ord. S. Ben. Conſt. Diœc. Univerſis præſentium inſpectoribus, ſalutem in Domino, cum notitia ſubſcriptorum. Noverint, quos noſſe fuerit oportunum, quòd nos an. 1353. in Vigilia B. Matthæi Ap. & Ev. glorioſiſſimo ac Chriſtianiſſimo D. noſtro gratioſo D. Carolo Romanorum & Bohemiæ Regi, ad Monaſterium noſtrum prædictum, in honore B. Mariæ Virginis dedicatum, venienti humiliter & devotè, & à nobis petenti, aliquas SS. Reliquias ſibi dari, tradidimus & aſſignavimus mediam partem unius Crucis parvæ D. noſtri JESU Chriſti ſanguinem continentem, quam quidem Crucem Aſan præfectus Jeroſolymitanus, cupiens viſitare Carolum M. Rom. Regem, ſecum cum alijs SS. Reliquijs detulit, ipſas Regi ſub doni ſpecie donaturus, ſed in itinere à ſuo propoſito*

poſito per ægritudinem deſtitutus, Waldoni Abbati Monaſterij prædicti, & Himfrido Hyſtriæ Præfecto, Ambaſſatoribus ſeu Legatis à Rege ad Aſan præfatum in Inſulam Chorſycam miſſis, eas tradidit, Regi donandas. Ipſe quoq; Himfridus, tandem ſenex & benè emeritus ipſam Crucem tanquam ſuorum præmium meritorum, ſupplicibus precibus à Rege petijt ſibi dari, qui tradidit, licèt invitus. Ipſa itaq; Crux cum Sanguine D. noſtri JESU Chriſti, per ſucceſſionem hæreditariam, poſt multum temporis, devoluta fuit in manus cujuſdam mulieris de genere Himfridi, quæ mulier noſtro Monaſterio eam detulit; ſicut in libris autenticis noſtri Monaſterij clarè patet. Item, tradidimus præfato D. noſtro Carolo de lacte B. Mariæ Virginis; de Capite B. Bartholomei Apoſtoli, Reliquias S. Marci Evang. Reliqu. S. Fortunatæ V. & M. & trium Fratrum ejus, videlicet Carponij, Evagriſti & Priſciani MM. Et in teſtimonium evidentium præmiſſorum ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum in Augia Majori, anno & die quibus ſupra, Indictione VI.

Hoc atque tanto SS. Reliquiarum theſauro Carolus minimè contentus, ad alios adhuc plures & majores quocunque tandem modo comparandos, piâ quadam aviditate, animum ac omne ſtudium ſuum adjecit. Ordinatis itáque in Conventu Metenſi Imperij rebus, ac inde redux, quacunque iter habebat, ubique de SS. Reliquijs omni diligentiâ adhibitâ inquirebat. Inter alias, quas rurſum obtinuerat, præcipui nominis erat, pars ſatis magna de ligno S. Crucis, quam in Monaſterio Parys dicto, Ordinis Ciſterc. Baſilienſis Diœceſis, à Joanne loci Abbate totóque Conventu die 20. Maij acceperat. Norinbergam deinde veniens, cùm alia, tum hanc, Eccleſiæ ſuæ Pragenſi, per Jenzonem de Augezdecz (Familiæ nobiliſs. ac vetuſtiſſimæ Nymphææ gerulorum) Collegiatæ Eccleſiæ S. Crucis Wratislaviæ Præpoſitum & Canonicum Pragenſem transmiſit, unà cum his ad Arneſtum ArchiEpiſcopum & Capitulum, literis.

Idem Carol. IV. SS. Reliquiarum ſtudioſiſſimus,

aliam partem S. Crucis obtinet, quam etiã Eccleſiæ Prag. donat.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, Venerabili Arneſto ArchiEpiſcopo Pragenſi, Principi & Con-

Literæ ipſius hac de re ad Arneſt. & Capitul.

Conſiliario, ac Honorabilibus Decano, Scholaſtico & Capitulo Eccleſiæ Pragenſis, devotis noſtris dilectis. Gratiam Regiam & omne bonum. Zelus devotionis & amoris, quo circa Sanctam Pragen. Eccleſiam, venerandam Matrem noſtram, & Beatiſſimos Martyres Vitum, Wenceslaum & Adalbertum glorioſos Patronos noſtros, inceſſanter afficimur, animum noſtrum ſollicitat, ut dum de Sacrarum Reliquiarum theſauro, per loca Sacri Imperij egregium aliquod, & inſigne Clenodium devotorum noſtrorum largitione conſequimur, per illud, eandem Eccleſiam benignitate Regiâ decoremus. Hinc eſt quòd lignum vivificæ Crucis precioſum, partem illam videlicet, quam Inclita Imperatrix illa B. Helena, quæ ſuperno munere almæ Crucis, quæ mundi tulit precium, inventrix eſſe promeruit, thecis ſive laminis aureis, miro quodam opere expolitis, reconditam, Conſtantinopolim quondam legitur attuliſſe; quámq; proceſſu temporis Religioſus quidam Martinus Abbas de Parys Ordinis Ciſterc ienſ in Alſatia, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus, vir ùt fertur, vitæ & religionis mirificæ, ad idem Monaſterium honorificè apportavit, prout clarè ſuper hoc teſtimonij datæ noſtræ Celſitudini litteræ atteſtantur: in ipſo Monaſterio, nobis donatam, unà cum prædictis thecis ſive laminis aureis, Veſtræ devotioni, per honorabilem Jenzonem Præpoſitum Eccleſiæ S. Crucis Wratislavienſis, Canonicum veſtrum, Capellanum & devotum noſtrum dilectum, pro perpetuo decore & honore, dictæ Pragenſis Eccleſiæ, ac ſpirituali veſtro & aliorum Regnicolarum Bohemiæ ſolatio, deſtinamus. Hanc igitur cum jucunditate Spiritûs, Hymnisq; & canticis, dignâ ſtudeatis devotione ſuſcipere, ſuſceptámq; eò ampliori reverentiâ venerari, quò per illam, membris quondam Dominicis, tanquam margaritis ornatam; humanum genus uberiora conſtat beneficia percepiſſe Salutis. Ut autem dictæ Venerandæ Crucis certitudo, à modernis deducatur ad poſteros, & dubitationis tollatur occaſio, præſentes vobis Regales dirigimus literas, ſigilli Majeſtatis noſtræ munimine roboratas. Datum Nurmberg. die 23. menſis Septembris, Indictione ſeptimâ anno D. 1354. Regnorum noſtrorum, anno 9.

Meminit hujus Carolinæ pietatis Beneſſius noſter hiſce: *Eodem*

Eodem Anno, nempe 1354. *Dominus Karolus Romanorum & Bohemiæ Rex, mira devotionis affectibus ſuccenſus, in diverſis Eccleſijs Cathedralibus & Regularibus Monaſterijs, & alijs pijs locis, in partibus Galliæ & Alemaniæ obtinuit multorum Sanctorum diverſas Reliquias, & ſeptem Corpora Sanctorum, & Capita atq; Brachia Sanctorum multa valde, & illas ornavit auro, argento & gemmis pretioſis, ultra quàm exprimi poſſit, & donavit Eccleſiæ Pragenſi. Facta eſt autem Allatio earundem ad Eccleſiam Prag. in Octava S. Stephani ProtoMartyris. Quapropter Venerabilis Pater Dominus Arneſtus ArchiEp. Pragenſis, de conſenſu Cleri & Populi ſui, conſtituit diem illam per totam Diœceſim Prag. quotannis celebrem, & ſub Duplici venerari. Poſt hoc Dominus Karolus obtinuit ſpeciales & magnas Indulgentias à Sede Apoſtolica, eâdem die Eccleſiam Prag. viſitantibus, & Feſtũ hoc Bullis Papalibus confirmavit.* (x)

Idem legimus in Breviario & Martyrologio S. Metropol. Eccleſiæ Prag. *Quarto Nonas Januarij, Feſtum Allationis Reliquiarum, quas Chriſtianiſſimus Princeps Carolus Quartus Romanorum Imperâtor, & Bohemiæ Rex, in diverſis Mundi partibus magnis obtinuit precibus, prout in ſuis locis finaliter deſcribuntur. Et eaſdem Reliquias auro argentoq; & gemmis pretioſiſſimè ornatas donavit Eccleſiæ Pragenſi. Hoc Feſtum Papa Innocentius VI. ad inſtantiam dicti Imperatoris, conſtituit in Diœceſi Pragenſi ſolenniter celebrari: & omnibus ipſo die Eccleſiam Pragenſem viſitantibus, confeſſis & contritis, donavit Indulgentiam unius Anni, & unius quadragenæ, perpetuis temporibus duraturam.* (y)

Feſtum Allat. Reliquiar. cũ Indulg.

Eodem anno, menſis Octobris initio Carolus ad capeſſendas Romani Imperij coronas, Mediolanum, ac inde Romam profectus eſt: in quo itinere conquirendarum denuò SS. Reliquiarum curam & induſtriam certè nullibi prætermiſit. Patet id vel ex eo, quòd primo ſtatim in Italiam ingreſſu ſuo, partem Evangelij, quod S. Marcus propriâ manu ſcripſit, à Nicolao Patriar-

Aliæ Ss. Reliq. per Carolum in Italia obtẽtæ, uti

(x) *Beneſſ. in MS. Chron. Prag. lib. 4. ad an. 1354.* (y) *Breviarium Prag. ad Octav. S. Stephani Proto M. MS. Martyrologium S. Metrop. Prag. Eccleſiæ ad IV. Non. Januarij.*

triarcha Aquilegienſi fratre ſuo; Caput item S. Victoris Martyris, à Capitulo Feltrenſi, & Caput S. Lucæ Evang. à Nicolao Abbate Monaſterij S. Juſtinæ V. & M. Paduæ, ut alia minoris gentium præteream, obtinuit. Extant ipſius familiares litteræ ad Arneſtum & Capitulum ea de re Feltrio datæ, quæ ſic habent.

Liber Evang. S. Marci propriâ ejuſd. manu conſcripti,

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex. Princeps & devoti dilecti. Noverit Veſtra devotio, quòd nuper ad fines Italiæ procedentes, in Eccleſia Aquilegienſi, invenimus librum Evangelij S. Marci Evangeliſtæ, Latinis literis in ſeptem quaternis, propriâ ejusdem S. Evangeliſtæ manu conſcriptum; cujus duos quaternos ultimos, inſtantiâ magnarum precum obtinuimus, vobisq; pro decore S. Pragen. Eccleſiæ matris noſtræ, per Nobilem Ludovicum de Hoënloh dirigimus; prout in literis Regijs Majeſtatis noſtræ ſigillo, dependenti ſignatis, evidentius eſt expreſſum. Et nihilominùs in ſignum affectionis, quâ prædictum librum, quinimò Eccleſiam Pragenſem ſincerè complectimur, jam diſpoſuimus pulchrum & precioſum, ex auro & margaritis, pro eodem libro confici apparatum, precij duorum millium florenorum, menſurâ jam quidem aſſerum ejus acceptâ, ita ut dum apparatum ipſum vobis DEO volente in brevi miſerimus, aliud non reſtabit, niſi prædicto libro, apparatum hujusmodi applicare. Quocirca devotionem veſtram attentè requirimus & hortamur, volentes, quatenus cum univerſo Clero Civitatum, & ſuburbiorum noſtrorum Pragenſium, tam Exemptorum, quàm non Exemptorum locorum, eidem libro obviam veniatis, & jucunditate ſpirituali, & gaudio ſuſcipiatis eundem. Et quoniam Eccleſiaſtica traditio ſtatuit Evangelium in Eccleſijs à Diaconis decantari, quanto majorem poteſtis in dicti Evangelij ſuſceptione, Diaconorum ſacris veſtibus diaconalibus indutorum, numerum congregetis. Conſequenter verò concedente Domino, Caput S. Victoris M. dictæ Pragen. Eccleſiæ transmittemus. Datum Feltri, die ultimo menſis Octobris, Regnorum noſtrorum Anno Nono.

quem Eccleſiæ Prag. miſſum donat,

& ad dignè ſuſcipiendum hortatur, his

Aliæ iterum ad eosdem.

Caro-

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex. Venerabili Arneſto ArchiEpiſcopo Pragenſi, Principi & Conſiliario, ac honorabilibus Prſeconi Decano, Sdenconi Scholaſtico, & Capitulo S. Pragenſis Eccleſiæ, devotis noſtris dilectis. Gratiam Regiam & omne bonum. Excitat cor noſtrum illius intimi amoris integritas, quo circa Prag. Eccleſiam prædictam, almam Matrem noſtram, in qua ſalutiferæ regenerationis ſumus lavacro delibuti, & circa glorioſos Martyres Vitum, Wenceslaum, Adalbertum, Quinq; fratres, nec non Procopium, & B. Ludmillam Patronos noſtros ardenter afficimur, ut eandem Eccleſiam jugi ſemper bonore & reverentiâ, devoto animo veneremur, & pio deſiderio proſequamur, & de ejus exaltatione, multifariæ ſollicitudinis ſtudio, quantum cælitùs conceſſum fuerit, intendamus; quod tunc nos exequi ritè perpendimus, dum dictæ theſauris aggregamus Eccleſiæ, quicquid per terras & loca Sacri Imperij, cujus DEO propitio licèt immeriti moderamur babenas, de theſauris ſacrorum locorum, precioſum nobis & nobile miniſtratur. Hinc eſt, quòd dum ad Patriarcham Aquilegienſem, vias noſtras dexterâ Domini propitiùs dirigente, pridie veniſſemus, invenimus in Eccleſia Aquilegienſi totum Librum Evangelij S. Marci Evangeliſtæ, Latinis literis in ſeptem quaternis, propriâ ſuâ manu conſcriptum; de quibus duos quaternos ultimos, devotis precibus nobis obtinuimus elargiri; Qui quomodo illuc pervenerit, in ultimo folio dictis duobus quaternis appoſito, Regiâ manu noſtrâ plenè ſcripſimus, ad rei memoriam ſempiternam. Hos nimirum duos quaternos tantis deſiderijs acquiſitos, vobis, imò dictæ S. Pragenſi Eccleſiæ, ad honorem & gloriam DEI omnipotentis, & SS. Patronorum noſtrorum, ac ejusdem Eccleſiæ Sanctiſſimæ, & dilectiſſimæ Matris noſtræ, duximus dirigendos; Devotionem veſtram affectuoſiùs exhortantes, quatenus tam precioſum & inſigne Clenodium, prædictum videlicet Sanctum Evangelium devotis mentibus Hymnizantes, & cum ſpirituali jucunditate cantantes proceſſionaliter, & latè ſuſcipere, omniq; quo poteſtis honore, & humili ſtudeatis officio, pro toto veſtræ poſſibilitatis modulo venerari. Ut dum Sanctorum merita in eorum Reliquijs

atque alijs literis ad Arneſtum & Capitul: datis.

liquijs

liquijs atq; memorialibus, in dicta Pragenſi Eccleſia, quæ Mater eſt Eccleſiarum omnium Regni noſtri Boëmiæ & Magiſtra, ſinceris celebrantur obſequijs, pijs eorum interceſſionibus Regni ipſius Incolis, & præſentis vitæ fælicitas, & æterni Regni jucunditas præparetur. Volumus inſuper & ſincero deſideramus affectu, ut per ſingulos annos, Sancto die Paſchæ prædictus liber Evangelij S. Marci, in proceſſione ſolemniter deportetur, & in ipſo Evangelium ejusdem feſti, quod in dictis duobus quaternis habetur, ab uno Prælato vel Canonico Eccleſiæ, in Eccleſia ipſa, in majori Miſſa legatur; conveniántq; de ſingulis Eccleſijs, *tam Regularibus, quàm ſecularibus Collegiatis & Parochialibus in Civitatibus noſtris Pragen. & earum ſuburbijs ſituatis, duo Præsbyteri, ſeu inferiorum ſacrorum ordinum Miniſtri, veſtibus Diaconalibus induti, quorum unus turibulum cum incenſo, alter plenarium, ubi illud poteſt haberi, in proceſſione teneant, & demum legenti* Evangelium, *in circuitu ejus aſſiſtant, totiq; Miſſæ adusq; finem interſint. Hanc igitur noſtram diſpoſitionem, tu Archi*Epiſcope *in* Eccleſijs *prædictarum Civitatum & ſuburbiorum, tuæ jurisdictioni ſubjectis, in formam perpetui ſtatuti redigere; in* Exemptis *verò* Eccleſijs, *apud earum Prælatos, ex parte noſtræ Celſitudinis, ut noſtra impleatur intentio, precibus ſtudeas impetrare. In teſtimonium verò veritatis ſupradicti Evangelij, præſentes fieri fecimus litteras, ſigilli noſtræ Majeſtatis appenſione ſignatas. Datæ Feltri. Anno D. 1354 Indic. 7. die ultimo menſis Octobris, Regnorum noſtrorum anno Nono.*

Ex hoc quotannis in Eccl. Prag. die Feſto Paſchæ & Aſcenſ. Dom. Evang. canitur.

Quòd verò dicit; *in ultimo folio dictis duobus quaternis appoſito, ſe Regiâ manu ſuâ plenè ſcripſiſſe, ad rei memoriam ſempiternam,* eſt illud:

Autographum & teſtimoniū Caroli IV. de libro hoc Evang. S. Marci propriâ manu ſcriptū, quod hodiéq; veneramur.

Ego Carolus Quartus DEI *Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, vidi librum Evangeliorum S. Marci de ſua propria manu ſcriptum Integrum, ab initio usq; ad finem in ſeptem quaternis, in poteſtate Patriarchæ Eccleſiæ Aquilegienſis; qui liber in dicta Eccleſia fuit ſervatus à Beato Hermagora, & ab Eccleſia Aquilegienſi prædicta, usq; in hodiernum diem: qui videlicet B. Hermagoras de manu Beati Marci eundem librum accepit,*

& à

& à B. Petro per reſignationem & interceſſionem S. Marci accepit Præſulatum prædictæ Aquilegienſis Eccleſiæ: de quo Libro, petitione meâ, apud Patriarcham & Capitulum dictæ Aquilienſis Eccleſiæ obtinui iſtos duos quaternos ultimos Libri prædicti; & alij quinq; precedentes remanſerunt in Eccleſia ſupradicta. & hæc ſcripſi manu meâ propriâ, anno ab Incarnato Verbo, 1355. in Vigilia Om. SS. Regnorum meorum anno Nono.

Huic ſubſcripſêre, tres Epiſcopi Auguſtanus, Vincentinus. & Litomiſslenſis hunc in modum: Subſcripſerũt, qui viderant, Epiſcopi, teſtes omni exceptione majores.

Et ego Marquardus DEI Gratiâ Epiſcopus Auguſtenſis, in teſtimonium Veritatis præmiſſorum omnium, manu meâ propriâ me ſubſcripſi.

Et ego Frater Ægidius Dei GratiâEpiſcopus Vincentinus & Comes, in teſtimonium Veritatis præmiſſorum omnium, manu meâ propriâ me ſubſcripſi.

Et ego Joannes Dei Gratiâ Litomiſſlenſis Epiſcopus, in teſtimonium Veritatis præmiſſorum omnium, manu meâ propriâ me ſubſcripſi.

Sunt & Nicolai Patriarchæ Aquil. Teſtimoniales.

In Nomine Domini noſtri JESU Chriſti. Quòd Beatiſſimus Marcus Evangeliſta, *Principis Apoſtolorum Diſcipulus, & per Baptiſmum filius adoptivus, ab ore ipſius veri. teſtis, ſacrum* Evangelium *ſcripſerit Latino ſermone, quódq; ad prædicandum verbum veritatis, Aquilegiam totius Italiæ Civitatem famoſiſſimam miſſus fuerit, apud quam etiam* Evangelium *manu ſcripſit propriâ, ſacris demonſtratur elogijs, teſtantur Annalia, & veris ac manifeſtis eſt indicijs approbatum. Cùm itáq; hujusmodi theſaurus precioſiſſimus, in theca Venerandæ Aquilegienſis* Eccleſiæ *reconditus, ab initio militantis* Eccleſiæ, *usq; ad hæc tempora fuerit non abſconſus.* Nicolai Patriarchæ Aquil. teſtimonium,

Nos Nicolaus Dei Gratiâ Sanctæ Sedis Aquilegienſis Patriarcha, ad præſentium notitiam & memoriam deducimus futurorum, quòd Chriſtianiſſimus Princeps, virtutum omnium ſpeculum & exemplar D. Carolus Dei Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, velut prudens negotiator & ſolicitus, non violentiâ, qui librũ hunc Evang. S Marci, Carolo IV.

 non

non venali commertio, ſed humilitatis & ferventis fidei Zelo, atq;
lacrymarum fluentium precio comparare deſiderans, partem poſtu-

cum conſenſu Capituli,

lavit hujusmodi lucidiſſima Margarita. Nos autem vocatis dile-
ctis filijs noſtris, Vicedecano & Capitulo prædictæ Aquilegienſis Ec-
cleſiæ, cum eisdem maturâ deliberatione penſantes, quod talentum
hujusmodi ſic diviſum, non diminutionem recipit, ſed augmentum;
& quod lucerna hæc è modio ad lucem trahitur aliorum; nec non
Mandatoris inclinati ſupplicationibus, tam piè támq; devotè noſtra
pectora demulcentis, partem Libri Evangelici ſupradicti, à Verbo

(z) cap. 12. verſ. 20.

videlicet illo quod dicit: Septem ergo fratres erant (z) usq; ad
finem ejusdem Evangelij, approbante, laudante & conſentiente
unanimiter toto Capitulo noſtro, devotè, ſpontè & liberè duximus

dono dederat,

concedendam. Quam quidem partem, mitiſſimus Rex, noſtros a-
nimos ex libri diviſione exaſperare titubans, de verbo ad verbum
per fidedignas perſonas, absq; litteræ vel ſyllabæ, aut dictionis, pun-
cti vel dyphtongi diminutione tranſcribi juſſit & mandavit; & di-
ligentiùs examinatâ parte tranſcriptâ cum textu Originali, ut res
integra maneat; & tranſcripto prædicto fides perpetuò adhibeatur
plenaria, illud inſigniri voluit ſua typario Majeſtatis in Archivio
noſtræ prædictæ Eccleſia, penes partem nobis dicti Evangelij reſerva-
tam, in ævum devotè & fideliter conſervandum. Has autem no-
ſtra, & dicti noſtri Capituli conceſſionis litteras, ne forte in poſte-
rum, partem prædictam non eſſe ſpontè conceſſam, ſed violenter fu-
iſſe ſurreptam, quis malevolè hæſitet, ſcribi in præmiſſorum teſti-
monium juſſimus, & noſtri Sigilli munimine roborari. Datum Uti-
ni, die 17. Menſis Octobr. anno 1354. Indict. 7.

Aliæ ejusdem ſuper Caput S. Lucæ Evangeliſtæ.

Aliud ejusd. de capite S. Lucæ Ev.

In Nomine Domini noſtri JESU Chriſti. Lucas Evangeliſta
præcipuus, arte medicus, non ſolùm Apoſtolorum Diſcipulus, verùm
etiam gloriosè Doctorem gentium ſequutus eſt, & Chriſti exordium
ſecundùm humanitatem contexens, ac quæ cæpit facere & docere,
paſſionisq; ejus triumphum lucido declarans eloquio, languentibus
in errore animis ſalutarem tribuit medicinam. Cui nimirum in-
ter animalia quatuor diſcurrentia, quæ vidit Ezechiel, vitulus bo-

vis

vis myſticè deſignatur; Ut verum reddat teſtimonium vitulo ſaginato, qui ſe ipſum pro redemptione noſtra hoſtiam pacificam obtulit Deo Patri. Et quamvis multi diverſo ſtylo ejus laudes & preconia prædicent & teſtentur, in unum tamen concluditur, quòd virgineo candore vitam duxit, usq; in ſenectam & ſenium ſine labe. Ab illius ore texens Evangelium, quæ Paranympho nunciante, obumbratione S. Spiritûs, Virgo Verbo concepit, Virgo peperit, & poſt partum Virgo permanſit, ac totius Trinitatis Sacrarium ipſum verum Deum & hominem, quem genuit, adoravit. Verùm cùm non ſit dubium, & veris indicijs ac prodigijs conſtet, Corpus ejusdem Evangeliſtæ de partibus Bythiniæ tranſlatum fuiſſe, ad Civitatem antiquis temporibus Paduanam, & collocatum mirificè in Cœnobio S. Juſtinæ inſignibus & claris corruſcare miraculis. Nos Nicolaus Dei Gratia Sanctæ Sedis Aquilegienſis Patriarcha, tenore præſentium notum fore volumus univerſis, quòd Chriſtianiſſimus Princeps & D. noſter, D. Carolus Dei Gratiâ Romanor. Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, pridem exiſtens in dicta Civitate Padua noſtræ Provinciæ Aquileg. velut mundus & acceptus Deo Samuel, non materiali linteo, ſed humilitatis cinctus Ephod, ad dictum Monaſterium devotè acceſſit, & non aurum, nec veteriſcentem theſaurum, ſed devotas devotè devotus Reliquias perquiſivit, & invento eo, illud præ gaudio devotionis & puritatis munere acquiſivit, petens Præceptor, & preces porrigens Imperator, ut ſibi Caput prædictum non juxta ejusdem Sancti venerationem condignam, ſed juxta Regiæ manſvetudinis devotionem venerandum & excollendum ſibi concederetur, pro munere gratuito. Quapropter viri Religioſi & honeſti, Abbas & Conventus Monaſterij ſupradicti, tantam & tanti Principis & Domini devotionem & preces humiles advertentes, quærenti, petenti & pulſanti in charitatis zelo, repulſivam dare minimè potuerunt; eidémq; Principi, adſtantibus ſibi ibidem ejusdem Domini Regis, & Sacri Imperij Principibus Eccleſiaſticis & mundanis: videlicet nobis Nicolao Patriarcha prædicto, & Nicolao ArchiEpiſcopo Jadrenſi, Marquardo Auguſtenſi, Joanne Lithomiſſlenſi Regiæ Majeſtatis Cancellario, Joanne Cremonenſi & Protiva Segne-

Paduæ in Cœnobio S. Juſtinæ.

præſentibus quàmplurimis Principibus,

Segnenſi Epiſcopis, nec non DD. Joanne Burggravio Nürenburgenſi, Ludovico Comite de Ottingen, Wladulawo Duce Teſſinenſi, Buchardo Comite Magdeburgenſi, Jacobino & Franciſco de Carravia civitatis Paduæ Vicarijs pro Regia Majeſtate; atq; Venerabilibus viris DD. Bohuſſio Præpoſito Lithomericenſi, Bartholomeo Archipresbytero Paduanenſi, aliaq; Clericorum militum nobilium & popularium multitudine copioſa, Caput prædictum ſolemni jubilo & pari voce conceſſerunt, jucundante & exultante prædictæ civitatis Clero & populo univerſo. Ad cujus rei evidentiam & perpetuam memoriam, Nos Patriarcha prædictus, has noſtræ Metropoliticæ auctoritatis litteras fieri juſſimus, & noſtri pendentis ſigilli munimine roborari. Datæ Paduæ die 6. menſis Novembr. anno Nat. Dom. 1354. Indictione VII.

per Carolum acquiſito.

Carolus in petendis Reliqu. circumſpectus & cautus;

Quam porrò adhibuerit cautionem & diligentiam circum ſpectiſſimus Imperator, in eo, ne ulla fraus dolusque, vitiatis fortaſſe SS. Reliquijs, & profanis ſuppoſitis, ſubreperet, vel ex hoc publicæ fidei Inſtrumento, ſuper Caput D. Lucæ Evangeliſtæ dato, fit manifeſtum.

quod vel ex hoc publico Notarij inſtrumento patet.

Noverint Univerſi præſentes litteras inſpecturi, qualiter Magnificus & Potens DD. Jacobinus de Carravia, pro Illuſtri Principe & DD. Carolo, Dei Gratiâ Romanorum Rege ſemper Auguſto & Bohemiæ Rege, Civitatis Paduæ & Diſtrictûs Vicarius Generalis, & Venerabilis Pater D. Nicolaus Abbas Monaſterij Beatæ Juſtinæ de Padua, ad requiſitionem & mandatum Sereniſſimi Regis Romanorum, petentis velle aliquid de Reliquijs & Sanctuarijs corporis Beati Lucæ Evan. quod eſt in dicto Monaſterio, in Eccleſia ipſius Monaſterij, in uno monumento marmoreo, ſuper quo eſt Altare dicti B. Lucæ: omni reverentia & devotione, quibus meliùs & cautiùs potuerunt, cum magiſtris & inſtrumentis, ad lapidem qui tegit dictum monumentum, elevandum neceſſarijs, dictum lapidem fecerunt tantùm in altum elevari, quòd dictus D. Abbas potuit tangere & videre, una cum dicto D. Jacobino, & teſtibus infraſcriptis totum illud, quod erat, in dicto monumento. In quo quidem monumento erat, una caſſa plumbea, longáq; per totum monumentum; quam

quam caſſam dictus D. Abbas, adjutus à dicto D. Jacobino & teſtibus infraſcriptis aperuit, in qua cuncta oſſa, & Reliquiæ dicti B. Lucæ ſtabant; & tunc dictus D. Abbas, Caput cum maxillis ſuis, & quindecim dentibus fixis in eis, de dicta caſſa recepit, & tunc dictum Caput & maxillas ſub ſigillo dicti D. Jacobini, idem D. Jacobinus & Abbas ſupradicti miſerunt, & portari fecerunt, per R.D. Boſonem Præpoſitum Litomericenſem, & me Bernardum Notarium infraſcriptum, ad præfatum D. Regem. Quod Caput cum maxillis & dentibus, idem D. Boſius, & ego Bernardus, ſub dicto ſigillo præſentavimus, pro parte dicti D. Jacobini & Abbatis, prout habuimus in mandatis. Receptæ fuerunt ſupradictæ Reliquiæ ſive Sanctuaria de dicto monumento, præſentibus dictis D. Jacobino, & D. Boſone Præpoſito ſupradicto, Alberto bono de Wectarijs de Padua, & me Bernardo de Caſtellione Notario, ſub anno Nat. Dom. 1354. Indictione VII. Has autem literas in evidens teſtimonium, ſubſcripti DD. Jacobinus & Abbas, fecerunt ſigillis eorum proprijs communiri pendentibus.

Ego Bernardus olim Marchionis de Caſtellione Imperiali auctoritate Notarius, ſupradictis omnibus præſens fui, & propterea me ſubſcripſi, & meum ſignum conſvetum appoſui, quòd omnia ſupraſcripta fuerunt, anno & Indict. ſupraſcriptis die 9. Novemb.

Mantuam deinde Carolus veniens, Reliquias S. Longini M. in Eccleſia S. Andreæ obtinuit: de quo Bolandum in Actis Sanctorum (a) referentem audiamus. *Interim,* inquit, *anno 1354. venit in Italiam Innocentij Papæ VI. hortatu, ad ſuſcipiendam Imperij coronam Carolus Bohemiæ Rex, & componendis Italiæ rebus intentus Mantuæ, ut ſcribit Æquicola, à Vigilia S. Martini usq; ad finem Decembr. ſubſtitit. Quo tempore religioſiſſimus Princeps vehementi deſiderio adorandi Sacri ſanguinis ſtimulatus, noctu, ne quid turbarum cieret, in Eccleſiam S. Andreæ acceſſit, paucis comitatus; ſcilicet Ludovico & Franciſco Guidonis Gonzagæ filijs, Laurentio monaſterij illius Abbate, Andrea de Goito Protonotario* Reliquiæ S. Lõgini Mantuâ per Carol. allatæ.

Mmm *Apo-*

(a) *Joan. Boland. in Actis SS. ad d. XV. Martij pag. 380.*

Apoſtolico, dictorum Dominorum Conſiliario intimo, unà cum Sacriſta fabriſq; neceſſarijs ad propoſitum ſuum. Ab his, coram illo & futuro Imperatore, effractum pavimentum eſt, ad latus dextrum majoris altaris; elatæq; ſunt ampullæ, ſacra pretioſa Spongiæ, Sanguiniſq; Dominici lipſana continentes: ijs autem poſt inſpectionem venerationémq; congruam in locum priorem relatis recluſiſq; ſic ut nihil inibi motum appareret, convertit ſeſe Carolus ad arcam in qua S. Longini oſſa veneranda ſervabantur; ex quibus rite adoratis accepit ille brachium dextrum, atq; humeri partem in Bohemiam deportanda: & arcâ denuò accuratè clauſâ, in ſuum ſeſe recepit hoſpitium, ſpirituali abundans lætitiâ. Huc usque Bolandus ex Mario Æquicola, & Fr. Hippolyto Donesmundi, & hic ex *MS. hiſtoria*, ut ait, *oculati teſtis & rebus omnibus, cùm gererentur, præſentis.*

Quod verò addit Bolandus, ut id breviter attingam, in MS. Martyrologio Eccleſiæ Prag. ante tria circiter ſecula exarato, ad XV. Martij, inter alia fieri quoque mentionem Capitis S. Longini per Carolum obtenti Mantuæ, in monaſterio S. Andreæ, & donati Eccleſiæ Pragenſi, nullam tamen ipſius fieri in dicta narratione Hippolyti, ſed tantùm bracchij & humeri, quaſi dubitaret de veritate rei; præſertim *cùm inter Pragenſes Reliquias* (verba ipſius ſunt) *in conſignationeReliquiarum facta anno 1664. die 24. Septembris, nullum nunc caput inveniatur, quod S. Longini credi poſſit; niſi caput cujusdam Innominati, ut habet inſcriptio recens, poſtquàm veterem ſchedam, veri nominis indicem, temporis abſumpſiſſet edacitas, ſicut & in alijs multis*: Scire debemus, Carolum hâc vice omnino partem brachij & de humero tantùm, ut memorat Hippolytus, obtinuiſſe à Mantuanis; aliâ tamen vice, idque circa an. 1368. etiam partem de capite: obſervo hoc ipſum ex diverſis conſignationibus SS. Reliquiarum, anno 1355. atque iterum annis 1360. & 1363. per Przedvogium, Plichtam & Wrativogium Decanos Eccleſiæ Prag. factis, in quibus fit tantùm mentio bracchij, & alterius adhuc partis de corpore S. Longini militis. Capitis primò meminit

con-

conſcriptio facta an. 1368. Nec aliàs in Martyrologium, quod diebus ſingulis in Eccleſia Prag. ſub Divinis Officijs legi ſolebat, Majores noſtri, viri integerrimi, illud inſeri præſumpſiſſent: cujus partem ſicut etiam brachij, hodièque piè veneramur. Quod conſignationem SS. Reliquiarum factam an. 1664 attinet, illa continet ſolùm SS. Reliquias Carlſteinenſes, non Metropolitanas, quarum ſyllabus nunquam adhuc in lucem prodijt, & quæ numero longè plures, tum etiam notabili magnitudine inſignes, ut paulo poſt patebit, inveniuntur. Sed ad alia.

Anno ſequenti in Epiphania Domini, Carolus Mediolani coronâ ferreâ, Romæ verò ipſo ſolemni Paſchatis die, Imperiali diademate coronatur; præſentibus ex Bohemia & Moravia, Arneſto ArchiEpiſcopo Pragenſi, Joanne Ocello de Wlaſſim Olomuc: Joanne II. Litomiſslenſi, & Protiwâ Czerninio Segnienſi Epiſcopis: Bohuſſio de Pardubicz Præpoſito Litomericenſi, Czenkone de Lippa, Peſſicone de Janowicz, Henrico de Nova Domo, Theobaldo Swihowsky de Riſenberg, Haymone de Duba, Alberto & Georgio fratribus de Kolowrat, Beneſſio de Kolowrat, Nicolao de Landſtein, Matthia de Klinſtein, Joanne Lepore de Waldek aliàs de Hazmburg, Jaroſſio de Rziczan, Georgio Kaplirz de Sulewicz, Jaroſſio Kapaun de Swogkova proceribus Bohemis; Zdenkone de Lomnicz, Smilone de Daubrawicz, Beneſſio Lomniczsky de Nameſti, Bohuslao de Wiczkowa, Wenceslao de Swabenicz proceribus Moravis; & ex Italia, Gallia, Germania Epiſcopis, Principibus, Comitibus & Nobilibus quàm plurimis.

Carol. IV. Imper. Romæ coronatur.

Bohemi & Moravi proceres ibid præſentes

Mediolano priusquàm Piſas, & inde Romam diſceſſiſſet, (non cùm Româ in Bohemiam reverteretur, ut vult Daubravius & Hagek) cognito S. Viti Caput & Corpus Ticini, ſive Papiæ, in Monaſterio S. Marini Ord. S. Benedicti piè aſſervari, legatos eò miſit Papienſem, Pergamenſem & Vincentinum Epiſcopos, Bohuſſium item Præpoſitum & Joannem de Wartmberg Canonicum Litomericenſem, ſacra hæc Pignora donari ſibi pe-

tens: quibus impetratis, ſine mora id ArchiEpiſcopo Prag. Arneſto (qui tamen inter hæc Pragâ diſceſſerat Cæſarem ſequutus) Capitulo Metrop. ac toti Clero & populo Urbis Pragenſis, haud ignorans acceptiſſimum illis fore nunciũ. per ſpeciales literas ſignificandum duxit. Adſcribere hic illas placuit, quò magis adhuc appareat, quàm amans fuerit Eccleſiæ ſuæ Pragenſis piiſſimus Imperator, & quàm in ea omnibus poſſibilibus modis exornanda ſollicitus, ac verè ipſiùs totus.

Arneſto ArchiEp. & Capitulo Prag. id per literas ſignificat.

Carolus DEI Gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohem. Rex. Venerabili Arneſto ArchiEpiſcopo, nec non Premiſlao Præpoſito, Przedvogio Decano, Sdenconi Scholaſtico, & Capitulo Pragenſis Eccleſiæ, totiq; Clero & populo Regalis Urbis noſtræ Prag. devotis & fidelibus noſtris dilectis, gratiam Regiam & omne bonum.

Literæ ipſius dignæ lectione.

Oriens ex alto ſplendor lucis æternæ, qui neſcit occaſum, ſicuti priſcis temporibus Bohemorum gentem gentilibus erutam erroribus, novellam tunc S. Matris Eccleſiæ plantulam, inter ipſa morum converſionis ſuæ primordia, Candore mirabili illuſtravit: ita etiam his temporibus, quibus auctore Domino, in paradiſo Eccleſiæ ſecus decurſus aquarum fluentium tranſplantata, ac in arborem erecta procerам, fæcundâ fructuum ſpiritualium ubertate fulcitur, ſuis eam non deſinit fulgoribus adornare, ac varijs gratiarum dotibus inſignire. Tunc enim glorioſi Bohemiæ Principes, de quorum alto ſanguine traxiſſe nos conſtat originem, pro Chriſti nomine glorioſa ſubiêre certamina, & pia colla jugulo ſubmittentes, atrociter trucidati cæleſte Roſarium meruerunt, fertis præſignitis roſeis introire. Nunc per noſtræ vigilantiæ Regalis obſequium, varia ſacrata Sanctorum corpora, innumeraſq; Reliquias longè latéq; per Orbem collectas, fælix meruit Bohemia poſſidere: fælix nimirum Bohemia, quæ talibus & tantis Divinâ clementiâ muneribus ſe prædictam gloriatur; fælix utiq; in cujus aula Regali, Magnificam Sedem ſibi elegit excellens Imperium Orbis terræ. Ad cujus nos apicem, licet immeriti, cæleſti providentiâ ſublimati, ſummopere meditamur, & dum etiam pro humana conditione oculis corporis noſtri ſopor illabitur, vigilat cor noſtrum aſſiduè, in his, per quæ ſtatus Magnificus, & ex-

& exaltatio venerandæ Matris noſtræ S. Pragenſis Eccleſiæ producatur, quam Venerabiles Patroni & Progenitores noſtri dilecti, conſperſione ſui roſei ſanguinis conſecrárunt, quæq́; Eccleſiarum omnium Regni noſtri Bohemiæ Domina eſſe dignoſcitur & Magiſtra. Sanè dum nuper ad ſuſcipiendum Coronam ferream, quâ noſtri Prædeceſſores D. vi Romanorum Reges, inter triphariàs Imperij Sacri Coronas, in ſecunda ſui coronatione, ſunt ſoliti coronari, Mediolanum applicuiſſemus, & Coronâ eâdem fuiſſemus ſolemniter inſigniti, inter ipſa coronationis noſtræ ſolemnia, lætanter audivimus, qualiter in Civitate Papienſi in Monaſterio S. Marini, Ordinis S. Benedicti, in majori altari, Inclytus quondam Aſtulfus Lombardorum Rex, ab annis octingentis circiter, Caput & Corpus Beatiſſimi Viti Martyris Patroni noſtri eximij, mirâ devotione & honorificentia collocavit. Harum igitur precioſarum Reliquiarum deſiderio ferventer accenſi, continuò Venerabiles Papienſem, Pergamenſem & Vincentinum Epiſcopos, nec non honorabiles Bohuſſium Præpoſitum, & Joannem Canonicum Eccleſiæ Litomericenſis, Capellanos & devotos noſtros commenſales dilectos, ad dictam Papienſem Civitatem, noſtra providit Serenitas dirigendos, pro parte noſtræ Celſitudinis, Caput & Corpus prædictum inſtantiſſimè petituros. Quibus ad arduam precum noſtrarum & deſiderij ardentis inſtantiam, in multorum Nobilium, Prælatorum Civiúmq; præſentia, prædicto altari reverenter aperto, Abbas S. Marini, nec non Nobiles & Cives Civitatis præfatæ Papienſis, licèt inviti, & earundem Reliquiarum avidi, noſtris tamen votis ac precibus ſatisfacere cupientes, & adventum Regium ſibi deſideratiſſimum in ea parte ſingulariter honorantes, ipſas, quas ex nimia vetuſtate pro majori parte redactas repererunt in pulverem, eiſdem noſtris Nuncijs non ſine lacrymarum profluvio præſentárunt, per eos noſtræ Celſitudini aſſignandas, quas precioſiſſimum Civitatis & Eccleſiæ Papienſis, ſuúmq; eſſe theſaurum, communis eorum aſſertio proclamabat; prout ſuper his omnibus Inſtrumentum publicum eſt confectum, & dictorum Epiſcopi Papienſis, nec non Abbatis S. Marini, & Communitatis Papiæ ſigillis, ad præmiſſorum omnium clariorem evidentiam,

& perpetuam rei memoriam conſignatum. Quod proceſſu temporis, unà cum ſacrato Capite & Corpore B. Viti, per ſpeciales nuncios, ad prædictam Pragenſem Eccleſiam in ejusdem glorioſi Martyris titulo & honore conſtructam, favente Domino transmittemus, aut in noſtro fælici Deo auſpice adventu, nobiscum faciemus afferri. Sperantes per Divinæ diſpoſitionis providentiam accidiſſe, ut Regiminis noſtri temporibus, Caput & Corpus dicti glorioſi Martyris, ad Eccleſiam ſuo nomini antiquitùs fabricatam afferretur, cujus meritis glorioſis fælix Bohèmia temporali proſperitate lætetur, & ejus devoti, poſt præſentis caducæ lucis occaſum, in Regione lucis perpetuæ gaudijs mereantur perfrui ſempiternis. Volumus autem totum tenorem præmiſſum, per ſingulas Collegiatas, Conventuales & Parochiales Urbis noſtræ Pragenſis, & ſuburbiorum ejus Eccleſias, Clero & populo ſolemniter publicari. Præſentium ſub noſtræ Majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Piſis anno Domini 1355. Octavâ Indictione, XI. Cal. Febr. Regnor. noſtror. anno 9.

Româ Carolus redux, unà cū theſauro Ss. Reliquiar: honorificentiſſimè excipitur.

Româ rediens Carolus, Ss. Reliquias Arneſti ArchiEpiſcopi curæ commiſit: cum quo precioſiſſimo theſauro Prægæ demum appropinquans, quantâ omnium Ordinum, qui ex diverſis Regni partibus certatim confluentes, ei Beraunam usque, tertio à Praga milliari obviam proceſſerant, lætitiâ; quantâ ipſius etiam plebis exultatione; quanto denique omnium applauſu & vocibus, quibus ei fauſtum fortunatúmque Imperium & vitæ diuturnitatem precabantur, exceptus fuerit, dici (verba ſunt Hagecij (*b*) *& explicari ſatis nequit.*

Præter corpus S. Viti, aliæ Reliquiæ tunc allatæ hìc recenſentur.

Inter alia Ss. Pignora tunc allata, invenio celebriora fuiſſe, præter jam memorata corpus & caput *S. Viti*, *S. Lucæ*, & *S. Victoris* capita, & S. Longini Reliquias, etiam

Ss. { *Philippi Apoſt.* caput.
Joan. Bapt. duæ inſignes partes
Stephani ProtoM. caput,
Ananiæ qui Saulum baptiſaverat caput.
Laurentij brach. }

Ss. { *Valentini Ep. & M.* brach.
Joannis & Pauli MM. duo notabilis magnit. oſſa.
Apollinaris Ep. & M. pars inſ.
Feliciſſimi & Agap. MM. duo magna fruſta. }

Pignus-

St.
Pigmenij M. qui erat pædagog. Iuliani Apoſtatæ, pars de cap.
Vitalis M. & filiorum ipſius.
Gervaſij & Protaſij MM. aliquot partes.
Hermagoræ M. qui erat diſcipulus S. Marci, brachium,
Geminiani Ep. de brach.
Cæſarij M. pars inſ.
de baculo *S. Pauli Ap.*
Auguſtini Ep. & Eccleſiæ Doct. duæ partes.
Dalmatij M. Romani Conſulis pars de brach.
Chriſtinæ V. & M. de ſcapula.
Cæciliæ V. & M. de brach.
Saturnini M. de brach.

St.
Annæ Matris Deiparæ digitus.
Pauli Ap. pars de brach.
Antoniæ V. & M. caput.
Coſmæ & Damiani de capitib.
Agathæ V. & M. de cap.
Petri M. de capite.
Felicis & Adaucti de capitib. & brach.
Coronæ V. de cap.
Mauritij M. brachium & gladius.
Ruffi M. qui erat diſcipulus S. Apollinaris, pars inſ.
Clementis Pap. & M. catena, quâ ligatus in mare præcipitatus eſt.

Teſtimoniales omnium & aliorum ex hoc itinere Romano allatorum hodiéque exſtant, in Archivo Capituli: ſed ne tædio ſim legentibus, tum quia propoſiti mei eſt tantùm, præmittere aliqua ſequuturo aliquando majori alterius Authoris Operi, iJs hic referendis ſuperſedeo.

Anno 1356. Carolus Imperator conventum egit Principum celeberrimum & frequentiſſimum Nürmbergæ; atque iterum alium anno ſequenti Metis: in quibus re ſapienter & multum deliberatâ, legem Aureæ Bullæ nomine notam, comprehendentem modum ritúsque ſervandos in Electione Imperatoris, & alia quæ ad Imperij decus & Majeſtatem, pacémque publicam conſervandam faciant, condidit; quâ unâ, veluti columnâ firmiſſimâ, hodiéque Romanum Imperium ſuſtentari videmus. Caroli IV. Aurea Bulla,

Ex hoc itinere (nam totum illum Germaniæ tractum, qui Rheno, Mæno & Wiſurgi, & ex altera parte Galliam verſùs, Moſâ & Moſellâ continetur, tunc peragraverat) rurſus ampliſſimum Ss. Reliquiarum theſaurum collegit; cum quo demum anno ſequenti, circa æquinoctium vernum, Pragam triumphanti ſimilis redijt. & in conquirendis Ss. Reliquijs indefeſſum ſtudium.

Erant

Erant ex ijs notiores:

Aliæ iterum SS Reliquiæ per Carolum allatæ:

Ss.
Palmatij Trebirenſis M potior pars corporis.
Arnulphi Ep. Metenſis partes aliquot de corpore, unà cum occipite.
Gereonis M. brachium.
Theodori M. brach.
Ludovici Reg. digit.
Hilarij Ep. inſigne fruſtum.
Hermetis M. brach.
Chriſtinolæ V. & M. caput.
Burghardi Ep. brach. & aliæ facilè trecentæ: præter illas, quas ex Gallijs acceperat, nempe.

Ss.
Dionyſii Areop. brach.
Leonardi Ab. cap.
Medardi Ep. brach.
Mariæ Magd. part. de brach.
Martini Ep. Turon. part. de cap.
Remigij Ep. part. inſ.
Inſuper *duæ erant de Sanctiſſimæ Chriſti Coronæ ſpinæ, quas* Joannes Rex Galliæ, per Carolum primogenitum ſuum, Carolo IV. Metis tunc agenti, dono miſerat.

Litteræ horum omnium teſtes, ſunt nobis etiam præ manibus; ſed ùt jam dixi, referre hic illas eſſet nimis longum, & legentium animis fortaſſe injucundum. Contineri tamen non poſſum, quin illas ſaltèm, quas Joannes Galliæ Rex ſuper prætactas duas Coronæ Paſſionis Dominicæ ſpinas dederat, cùm præ alijs breviores ſint, hic adſcribam.

inter alias, duę ſpinæ de Corona Paſſionis Dom. à Joan. Rege Galliæ,

Joannes DEI Gratiâ Francorum Rex. Notum facimus univerſis, præſentibus & futuris. Quod nos Sanctæ devotionis affectum, quem ad ſacratiſſimam Coronam Spineam, in ſua glorioſiſſima Paſſione noſtri impoſitam capiti Salvatoris, quæ in Sacrario Reliquiarum noſtræ Sacræ Capellæ Regalis, Pariſijs ab antiquis temporibus repoſita ſervatur, Sereniſſimus Princeps, D. Carolus IV. DEI Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boëmiæ Rex, frater noſter chariſſimus, habere dignoſcitur; & zelum ſyncera dilectionis, quem ad nos & Domum noſtram Franciæ, & liberos noſtros Nepotes ſuos rerum experientia gerere comprobatur, debita meditatione penſantes; ut ardentius creſcat ſuæ devotionis affectus, duas ſpinas de Dominica Sacratiſſima Corona, per manus dilecti & fidelis Conſiliarij & Cancellarij noſtri Petri ArchiEpiſcopi Rothomagenſis extrahi fecimus, & reverenter aſſumi; ipſasq. eidem Fratri noſtro, per dilectiſſimum primogenitum noſtrum Carolum Ducem,

cem Normaniæ Viennenſémq; Delphinum, ipſius fratris noſtri nepotem, fecimus præſentari, eáſq; eidem Fratri noſtro chariſſimo, fraterna & liberali affectione, concedimus & donamus. Et ut nemini veniat in dubium, quin dictæ ſpinæ de prædicta Corona Sacratiſſima veraciter ſint extractæ, litteras præſentes præfato fratri noſtro, una cum dictis ſpinis, tradi fecimus noſtro magno ſigillo ſigillatos, in teſtimonium veritatis. Datum Pariſijs, anno D. 1356. Menſe Maij.

per proprium filium Carolū Delphin. (*poſtea Succeſſorē, ejus nom. V. cognomento Sapientem*) Carolo Imp. donc miſſā;

Attulit tunc Carolus Imperator, etiam partem Crucis de ligno Arcæ fœderis, quam in Eccleſia Cathedrali Trajectenſi acceperat. Meminit hujus Guilhelmus Texius ejusdem Eccleſiæ Canonicus (*c*) in Cathalogo Ss. Reliquiarum Eccleſiæ S. Servatij Epiſcopi, in Oppido Trajectenſi ad Moſam hiſce: *Inter cætera ſervatur incluſa cruci argenteæ deauratæ, pars notabilis Arcæ fœderis, quam Deus in veteri Lege magna in veneratione haberi voluit: utpote figuram futurorum in lege gratiæ. In cujus Crucis dorſo exaratum & inſculptum eſt: Anno Domini 1357. Menſis Januarij 23. D. Carolus IV. Imperator & Boëmiæ Rex, recepit mediam partem hujus Crucis, quæ eſt de Ligno Arcæ fœderis, ſive veteris Teſtamenti: & fecit eam hoc opere ornari ex magna Devotione.* Hæc inter Carlſteinenſes etiamnum aſſervatur, vide in Octavo Ordine ciſtulam ultimam.

& pars crucis de ligno Arcæ fœderis.

Pragam itaque reverſus Carolus, è Ss. Reliquijs quas attulerat, aliquas Eccleſiæ Metrop. donavit auro & argento decoratas: prout teſtatur Beneſſius noſter, qui viderat; *Eodem anno* inquit, videlicet 1358. *D. Imperator ſpecialem habens devotionem ad S. Wenceslaum protectorem & adjutorem ſuum præcipuum, Caput ipſius Sancti circumdedit auro puro, & fabricavit ei tumbam de auro puro, & pretioſiſſimis gemmis, atq; lapidibus exquiſitis adornavit & decoravit, adeò ut talis tumba in mundi partibus non reperiretur. Inſuper tumbas aliorum Sanctorum, nec non Capita, brachia & Reliquias diverſorum Sanctorum, ex diverſis mundi partibus collectas auro, argento & gemmis venuſtiſſimis decoravit, & Eccleſiæ Pragenſi donavit.* Alias ad arcem Carlſtein.

Carolus SS. Reliquias auro & argento exornat.

(c) *Beyerl. in Magno Theatr. lib. R pag. 187.*

ſtein recens extructam cum Imperialibus deferri, ibique in loco ſacro ad id deputato, piè aſſervari juſſit (*videatur Hagek ad annum* 1357.) quas demum ſubſequentibus annis longe pluribus auxit. Metropolitanis quoque non multo poſt Corpus S. Sapientiæ V. & M. capita octo, unum S. Maluſij, & ſeptem Ss. Virginum & Mm. de Soc. S. Urſulæ: & anno 1365. Corpus S. Sigismundi Regis Burgundiæ, S. Longini M. pars de capite, brachium S. Quintini M. ex Gallia, caput S. Leodegarij Ep. & M. ex monaſterio Gerbil dicto Baſil. Diæceſis allata, & alia plura acceſſere.

Ss. Reliquiarũ Cathedral ſeu Metropol. an. 1368. conſcriptio.

Jam Syllabum omnium Ss. Reliquiarum, quibus tunc Eccleſia D. Viti Metropolitana decorata claruit, videamus; id quod ex Inventario per Wrativogium Decanum anno 1368. facto, luculenter obſervare poterimus.

Anno Domini M. CCC. LX. VIII. die XVIII. Menſis Auguſti. Honorabiles viri & DD. VVrativogius Decanus, Henricus Theſauri, & Franciſcus Decanus Omnium Sanctorum, Canonici S. Eccleſiæ Pragenſis, per Capitulum Eccleſiæ prædictæ, quoad actum infraſcriptum, ſpecialiter deputati, ad faciendum Inventarium de Ss. Reliquijs, ornamentis, libris, & alijs rebus Eccleſiæ prædictæ, mandatum eis injunctum, ſunt fidel.ter executi.

Rubrica de Capit. SS.

Ss.
- *Viti* argenteum deaur.
- *VVenceslai* de puro auro.
- *Adalberti* cum infula Epiſcopali
- *Chryſogoni M.* argent. deaur.
- Hæc ab antiquo fuerũt Eccleſię.
- Alia infra ſcripta, donata ſunt per Sereniſſ. Principem & DD. Carolum IV. Romanor. Imp. & Bohemiæ Regem, omnia argentea deaurata: nempe:
- *Anania Proph.*
- *Bartholomæi Ap.*
- *Marci Evang.* cum Infula gemmis & perlis ornata.
- *Lucæ Evang.*
- *Urbani Papæ* & M. cum Infula Papali, gemmis & perlis ornata, in qua deficit unus lapis ſapphireus cum lectulo ſuo.

Ss.
- *Ignatij Ep. & M.* cum Infula gemmis & perlis ornata.
- *Burchardi Ep.* cum Infula.
- *Stephani ProtoM.* cum multis gemmis.
- *Vincentij Levitæ & M.*
- *Victoris M. Romani M.*
- *Gregorij Papæ* cum Infula Papali gemmis & perlis ornata, & apertura aurea: in qua eſt Sapphirus ſculptus per modum crucis Pontificalis.
- *Othmari Ab.* cum Infula gemmata.
- *Antoniæ V. & M.* cum crinali arg.

Juſti-

Juſtinæ V. & M. cum duobus Ang.
Sapientiæ V. & M.
Hilariæ Reginæ Cypri, Viduæ & M. habens cryſtallum in pectore, & crinale gemmatum: in cujus pectore ſunt Rel. *S. Narciſſi Ep. & M.*
Sigismundi M. Regis Burg. de puro auro, cum duabus Coronis, quarum una eſt pretioſior, plena gemmis & perlis, quam pro capite hoc decorando donavit filia Imp. Marchioniſſa Brandeb. Altera eſt quoad pretium inferior, quæ diebus Dominicis ponitur ſupra caput S. Sigiſm. Eſt etiam una fibula deaurata pro pectore S. Sigiſm. ab eadem donata, habens 19. perlas, 3. ſapphiros, 5. ſmaragdos, 7. pallaſſios, 6. adamant.
Richardi Regis Angliæ cum corona gem.
Leonardi Ab. Leodegar. E. & M.
Longini M. cum corona gem.
Maluſij M.

Ss.

Rubrica de manibus SS.

Thadæi Ap. argent. deaurata. ſicut & reliquæ omnes.
Philippi Ap. Matthiæ Ap.
Viti M. habens imaginem Crucifixi cum gemmis & perlis.
VVenceslai M. habens pomum cum gem.
Adalberti habens annulum cum palaſſio.
Sigiſm. cum annulo & ſapphiro,
Maurity M. *Florentij Ep. Arg.*
Innocentis Betlem. cum cute, digitis & unguib. intra cryſtallum.
Hermagoræ Patriarchæ Aquil. tenens ſub cryſtallo Rel. S. VVenceslai.
Caſſij M. *Florentij* M.
Gereonis M. *Victoris* M.
Longini Militis & M. qui perforavit latus Chriſti.
Procopij Abb. quam decorari fecit D. Przedvogius Decanus Prag.
Lazari Fratris Magd.
Gerhardi Ep. Tull. Vdalrici Ep.
Laurentij M. Româ per Carolum allata.
Joannis Chryſoſt. Theodori M.
Ludmillæ, per D. Nicolaum de Holubicz decorata.
Euffemiæ V. & M. integra cum cute & nervis.
Ottiliæ V. tenens Reliqu. S. Erhardi.
Juſtinæ V. & M. *Margarethæ V. & M.*
Galli Abb. *Quintini* M.
Geminiani Ep. *Medardi Ep.*
Dionyſij Areopagitæ M.

Ss.

Rubrica de Imaginibus.

Bartholom. argentea deaur. tenens *Mandibulam ſuam cum duobus dentibus*, & cultellum arg. de quibus dentibus Marchio Moraviæ Ioannes unum recepit, tempore D. Przedvogij Decani: alterum ipſemet Imperator, ſequenti die poſt Lanceam, an. 1367.
Thomæ Ap arg. deaur. tenens Monſtrantiam cum Reliquijs ſuis; quarum partem D. Impe-

rator dederat ad S. Thomam.
Matthiæ Ap. tenens medium brachium ſuum in manu.
Matthæi Ap. tenens Reliquias ſuas.
Andreæ Ap. tenens in una manu Crucem, in altera Monſtr. cryſtallinam cum ſuis Reliqu.
Ludovici Reg tenens cryſtallinam Monſtrant. in qua eſt una *ſpina de Corona Dom.*
Unius Angeli, tenens in manu *dentem S. Martini.*
85. Duorum Angelorum tenentium ſcutellam arg. cum Rel. *S. Joan. Bapt.* & deſuper Monſtrantia cryſtall. cum capillis *S. Mariæ* Magd.
B. Virg. tenens Monſtrant. cryſtal. cum *faſcia* D. noſtri JESU Chriſti in una manu, in altera puerulum arg. deaur.
Margaretha tenens in manu *dentem ipſius.*
Barbara tenens manu dextrâ *partem capitis ejus* in cryſtallo, ſiniſtrâ palmam arg.
VVenceslai cum lancea & vexillo, habens Rel. in pectore.
Imagines tres in navicula cryſtallina cum Rel. *S. Petri,* & cum piſcib. natantib.

Rubrica de Monſtrantijs.

Monſtrantia argentea deaurata cryſtallina, habens in ſe digitū *S. Onuphrij*
Alia argentea deaurata cum duodecim gemmis continens Reliquias *SS. Metudij & Cyrilli.* cum Angelo in ſummitate.
Alia cum dente *S. Benedicti Abbatis,* deaurata. Alia cryſtallina cum tribus leunculis, & columba in ſummitate.
Alia per modum Lunæ, continens Reliquias *S. VVenceslai & S. Annæ.*
Alia argentea inaurata cum duplici cryſtallo, continens reliquias de *capite S. Joan. Bapt.* & de Sanguine *S. VVenceslai.*
Alia cum dente *S. Nicolai Ep.* & reliquijs *SS. Marci Evang. Januarij &c.*
Item Crux parva aurea cum quatuor gemmis magnis, & duodecim perlis, & quatuor etiam parvis gemmis, continens *Lignum Domini,* & quandam crucem parvam etiam auream cum pede argenteo.
Crux major continens imaginem Crucifixi; in qua deficiunt quatuor laminæ argenteæ in pede, cum ſex Angelis & tribus imaginibus.
Crux magna aurea, continens quadraginta unam gemmam.
Crux magna argentea deaurata cum perlis & gemmis. Duæ Cruces cryſtallinæ ſine defectibus: una pixis aurea, cum aliis pixidibus duabus argenteis, in quibus reſervatur Corpus Dominicum.
Alia Crux cum Quatuor Evangeliſtis.

Rubrica de Tabulis Reliquiarum.

Tabula *B. Virginis* circumdata argento, habens Coronam argenteam cum gemmis. Alia argentea, continens in ſe duas ima-

imagines aureas, *SS. Thomæ & Philippi Apoſtolorum*, cum Reliquijs eorum.

Alia magna cum tribus pecijs argen. deauratis, cum Crucifixo & Quatuor Evangeliſtis, donata Eccleſiæ Prag. per D. Regem VVenceslaum.

Alia lignea inaurata cum reliquijs *S. Kiliani*, & aliorum multorum Sanctorum, quorum nomina ibidem leguntur.

Alia Quinque Fratrum circumdata argento, in qua deficit unus Clypeus.

Alia cum Reliquijs *B. Pelagij* circumdata argento, ſine defectibus. Alia argentea deaurata, *Quatuor Patriarcharum* cum Reliquijs eorundem. Alia circumdata argento deaurata, cum imagine *B. Virginis* in campo flavo & lilijs; quam donavit Regina Hungariæ plenam Ss. Reliquijs. Alia in medio habens *Crucifixum*, in cujus capite ſunt quatuor perlæ, quæ locari ſolet in Feſtivitatibus.

Rubrica Reliquiarum ſingularium, præter prædictas. Et Primo Reliquiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Crux magna cum imagine *Crucifixi*, & imagine *B. Virginis & S. Joannis*, & imaginibus *Quatuor Evangeliſtarum*, argentea deaurata. Crux altera aurea cum cryſtallo habens multos lapides & perlas, cum quatuor Evangeliſtis in Smelcz, deficiunt XVI. gemmæ, loculis remanentibus, &c.

Alia Crux argentea deaurata, quam D. Joannes ArchiEpiſcopus III. pro miſſa Defunctorum donavit habens in ſe Crucifixum. Item duæ Cruces argenteæ cum Crucifixis argenteis deauratis, & quatuor Evangeliſtis argenteis etiam deauratis; quæ diebus Dominicis ponuntur ſuper vexilla. Crux aurea habens quatuor gemmas cum pede argenteo, continens in ſe particulas *Crucis Dominicæ*, quæ eſt ab antiquo Eccleſiæ. Alia *Crux de ligno Domini* bipartita, de Monaſterio Paryſenſi per D. Imperatorem donata Eccleſiæ, quam B Helena Conſtantinopoli attulerat, & eſt circumdata auro puro. Pars *Ligni Domini* in aurea parva cruce allata per D. Imperatorem, & Eccleſiæ donata. Pars *de clavo Domini* in auro, habens ſapphirum in pede. Tabula argentea deaurata, in qua incluſum *Sudarium Chriſti* à Carolo Imp. allatum & Eccleſiæ donatum. Cantarus magnus cryſtallinus, in quo recluſa *Mappa*, ſuper qua ultima Cœna à Chriſto eſt inſtituta & acta: in pede cantari perlæ ſunt 18. & gemmæ 17. Duæ *Spinæ Coronæ Paſſionis Dominicæ* cryſtallo incluſæ. Monſtrantia rotunda parva cum cryſtallo in auro, habens quatuor ſapphiros, & quatuor perlas, continens in ſe de *Veſte Domini purpurea*. Alia Monſtrantia cryſtallina ad modum monilis, continens in ſe de *alba veſte Chriſti*, in qua fuit illuſus ab Herode, habens octo perlas parvas, & nonam magnam Matrem perlarum, & novem gemmas pretioſas. De *Menſa Domini* quadrangularis, circumdata auro

cum quatuor pedibus. De *Tunica Domini* inconſutili, in cryſtallo rotunda ad inſtar pectoralis &c. Monſtrantia argentea deaurata ad modum pyxidis, in qua habetur *Manna Domini*. Tabula parva aurea cryſtallina, cum parva catena aurea, in qua habetur de *præſepio Domini*, habens pulchros quatuor ſapphiros & quatuor perlas. Crux argentea cum *Imagine B. Virginis* inſuta monſtrantiæ cryſtallinæ in auro puro, cum quatuor ſapphiris & octo perlis, in qua monſtrantia eſt *Sanguis Domini noſtri JEſu Chriſti*. Item de loco, in quo *Chriſtus natus eſt*: de loco, in quo *Sanguinem ſudavit*: de lapide, qui paſſionis tempore *ſciſſus eſt*: *de ſepulchro Domini*. *Virga* Moyſis circumdata argento deaurata.

Rubrica Reliquiarum B. Virginis Mariæ.

Ciſtula argentea deaurata, in qua ſub cryſtallo continetur *pars pepli B. Virginis cruentati*, quod ſub Cruce Domini dicitur habuiſſe in capite. Alia argentea deaurata, cum quatuordecim monilibus & uno magno monili, cum diverſis gemmis & perlis, & duobus ſapphiris, in qua eſt *peplum B. Virginis* inſutum panno ſericeo; Cavula parva cryſtallina, in qua ſunt duæ partes *cingulorum B. Virginis*. Ciſtula argentea deaurata, in qua habetur de *Lacte B. Virginis*. Palma argentea deaurata, in qua incluſa eſt *pars palmæ*, quam S. Joannes Evangel. deferebat, dum funus perageretur B. Virginis ad ſepulchrum. *Pectorale B. Virginis* in argentea theca.

Rubrica Reliquiarum Sanctorum.

Monſtrantia cryſtallina circumdata argento deaurato, habens in cacumine columbam, continens in ſe *digitum S. Lucæ*, & *digitum S. Claræ*. Pacificale cum quintuplici cryſtallo, cum Reliquijs *S. Thomæ Ap. S. VVenceslai*, *S.* Matthæi *Apoſt. S. Valentini*, *S. Andreæ Apoſt.* & aliorum. Crux per modum pectoralis cum imagine *S. Demetrij*, continens in ſe ſanguinem ipſius. Pectorale argent. inauratum cum Græcis lit. *B. Stephani Regis Hung.* in quo eſt articulus digiti *S. Stephani Proto*M. & particula *de ligno Domini*. Ciſta argentea deaurata, in qua fuit ſcapula *B. Pellagij* M. cum carne & cute; hæc omnia donata ſunt Eccleſiæ & ornata per Dominum Imperatorem. Ciſta B. VVenceslai in Luna argentea deaurat. *Digitus B. Annæ* cum carne.

Rubrica Reliquiarum nondum ornatarum.

Ss. { *Valerij* Ep. Trevir.
Calixti Papæ & M.
Sixti Papæ & M.
Patritij & *Metellij*, Epp. & MM.
Pigmenij preſb. & M.
Udalrici Ep.
Conſtantiæ filiæ S. Valerij R. Hiſp.
Achatij Ep.
Corbiniani Ep.
Gordiani & *Epimachi* MM.
Lamperti Ep. & M.
Caſtoris Conf. } de capit.

Dion-

Ss.

Dionyſij Ep. Auguſt. & M. caput.
Caſtuli M. caput.
Innocentis Bethlem. caput.

Saturnini M.
Cunegundis V.
Cæciliæ V. & M.
Genoveſæ V.
Primi & Feliciani MM.
Meinhardi Monachi & M. — pe brach.
Manſueti Ep. Tullenſ.
Voluſiani Ep.
Egidij Abb.

Scholaſticæ V.
Aureæ V. — dentes.
Proculi M.

Galli Abb.
Gereonis M.
Stephani ProtoM. — coſtæ.
Pangratij M.
Nicolai Ep.

Ejusdem pars de mandib.
Perpetui Ep. de ſcapula.
Danielis M. de mandibula.

Chriſtophori M.
Magni M. *Eraſmi*.
Remigij, *Epiphani*.
Julianæ V. & M.
Gertrudis V.
Chriſtinæ. *Secund.*
Martæ. *Benignæ*. — diverſę partes.
Macræ.
Symphoroſæ & filior.
Materni. *Criſpini*
Thomæ Canturieſ.
VVolphgangi.
Clarentij.

Ss.

Cyriaci, *Largi* & *Smaragdi*.
Geraſij M. Rom.
Hilar. *Tyburt*. M.
Perpetuæ & *Felic*. MM.
Marcelli Pap. & M.
Fortunati M.
Antonij Eremitæ. — diverſę partes.
Martini Ep. & Conf.
Thomæ Aquinat.
VVilibaldi.
Gendolphi.
Sebaldi. *Priſcillæ* V.
Afræ & *Claræ* de peplo.

Hæc omnia donavit Imperator Carolus. Item, Ss. *Undecim mill. Virg.* ſex Capita, & tria è *Decem millibus* MM.

Ss. *Thebæorum* MM. & *Quadraginta militum* MM. varia oſſa. Partes omnes notabilis magnitudinis.

Duæ item ciſtulæ ligneæ ferro obductæ, & ſecreto ipſiusmet glorioſiſſimi Imperatoris Caroli ſignatæ, plenæ, uti referunt, qui viderunt, *Ss.* Reliqu.

(Ex his porrò, quas non dum ornatas recenſui, pleraſque in ſequentibus Inventarijs, anno 1374. 1381. 1387. 1393. jam ornatas, & argento, auro gemmarúmque varietate fulgentes invenio.)

Rubrica de Tumbis.

S. VVenceslai, ex puro auro.

Viti

Viti de lapidibus amethyſtinis arg. deaur. ubi erat priùs S. Viti Corpus.
Adalberti arg. deaur. quam fecit D. Joannes Ep. Prag.
Marci Evang. cum imaginibus, in qua deficit unum lilium, quod habetur in Sacriſtia.
Lazari amethyſtina circumdata argento.
Albani cum amethyſtinis lapidibus.
Urbani Papæ argent. deaur. cum imaginibus.
Ss. *Calixti* Papæ & M. lignea, laminis argenteis exornata.
Januarij Ep. & M. cum ſocijs argen. deaurata, cum leonibus & aquilis, in quolibet cornu globum argenteum deauratum habens.
Sapientiæ V. & M. arg. deaurata
Fortunatæ V. & M: & cum Fratribus ipſius, argen. deaur. cum leonibus & aquilis, æqualis Tumbæ S. Januarij.
Florentij Ep. Arg. in arg. deaur.
Sergij & Bacchi MM. argen. deaurat. cum imaginibus.

Tumba, in qua ſunt ſeptem capita de *XI. mill. VV.* habens quatuor monilia cum quatuor lapidibus, & lapide viridi ad modum ſcutellæ, ex quibus lapidibus unus deficit, & duæ gemmæ.

Ciſta lignea depicta, in qua ſunt tria capita de *XI. mill. VV.*

Tumba parva cum Aquilis argen. deaur. in qua eſt de capite *S. Vincentij* M.

Item, pars *Statuæ D. noſtri JESU Chriſti*, in pariete propè altare in Capella S. VVenceslai.

Catena per quam miſſus fuit *S. Clemens* in mare, in pariete S. VVenceslai, incluſa crate ferreâ.

Rubrica de Curvaturis.

Baculus ſeu Curvatura *S. Adalberti*, in qua eſt *pars baculi S. Petri Ap.* quam decorari fecit Imperator, auro, perlis & gemmis precioſis. (Innocentius Papa VI. conceſſit Indulgentiam unius anni & 40. dierum, omnibus verè confeſſis, qui Miſſæ Archi Epiſcopi Prag: pontificantis cum hoc Paſtorali, intereſſent: quod hodiéque pie obſervatur.)

Alia argentea deaur. cum capite draconis, tenens pallaſium in ore, quam dedit D. Thobias Epiſc. Prag.

Alia argentea deaur. habens imaginem Epiſcopi in medio argenteam deauratam, quam dedit D. Przibislaus Epiſcopus pro uſu Suffraganei.

Item, *Baculus S. Pauli* argento deaurato circumdatus, cum gemma in ſuperiori parte brunatica.

Alius de ebore ſuperius in capite modicùm deaurato, qui fuit *B. Andreæ Epiſc: Pragenſis.*

Rubrica de Annulis.

Annulus de catena *S. Petri* circumdatus auro: in quo ſunt duæ gemmæ, unus ſapphyrus, & tres adamantes, & quartus eſt deperditus; duo pallaſij, & duo ſunt deperditi; octo perlæ, & quatuor ſunt deperditæ; quem Dominus Imperator dedit.

Alius S. *Adalberti*, & chirotheca Pontificalis, quam reliquiſſe fertur

L bi-

Libicij, in Fratrum ſuorum ab Ethnicis odio Chriſtianæ Religionis occiſorum exequijs, Sacris prodigioſè operans.

Alius magnus cum ſapphiro magno, & alijs parvis gemmis, in quo deficiunt tres parvæ gemmæ, qui fuit B. Andreæ Epiſcopi Pragenſis.

Alius *S. Thomæ* cum ſimplici ſapphiro.

Alius *B. Andreæ* ſecundus, per modum ſigilli, cum literis Græcis.

Alius magnus cum multis gemmis, quem donavit Thobias Epiſcopus Pragenſis.

Alius argenteus deauratus cum magno granato & gemmis.

Alius aureus cum magno lapide topaſio! Alius quoque aureus cum chalcedonio rotundo.

Alius aureus cum quadam ſcriptura.

Rubrica Armorum.

Caſſis ferrea *S. VVenceslai.*

Gladius ejusdem cum vagina, quæ in parte inferiori eſt fracta, gemmis & perlis ornata.

Gladius *S. Mauritij* cum nodo argenteo.

Gladius S. *Stephani* Regis Ungariæ cum manubrio eburneo.

Vexillum magnum quod fecit B. Ludmilla.

Lorica *S. VVenceslai.*

Vexillum *S. Georgij* albi & rubei coloris, donatum Eccleſiæ per D. Imperatorem.

Clypeus cum leone albo Regis VVenceslai, cum corona argentea deaurata, lingua, dentibus, unguibus argenteis deauratis.

Cornua tria, ſive tubæ ſufflatiles eburneæ.

Clypeus cum aquila nigra circumdatus argento deaurato, quem donavit Imperator Eccleſiæ Pragenſi.

Rubrica Altarium Viaticorum.

Altare Viaticum magnum amethyſtinum circumdatum argento deaurato, quod olim fuit de menſa Domini Imperatoris, conſecratum per D. Przedslaum VVratislavienſ. Epiſcopum, ad honorem Virginis Glorioſæ.

Aliud cum imaginibus eburneis, circumdatum auro, cum quatuor ſapphiris, & alijs quinque lapidibus, & duabus perlis.

Aliud circumdatum argento deaurato, & pedibus cuprinis elevatū, qui ſunt jam rupti.

Iaſpideum circumdatum argento, habens in angulis quatuor Evangeliſtas.

Amethyſtinum ſimplex.

Aliud parvum, habens lapidem coloris ad modum nubis, circumdatum argento in tribus partibus.

Rubrica Plenariorum.

Primò, precioſiſſimum Plenarium S. *Marci*, cum multis gemmis & perlis, plenum ſine defectu, totum de auro puriſſimo cum imaginibus; cui plenario alligatæ ſunt ſedecim chartæ, ſcriptæ in pargameno manu S. Marci Evang. quarum chartarum principium eſt tale: *Et ſecundus accepit eam, & eſt mortuus*; finis autem chartarum talis eſt: *Prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*, & de majori litera *Amen.*

Sunt etiam ibi duodecim chartæ, ante, in medio, & in fine dictis chartis adjunctæ; in quibus nihil eſt Scriptum, quàm quòd Plenarium cum ſuo apparatu donatum ſit prædictæ Eccleſiæ Pragenſi, per præfatum D. Imperatorem: & eſt in ſepulchro S. VVenceſlai. Item, duo Plenaria &c. &c.

Rubrica Inſignium Regalium.

Corona S. VVenceſlai quâ Reges coronantur, & quæ tunc in Eccleſia Prag. ſub cura Decani, Cuſtodis & Sacriſtæ ſervabatur, unà cum

Primò; *Corona precioſa* multùm reformata de novo, *S. VVenceſlai*, habens quatuor lilia; quorum primum continet quatuor rubinos, & unam perlam magnam: unum magnum ſapphirum, & duos rubinos pallaſios

In ſecundo Lilio ſunt ſeptem ſapphiri magni, & unus rubinus pallaſius, & una perla magna in ſummitate.

In tertio Lilio ſunt quindecim Rubini, & inter eoſdem ſunt rubini pallaſij, & in ſummitate magna perla, & in medio magnus ſapphirus.

Sceptro regio, pomo, annulo &c.

In quarto Lilio, perla magna in ſummitate, ſeptem ſapphiri, tres magni & quatuor minores, & in medio partis infimæ unus pallaſius.

Item, in juncturis jungentibus lilia, quatuor pallaſij: Crux in ſummitate coronæ, habens in medio ſculptum ſapphirum ad modum Crucifixi, duos pallaſios ad latera; in ſummitate Crucis unus ſapphirus parvus rotundus, & in pede Crucis unus ſapphirus magnus.

Item, ſupra mitram ſub Cruce prædicta in transverſali linea, à principio primi lilij uſque ad Crucem, ſunt tres pallaſij, & octo ſmaragdi, & quatuor perlæ: à ſecundo lilio in linea uſque ad Crucem, ſunt quinque pallaſij, & ſex ſmaragdi, & quatuor perlæ: à tertio lilio uſque ad Crucem in linea ſunt quinque pallaſij, & ſex ſmaragdi, & quatuor perlæ: à quarto lilio in linea uſque ad Crucem ſunt ſex pallaſij, & quinq; ſmaragdi, & quatuor perlæ.

Item, claviculi ſunt tres aurei, cum quibus clauditur Crux in ſuperficie Coronæ, & quartus claviculus deficit, qui deperditus eſt coram Domino Imperatore.

Quam Coronam præfatus D. Imperator donavit Eccleſiæ, pro ornamento Capitis S. VVenceſlai, & *Decano Eccleſiæ Pragenſis, Cuſtodi item & Sacriſtæ, qui omnes natione & linguâ Bohemi eſſe debent*, cuſtodiendam commiſit in perpetuum: & cum hac Reges Bohemiæ coronantur, ac deinceps coronari debent.

Item, *Pomum aureum* cum Cruce;

Sceptrum argenteum deauratum, & *Annulus aureus* cum palaſſio.

Rubrica Infularum &c.

Rubrica Capparum, &c. &c. &c

Sequentibus porrò annis hiſce SS. Reliquijs acceſſerunt.

Particula de *panno cruentato*, quo Chriſtus fuit præcinctus in Cruce, data ab Urbano V. Carolo Imp. Romæ, an. 1368.

Alia de eodem *panno cruentato* eidem donata ab Innoc. VI.

De *Sudario Domini* adhibito in ſepultura ejus, duæ inſignes partes.

Pars *de fune*, quo erat ligatus.

Pars de *Spongia*.

Pars de *peplo candido B. V.*

Tabu-

Tabula B. V. quam S. Lucas pinxiſſe traditur, allata Româ per Carol. & data Eccleſiæ Prag. an. 1369.

Alia ad inſtar hujus, continens partem *pepli B. V.*

Tabula repræſentans *Effigiem Chriſti* miſſam Regi Meſopotamiæ Abagaro, Româ allata.

Alia lignea continens Reliqu. *SS. Jacobi Maj. & Stephani ProtoM.*

Monſtrantia argentea inaurata cum cryſtallo, in cujus medio eſt, de *pallio S. Petri Apoſt.*

Alia monſt.
- continens intra cryſtallum *crines B. V.*
- in qua *dens S. Vincentij M.*
- in qua plurimæ Rel. inter alias de *cap. S. Joan Bapt.*
- in qua *Roſa S. Dorotheæ.*
- cum Reliqu. *S. Auguſt.*
- cum Reliqu. *SS. Andreæ, Barthol. & Marci.*
- cum Reliqu. *SS. Philippi & Jacobi.*
- cum Reliq. *S. Damiani M.*

Brachium S. Victorini Ep. M. cujus corpus Otto Magnus Imp. an. 965. ex Italia redux Magdeburgum tulit; Albertus verò à Sternberg ArchiEp. Magdeb. & Epiſcopus Litomiſsl. an. 1375. illud Magdeburgo Litomiſslium deportavit, & ad petitionem Caroli IV. & Joan. I. ArchiEp. Prag. brachium Eccleſiæ Prag. dono dedit, unà cum inſigni parte *capitis S. Sebaſtiani M.*

Anno demum 1377. cùm Deus hunc Sanctum ibidem Litomiſslij, multis illuſtrare dignaretur miraculis, Carolus, ut dies feſtus ipſius per Bohemiam inter celebriores, & ſub ritu duplici, deinceps haberetur, à Gregorio XI. impetravit.

Ss.
- *Annæ* pectus & ubera.
- *Jacobi Maj.* dens.
- *Tiburtij & Valeriani* part. inſ.
- *Materni. Naboris & Felicis.*
- Patriarcharum *Abrahæ, Iſac & Jacob*, à Joanne Palaologo Imp. Conſtant. Carolo miſſæ.
- *Coſmæ & Damiani* duæ inſignes partes Bremâ allatæ.
- *Barnabæ Ap.* caput.
- *Romani M.* caput.
- *Felic. & Adaucti* brachia.
- *Sebaſtiani M.* brach.
- *Suſannæ V. & M.* pars de cap. & aliud fruſtum.
- *Agnetis* pars inſ.
- *Braxedis* coſta, & aliud fruſt.
- *Longini Mil. & M.* oſſa & pulveres allati per Carol. ex Italia ſecundò reducem, an. 1370.
- *Kiliani M.* duo magna oſſa.
- *Sebaldi Conf.* coſta.
- *Caroli Magni* dens & aliud fruſt.
- *Dionyſij Areopag.* dens.
- *Seræ* coſta. *Hippolyti M.*
- *Marcellini* Papæ & M. de cap.
- *Luciæ Syracuſ.* de brach.
- *Hermetis M.* de brach.
- *Maximini Ep.* de brach.
- *Irenei Ep.* & M. *Simplicij* P.
- *Stephani* P. & M. *Cordulæ* V. M.
- *Felicis* & *Fortunati* MM.
- *Gervaſij* & *Protaſij* MM.
- *Rufini* & *Valery* M.
- *Floriani* M. *Goaris* Conf.
- *Oſwaldi* Ep. *Eligij* Ep.
- *Quirini* Ep Laureas.
- *Adonis* Ep. *Otton.* Ep.

Ss { *July* M. *Pontiani M.* / *Fælicis* Ep. *Metenſ.* / *Gaudentiæ* V. *Brigidæ* V. / *Mari* Ep. *Odilonis* Ab.	Ss { *Clement.* presb. *Cyrini M.* / *Probi* Ep. *Aldegund.* V. / *Maximiliani Epiſc. & M. &c.* / omnes partes notabiles.

Aliæ quàm plurimæ thecæ Ss. Reliquiar.

Pacificalia verò & Cruces plurimæ, tam auro & argento, quàm gemmis & lapidibus pretioſis, maximè autem Sanctorum Reliquijs, paulò ante ſub titulo, ſeu *Rubrica Reliquiarum non dum ornatarum*, enumeratis, onuſtæ, quas hic ex Inventarijs an. 1381. ſub Przibislao Decano, atque iterum an. 1387. 1393. 1399. ſub Bohuslao Decano, factis, recenſere eſſet nimis longum, & Lectori fortaſſe moleſtum.

Reliqu. S. Juſtini & S. Sophiæ Carolo Imp.

Sed iſtud hic prætermittere non debeo, quod dum jam iſta prælo committere volui, inter obſoletas & abjectas, jam jámq; ad ignem damnandas chartas, ſingulari meâ fælicitate inveni nempe Reliquias *S. Juſtini* M. & *S. Sophiæ* V. eidem ſummo talium Ss. Pignorum æſtimatori Carolo Imp. ab Abbate & Conventu Corbejenſi, Ord. S. Benedicti, ex inferiori Saxonia Pragam miſſas.

Litteræ ejusdem Abbatis ſic habent.

Virtuoſiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Karolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, & Bohemiæ Regi.

ex monaſterio Corbejenſi Ord. S. Bened. pro ſpeciali dono adferuntur.

Bodo humilis Abbas, & devoti veſtri Corbeienſis Cœnobij miſeranda ac deſolata Congregatio, Votivæ Orationis & devotiſſimæ ſervitutis aſſiduitatem. Quoniam Sereniſſime Regum & Domine, pius & miſericors Dominus, populi ſui, quem pretioſo ſanguine ſuo redemit, Rectorem vos ac defenſorem conſtituit, ut oppreſſorum miſeriæ ſubveniatis, opprimentium violentiæ reſiſtatis: idcirco intolerabilem miſeriæ tribulationem quam patimur, Veſtræ decrevimus ſuggerere pietati, ſperantes per Sacroſanctas Reliquias Sancti Juſtini Martyris glorioſi, & Beatæ Sophiæ Virg. Venerandæ, quas Excellentiæ Veſtræ, per noſtros procuratores & nuncios ſpeciales mittimus, atq; veras conſcientijs noſtris puris profitemur, aures miſericordiæ Veſtræ inclinare, & ab inſtanti relevare miſeria, ſi miſeriæ cauſa certiùs Veſtræ Clementiæ fuerit notificata. Audiat igitur

pie-

pietas Veſtra, & cognoſcat veritatem, quam ſuggeremus, nihil fingentes, nihil penitus ſcribentes, niſi quod Privilegijs, multorúmq; teſtimonio comprobare poſſumus. Piæ memoriæ Ludovicus Imp. Auguſtus, Magni Caroli filius, pro ſua omniúmq; Succeſſorum ſalute, ac pro totius Imperij inconcuſſa ſtabilitate, Cœnobium prædictum, in honorem DEI & Sanctorum Martyrum Stephani, Viti atque Juſtini ſtudioſè conſtruxit, &c. (Et poſt enumeratas injurias quas paterentur ab Halberſtadienſi, Paderbonenſi & Monaſtegienſi Epiſcopis, & à Landgravio Haſſiæ, Bona & jura Cœnobij contra omne fas ſibi uſurpantibus.) *Pro amore DEI & Sanctorum Martyrum Stephani, Viti atq; Juſtini, cujus ſcilicet Beati Viti Reliquias veras alio tempore Excellentiæ Veſtræ transmiſimus, domlia Bona Eccleſiæ ſeu Monaſterij illorum injuſtè direpta, reſtitui faciatis &c. Datum & Actum anno Domini M. CCC. LXXV. VIII. Die menſis Decembris, ſub appenſione ſigillorum noſtrorum in teſtimonium ad præmiſſa.*

Cupiens autem ego ſcire, quales nam eſſent illæ Sanctorum Juſtini & Sophiæ Reliquiæ, cùm eum in finem Conſignationem Ss. Reliquiarum factam anno 1379. atque iterum 1387. inſpexiſſem, inveni fuiſſe Coſtas: ita namque legitur ibidem: *Item Coſta S. Juſtini Martyris Altiſidorenſis in argento deaurato. Item Coſta S. Zophiæ Virg. ſimiliter circumdata argento deaurato. Item Coſta S. Zibaldi &c.*

Exortâ demum peſtilentiſſimâ in Regno hæreſi Vicleſiſtarum, & ex ea ſenſim, veluti malorum omnium, ac imprimis turbarum & ſeditionum fomite; exardeſcente civili bello, quod ſubitò invectis rerum omnium, cùm ſacrarum, tum profanarum maximis perturbationibus, usque adeò ſpatio temporis brevi invaluit, ut poſt diruta templa, & vel occiſos, vel in exilium actos Sacerdotes Catholicos; poſt item crebras & funeſtas Urbium, Arcium, Monaſteriorúmque vaſtitates, nobiliſſimo quondam, & tam Religione, quàm opibus rerúmque omnium abundantiâ, florentiſſimo Bohemiæ Regno, jam jam ſupremam cladem, ac penè excidium attuliſſet: Wenceslaus Rex, hac

Huſſiticâ tempeſtate iminente.

hac in parte non piger, mox initio tumultuum, ſecuritati Ss. Reliquiarum proſpicere cupiens, die 6. Maij anno 1419. (uti ſupra jam meminimus) ad Eccleſiam Metrop. in perſona venit, & omnem Ss. Reliquiarum theſaurum luſtrari & conſcribi curavit; die verò ſequenti, potiorem ejus partem Carlſteinam deportari juſſit. Ex quo poſtea, ſicut etiam ex illo theſauro, qui in Eccleſia Metrop. remanſerat, quidquid in auro, argento, gemmis & lapidibus pretioſis fuit, Sigiſmundus Imp. an. 1420. die 29. Julij abſtulit, & in ſtipendia militaria præſentémque belli neceſſitatem vertit: malo utique omine, nec abſque manifeſta piaculi noxa, quod vel ipſe eventus rei docuit; ab eo namque tempore ſucceſſum armorum adversùs hoſtes nullum penitus experiri potuit.

SS. Reliq. Metropol. partim Karlſteinam,

Invaleſcente itaque hæreſi, & de die in diem magis in ſacra ſæviente, cæteræ quoque Ss. Reliquiæ ſunt de templo Metrop. levatæ, & in loca ſecuriora, partim etiam Carlſteinam, partim Zitaviam ad vicinum Monaſterium Owinenſe, partim Plſnam, Tynam Horeſſij & inde Ratisbonam, aliquæ etiam Krumloviam deportatæ.

partim aliò, in tutiora loca, ſunt deportatæ.

Quæ Carlſteinam delatæ erant, Cathalogum illarum hunc invenio: *Anno Domini M. CCCC. XX. Feriâ IV. poſt feſtum S. Jacobi Apoſt. infraſcripta res ductæ & portatæ ſunt de Caſtro Pragenſi ad Caſtrum Carlſtein, per honorabilem D. Leonardum Vicarium Eccleſiæ Prag. & Andream ſubTumbarium, & Wenceslaum dictum Electus.*

Karlſteinam translatæ recenſentur.

Primò, cantarus cryſtallinus, in quo eſt Menſale Domini *&* peplum B. Virginis: *Monſtrantia cryſtallina, in qua defertur Corpus Dominicum, in die Corporis Chriſti: tres baculi argentei ſive Curvaturæ: Sepulchrum cum magno ſmaragdo: Crux magna argentea: Tabula B. Virginis, quam depinxit* B. Lucas: *Sepulchrum* B. Marci *argenteum deauratum: Sepulchrum* B. Urbani Papæ *argen. deauratum: quinq; pecies de Tumba* B. Wenceslai, *una major & quatuor minores. Crux magna argentea: Crux magna aurea: Monſtrantia cum Cryſtallo & Reliquijs* B. Catharinæ: *Plenarium*

rium cum quadraginta novem lapidibus precioſis, aliquibus lapidibus de lectulis deficientibus, & alia tria plenaria. Una tumba B. Virginis *argento circumdata: Tumba argento circumdata, cum quinq; coſtis* BB. Quinque Fratrum*: duæCruces deauratæ, pro vexillis: Viaticum altaris argento circumdatum: Gladius* B. Wenceslai *cum futro ſuo.*

Tabula cum Imagine B. Virginis, *circumdata imaginibus argenteis feſtivalibus: Sepulchrum S.* Florentij. *Sepulchrum S.* Januarij *cum leonibus & aquilis: Sepulchrum* B. Viti *cum imaginibus circumdatum: Sepulchrum* Ss. Sergij & Bacchi *circumdatum argenteis & deauratis imaginibus: Sepulchrum S.* Fortunatæ *cum leonibus & aquilis, conforme priori ſepulchro cum leonibus. Sepulchrum B.* Sapientiæ: *Sepulchrum S.* Lazari: *Sepulchrum S.* Arnolphi: *Corporale cum argento, habens Agnos DEI. Tabula cum imagine B. Virginis, in qua monſtratur peplum ejusdem Virginis Mariæ.*

Monſtrantia deaurata cum cryſtallo, continens quinque dentes *in cryſtallo: ſceptrum cum pomo: candelabrum cum manu curvata deaurata: coſta* B. Zebaldi *in argento deaurato: caput* B. Gregorij*: caput* B. Victoris. *Monſtrantia una cryſtallina, in qua ſunt Reliquiæ* B. Wenceslai. *Capita quatuor SS.* Viti, Adalberti, Bartholom. & Ananiæ. *Imago* B. Barbaræ *cum reliquijs: alia* B. Wenceslai *cum lancea & Reliquijs: alia* B. Virginis *cum Monſtrantia: alia* B. Thomæ *cum Monſtrantia ſua: alia* S. Bartholomæi *cum ſua mandibula: caput* B. Chryſogoni*: Imago* B. Matthiæ: *alia* B. Matthæi: *alia* B. Andreæ: *Monſtrantia cryſtallina cum Reliquijs* Innocentum: *alia cum Luna & Reliquijs* B. Wenceslai: *Crux antiqua cum imagine Crucifixi: Monſtrantia cum coſta* Beati Seræ: *unus pes à Monſtrantia cum Reliquijs* B. Procopij: *navicula* B. Petri *cryſtallina: Crux antiqua cum gemmis: Thuribulum deauratum*: *Gladius* B. Mauritij: *Lorica* B. Wenceslai. *Tabula cum cancello, & cum Reliquijs* B. Pellagij: *viginti baculi argentei, cum quibus Canonici proceſſionem viſitant: Imago B. Virginis argen. deaurata, tenens puerum in manu, & in altera manu*

manu ſceptrum: Thuribulum minus argenteum: Thuribulum adventuale. Monſtrantia aurea, in qua Corpus Dominicum ſervatur; & in eadem duæ pixides argenteæ.

Decem manus diverſorum Sanctorum: Baculus B. Pauli *in argento deaurato: Crux pro pace danda: alia cum Cryſtallo cum Reliquijs* S. Bartholomæi*: Calix aureus cum lapidibus, & gemmis pretioſis, in quo deficit unus lapis: & in patena deficiunt duo lapides, lectulis vacuis exiſtentibus: alius parvus aureus. Una Curvatura aurea, circumdata cingulo cum lapidibus & gemmis pretioſis: altera ſimplex. Monſtrantia deaurata cum ſuo futro: tres Campanulæ argenteæ cum ſuo futro deauratæ: urceus ad aſperſionem cum ſuo aſperſorio. duæ ſcutellæ deargentatæ: Infula Pontificalis nigra pretioſa, cum diverſis lapidibus pretioſis, & cum quadraginta adamantibus, & quadrageſimus primus deficit e Infula* B. Adalberti *cum imaginibus deauratis: alia ejusdem de Axamit cum margaritis: alia antiqua argentea deaurata: alia flavea argen. deaurata. Triginta Calices majores & minores: unus calix magnus pro Feria V. Cœnæ Domini: quatuor ampullæ argen. deauratæ: duæ ampullæ majores argen. deauratæ: calix cum ampullis in uno futro, & quædam alia.*

Aliæ in monaſterio Ovvinenſi prope Zitaviam depoſitæ.

Sunt mihi præ manibus litteræ Prioris Monaſterij Owinenſis, quibus recognoſcit ſe à Capitularibus Eccleſiæ Pragenſis, accepiſſe Reliquias Ss. in depoſitum; quæ cùm ſeriem earundem contineant, apponendas hic quoque duximus.

Nos Frater Ulricus Prior Provincialis Monaſterij Montis Paracliti, aliàs in Owin Pragenſis Diœceſis, Ordinis Fratrum Cœleſtinorum per Bohemiam, Nicolaus ſub Prior, &c. Fratres Monaſterij antedicti, nullo medio ad Curiam Romanam pertinentis. Notum facimus tenore præſentium univerſis: quòd ad nos, & Monaſterium noſtrum accedens perſonaliter, honorabilis Vir D. Racko de Byrzkow Archidiaconus Litomericzenſis, ac Sacriſta in Eccleſia Pragenſi, cum Reliquijs, quas propter tyrannidem Vicleſiſtarum & Huſſitarum, de Eccleſia Pragenſi, de ſcitu, voluntate & mandato Sereniſſimi Principis, & D. noſtri glorioſiſſimi, Domini Sigiſmundi Impe-

Imperatoris Romani, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regis, & D. Decani, ac nonnullorum DD. Canonicorum dictæ Ecclesiæ Pragenſis, abduci gnaviter, ſub ſalvo conductu Nobilis D. Henconis de Duba dicti Hlawacz, reſidentis in Lyppa, procuravit; eaſdem Reliquias cauſâ rei ſervandæ in tribus ciſtulis clauſas, obſeratas & Sigillo minori Capituli Pragenſis ſigillatas depoſuit nobis &c. Nomina verò Reliquiarum, quæ deſcribi poterant, exceptis his, quæ non poterant deſcribi, & quæ in dictis ciſtis continen-
,, *tur, ſunt iſta:* Primò, caput S. Lucæ Evang. carens mandìbu- nominatim, Capita S. Lucæ S. Marci, S. Othmari &c.
,, la. Item, pars capitis S. Marcì Evang. cum mandibula ha-
,, bens plattam argenteam deauratam: caput Conthoralis S.
,, Sigiſmundi çarens mandibulâ: caput S. Othmari Abbatis,
,, ſine mandibula & ſine occipite. Pars capitis S. Urbani Papæ:
,, Reliquiæ S. Rikhardi Confeſs. Regis Angliæ: caput S. Vale-
,, rij Trevirenſis Epiſcopi & Confeſſ. caput S. Dyoniſij Augu-
,, ſtienſis Epiſcopi Fratris S. Hylariæ V. & M. Reliquiæ Decem
,, millium militum: pars S. Pigmenij M. Reliquiæ S. Meinhar-
,, di Monachi & M. Unum os Thæbæorum MM. in finibus modico argento deauratum: caput S. Innocentis Betlem. in ſe-
,, rico: Oſſa & pulveres S. Lazari, allati per Sereniſſimum
,, Dominum Carolum Rom. Imp. Item, aliæ diverſæ Reliquiæ
,, Ss. ſine titulis, in vaſculis receptæ ſuper ſacriſtiam S. Wen-
,, ceslai: quinque capita Ss. VV. ex Societ. XI. mill. & Corpus
,, S. Albani in viridi ciſtula. *In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes litteras fieri, & ſigillorum noſtrorum, ſcilicet Priomtûs & Conventûs appenſione juſſimus communiri. Datum & actum in prædicto Monaſterio noſtro Owin, anno 1421. Feriâ VI. poſt Feſtum SS. Tiburtij & Valeriani: præſentibus ibidem Venerabilibus & diſcretis Viris, Dominis Hanzelino directore Fabricæ Eccl. Prag. Nicolao Hanzlik, Joanne de Duba, Nicolao de Znoyma, Canonicis Eccleſiæ Pragenſis; Hinkone Plebano Eccleſiæ in Brozano: & Religioſis tribus, Thoma Priore Monaſterij Rudniczenſis, Joanne Cantore & Nicolao de Glacz profeſſis Monaſterij S. Caroli, Novæ Civitatis Pragen. circa præmiſſa teſtibus fide dignis.*

Ppp Ali-

Aliæ iterum Karlſteinam devectæ, an. 1438.

Alibi iterum invenio Reliquiarum Ss. cauſâ ita adnotatum. *Anno M CCCC. XXXVIII. in die S. Pantaleonis, ad mandatum Domini Regis Alberti, & Baronum, iſtæ res infra ſcripta Pragenſis Eccleſiæ, reductæ ſunt in Carlſtein;* recenſenturque eo ferè ordine, quem mox hic ſubjiciemus. Rurſum, anno *M.CCCC. LIIII. die menſis Januarij, viſæ ſunt & apertæ Ciſtæ in Carlſtein, rerum Eccleſiæ Prag. per Wenceslaum Doctorem Decanum dictæ Eccleſiæ; & hæc infra ſcripta inventa ſunt.* Atque iterum, *Anno eodem Feria III. poſt Trinitatis, ad mandatum Sereniſſimi Regis DD. Ladislai, nec non Magnifici DD. Georgij Gubernatoris Regni Bohemiæ; iſtæ res infra ſcriptæ, de Caſtro Carlſtein, ad Eccleſiam Pragenſem ſunt reductæ.*

Karlſteinâ Pragam ad Eccleſ. Metrop. reductæ an. 1454 in quinq; ciſtis, hic recenſentur:

Enumerantur deinde hoc ordine.

In ciſta I.

Primò, in magna Ciſta ſunt quatuor pendilia Altaria meliora, & unum horum levius & brevius: quatuor Cappæ cum prætextis meliores: quatuor ornatus cum Dalmaticis meliores: quatuor alij, ſine Dalmaticis & requiſitis ſuis. Tabula cum brachijs Quinque Fratrum. *Ladula lignea, in qua* caput S. Viti, caput S. Adalberti, caput S. Vincentij, brachium S. Wenceslai. *Crux cum* ligno Domini *gemmis ornata: cryſtalli quatuor, & alia plura. Item, in alia Ladula auro decorata, in duobus futris ſunt* Cruces Dominici Ligni, *& cryſtalli, & parva ſcatula cum Reliquijs: in Ladula de cute, ſunt Litteræ ſive Privilegia, & quatuor Bullæ C. S. A. duæ Cruces cryſtallinæ argento circumdatæ. in palla & tapete involutæ: mappa Altaris cum prætextis ſuis: glaucus ornatus cum una Dalmatica. Quaternio parvus cum Litania Rogationum: Statuta Provincialia, & Inventaria. Hæc omnia ſunt in magna Ciſta, propè januam, unâ ſerâ clauſa, & ſigillata ſigillo Decani*

In ciſta II.

Item in ſequenti Ciſta ſunt hæc repoſita: Quinque Corpora, *cum titulis in Tumbis plumbeis: Tabula cum ſcapula* B. Pelagij M. *vitro cooperta: Ornatus nobilis intextus cum ſuis requiſitis. Caput* S. Wenceslai *in ſcatula, Lorica & Galea ejus; Cuſſini & coopertorium Tumbæ S. Wenceslai: Viaticum* S. Adalberti. Menſale Domini *in Cantaro Cryſtallino*: pes cupreus de Monſtran-

Arantia, pes argenteus de Roſa. *Ladula cum Corporibus Reliquiarum ibidem ſcriptarum, duabus ſeris clauſa & ſigillata.*

In Ciſta tertia quadrangulari: *Tabula, & in illa Imago S. Mariæ cum corona aurea, gemmis & perlis ornata: alia Tabula ibidem cum oſſibus SS. in Carlſtein argento eſt ſpoliata, ſed tamen modicum manet adhuc in medio de thecis argenteis, cum certis titulis. Item, multæ Litteræ cum ſigillis, ad Eccleſiam Prag. pertinentes. Reliquiæ in faſciculis diverſis, & ova ſtrutionum, & plures cryſtalli; hæc ibidem duabus ſeris ſunt clauſa.* In ciſta III.

In Ciſta Quarta cum tenaculis tribus oblonga; *Tabula parva lignea, cum* peplo B. Virginis Mariæ: *alia Tabula argento ornata, cum particula ejusdem* pepli S. Mariæ *cum cancello: tres panni aurei: ciſtula amethyſtina cum Reliquijs nobilioribus: de* Clavo Domini *in argento oblongo*: Duæ Spinæ de Corona *in Cryſtallo, & monſtrantia quæ argenteum pedem habet: pectorale* B. Mariæ Virginis: Manna cœleſtis *in uno beryllo: particula* Virgæ Moyſi: de Ligno Domini *pulchra Crux: cantarus Cryſtallinus, in quo diverſæ Reliquiæ; inter eas,* Roſa S. Dorotheæ: *pars* de menſa Domini *in quatuor pedibus argenteis, & alia plura. Ciſta lignea cum diverſis Reliquijs. Item, perlæ in uno ſacculo; ſed qui mecum fuerant, nullus viderat, niſi ego palpâſſem; ſtatim in angulum repoſui illas & involvi, propter adſtantes: Tôga media cum duplicata Cruce, margaritis optimis intexta, alia pars interior ſine Cruce fuit Imperatoris Sigismundi: tamen obſcuri colôris brunatici pro caſula de atlas: brachium, cum carne in cryſtallo, & Crux lignea Crucifixi: Albæ notabiliores, & annuli: Coopertorium* S. Viti: *Gladius* S. Wenceslai; *Gladius* S. Mauricij; *& Gladius* S. Stephani Regis Ungariæ. *Litteræ quamplures ſuper cenſus altarium:* Palma B. Mariæ Virginis. In ciſta IV.

In Quinta ciſta. *Primò ſex albæ; Viaticum altaris fractum: Crux cryſtallina fracta: caput in aureo panno, & oſſa Sanctorum rubeo ſerico involuta. Item quinq; ladulæ: pixis cryſtallina cum Reliquijs: alia oblonga cum Mandibula* S. Bartholomæi: *alia rotunda cum Crucifixo: Monſtrantia parva argentea: imago ar-* In ciſta V.

gentea S. Procopij: *manus* Ss. Innocentis: *Vaſculum cryſtallinum cum Apoſtolis aureis parvis: manus* S. Euffemiæ: *Monſtrantia cum novem cryſtallis, & floribus argenteis deaurata, valde pulchra: Monſtrantia parva cum pede: pixis cryſtallina; alia de ebore, & plura ibidem repoſita. Item, Monſtrantia cum dente* S. Benedicti Abbatis, *parva deaurata: ladula in qua de Capitibus SS.* Chriſogoni, Longini, Leonardi, Gregorij Papæ, Urbani Papæ & M. Calixti Papæ & M. Pigmenij M. Cordulæ V. & M. &c. *Alia, in qua de Capitibus SS.* Stephani ProtoMartyris, Dionyſij Epiſcopi, Achatij Ep. Fæliciſſimi M. Marcellini Papæ & M. *Alia cum capitibus SS.* XI. millium Virginum: *Alia cum capitibus & oſſibus* X. millium MM. *Duæ ladulæ cum literis: una ladula cum parvis ladulis, in quibus ſunt Reliquiæ SS. Tumba S.* Sapientiæ Virg. *Poculum D. Imperatoris, & quædam Oſſa Sanctorum in faſciculis ſericeis diverſi coloris colligata, & obſigillata ſecreto Johankonis Decani Prag.*

Reliquiæ SS. Plſnæ depoſitæ per Hanuſſ. Præp. luſtrantur, an. 1476.

Ex his rurſum poſterioribus annis non paucæ, uti Capita Ss. Patronorum Wenceslai, Viti, Adalberti, Mappa Cœnæ Domini & aliæ, Georgio regnante, tranſlatæ ſunt Plſnam. Omnium porrò, quæ Plſnæ depoſitæ ad annum usque 1476. ſervabantur, Conſcriptio per Hanuſſium de Kolowrat Præpoſitum, Româ ſub id tempus glorioſè reducem, prout meminimus ſuprà Radio III. pag. 302. facta fuit iſta,

Anno Domini M. CCCC. LXXVI. In die S. Franciſci, quæ eſt dies 4. menſis Octobris, Inventarium rerum Eccleſiæ Pragenſis denuò confectum eſt, in Monaſterio B. Mariæ Virginis Fratrum Minorum Plſnæ, ubi tunc repoſita erant; per Venerabilem in Chriſto Patrem & DD. Hanuſſium de Kolowrat & Zbiroh, Præpoſitum Eccleſiæ, & Adminiſtratorem in Spiritualibus ArchiEpiſcopatûs Pragenſis, nec non Lectorem Eccleſiæ Agrienſis &c. præſentibus ibidem Venerabilibus Dominis, Procopio & Paulo de Plſna, Pragenſi & Zatecenſi Archidiaconis, Canonicis præbendatis in Eccleſia Pragenſi.

Et primò, præter Cappas, Caſulas, Dalmaticas, Albas, &c. & aliam hujusmodi ſupellectilem. In quadam ciſta Capita SS. Viti,

Wen-

Wenceslai, Adalberti, *S. Viti caput involutum eſt thecâ rubeâ
de axamit : S. Wenceslai, purpurâ rubeâ, item aliâ deſuper purpu-
râ recenti, & ſuper hac taffetâ viridis coloris : S. Adalberti autem
in panno totaliter aureo ab extra, ab intra verò plaveo ; ſuper hac
obvolutum eſt taffeta viridis coloris.* Manus S. Wenceslai *argen-
tea tota & deaurata, quam fieri procuravit D. Doctor Wenceslaus,
bonæ memoriæ quondam Decanus, & Adminiſtrator Eccleſiæ Pra-
genſis ; in qua reconditum eſt brachium S. Wenceslai.* Imago S. Pro-
copij *argentea, tenens in manu ſiniſtra Monſtrantiam cum ſuis
Reliquijs, in dextra verò baculum Paſtoralem argenteum. Mon-
ſtrantia argentea deaurata, ſine pede cum cryſtallis, ex utraq; par-
te decem, & Reliquijs plurimis inter cryſtallos reconditis. Plena-
rium argenteum deauratum, cum imagine Salvatoris, & B. Mariæ
Virginis ; cum ſex berillis majoribus & minoribus, & Reliquijs SS.
gemmis & lapidibus pretioſis. Tabula B. Mariæ Virginis & ima-
go argen. deaurata, Corona autem Capitis præfatæ imaginis eſt de
puro auro, gemmis & lapidibus pretioſis decorata : & ponuntur in
tabula berilli quatuor quadrati, videlicet ſurſum, deorſum, à dex-
tris, & à ſiniſtris, in medio tabulæ incluſas habentes Reliquias SS.
diverſas.*

quæ hoc ordine enumerantur.

Imago B. Mariæ Virginis, quam S. Lucas depinxit. *Crux
aurea tota Regis Ladislai, cum gemmis & lapidibus precioſis, ex una
parte viginti rubinos habens & ſeptem adamantes, cum viginti
quatuor margaritis magnis Orientalibus ; ex alia parte quatuor
rubini, & ſedecim margaritæ Orientales. Alia Crux aurea, in
qua clauditur de* ligno Crucis Dominicæ *per totum, ex utraq; par-
te ornata lapidibus precioſis ; videlicet tribus magnis ſaphyris, &
quatuor in medio minoribus, & ſex pallaſijs magnis; pedem habens
argen. deauratum.* Lignum S. Crucis cum foramine, *tectum the-
cis aureis. Alia Crux Domini biparti[ta] circumdata thecis aureis,
ſub hac forma ☩ & hæc allata eſt de Eccleſia Conſtantinopol. quæ
quondam per B. Helenam de Hieroſolymis aportata,* ibidem re-
condita fuit. De Clavo Domini *pars anterior, in auro puro in-
cluſa, ad modum Clavi facto :* de Menſa Domini, *concluſum ar-*

gento deaurato, ad modum menſulæ, in quatuor pedibus facto. Duæ ſpinæ de Corona Domini, *in cryſtallo, cujus extrema clauſa ſunt auro puro, pes videlicet & tectura rotunda, in ſummitate tecturæ habens octo margaritas magnas.* Virga Aron *in cryſtallo, cujus ora, ſuperior videlicet extremitas & inferior, clauduntur argento deaurato, in pede cryſtallino.* Sudarium Domini, *panno rubeo inſutum*: de panno, quo Chriſtus cruentato corpore in cruce erat præcinctus, *in corporali aſſutum:* de Sudario panno cruentato, quo Chriſtus uſus eſt in ſua Sancta Paſſione & Sepultura, *in Corporali aſſutum:* de Menſali Domini *pars notabilis, habens lineas coloris cerulei, rubei, bruni.*

Peplum B. Virginis *ſerico inſutum:* Evangelium S. Marci, *quod propriâ manu ſcripſiſſe fertur: Pectorale magnum rotundum argen. deaurat. cum cryſtallo. Calix argen. deauratus, & duæ ampullæ argen. deauratæ; & aliæ duæ argenteæ confractæ.* Baculus S. Petri Ap. *argenteus deauratus:* Baculus S Pauli Apoſtoli *cupreus deauratus.* Infula B. Andreæ Epiſcopi Pragenſis *deaxamit rubeo, cum literis quibusdam exoticis ex gemmis & auro, cujus fimbria in circuitu eſt gemmata quibusdam floribus. Alia gemmata decorata lapidibus precioſis, quam D. Doctor Wenceslaus quondam Decanus, & Adminiſtrator Eccleſiæ Pragenſis, ex materia Eccleſiæ fieri procuravit: alia per totum gemmata & lapidibus precioſis, argento & auro bono, decorata: alia de novo reformata per venerandum in Chriſto Patrem & DD. Hanuſſium de Kolowrat & Zbirob, Præpoſitum Eccleſiæ Prag. Lectorem in Eccleſia Agrienſi, tota gemmata, & laminis argenteis deauratis lapidibusq; pretioſis decorata. Hanc pro ſe & futuris Præpoſitis Eccleſiæ Pragenſis deſtinavit: ſicut Doctor Wenceslaus illam, cujus ſupra mentio eſt, pro ſe & futuris Decanis.*

Aliæ iterum ibidem, & ab ijsdem revidētur & conſignantur, unà cum alia ſupellectili ſacra.

Anno verò, ut ſupra 147[illegible]. in Octava S. Wenceslai M. & Patroni noſtri glorioſi, quæ eſt dies 5. menſis Octobris, conſignatæ ſunt veſtes Sacræ & jocalia argentea, à Venerando in Chriſto Patre & Domino; Domino Hanuſſio de Kolowrat & Zbirob, Præpoſito dictæ Eccleſiæ, & Adminiſtratore Sede vacante &c. In loco Fratrum Minorum

rum in Plſna, ubi tunc repoſitæ habebantur in præſentia ſupra memoratorum Procopÿ & Pauli de Plſna Pragenſi & Zateczenſi Archidiaconis, Canonicis præbendatis in Eccleſia Pragenſi. Et primò

Monſtrantia magna argentea, ſupra cujus umbilicum eſt imago S. Georgÿ cum equo & beſtia; à dextris, imago B. Virginis; à ſiniſtris, S. Joannis Evangeliſtæ: & ſupra Capita iſtarum duarum imaginum Angeli, quorum unus tenet Crucem, alius Coronam, in cujus ſummitate eſt Pelicanus cum ſuis pullis deauratus: in medio Monſtrantiæ recondita eſt ſcapula B. Georgij M. *Alia Monſtrantia argentea, ad inſtar trium turrium fabricata, habens in medio ſui duas* ſpineas coronas; *à latere dextro*, dens S. Jacobi Majoris; *à ſiniſtris de lacte* B. Virginis. *Crux magna argentea lata, in cujus medio eſt* de ligno Domini, *per modum Crucis; ad latera verò ſunt imagines ſculptæ Patronorum Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi.* Monſtrantia oblonga, ad inſtar duarum turrium elevata: *in qua ſunt recondita* brachia Ss. Fælicis & Adaucti. *Caput* S. Barnabæ Apoſtoli *circumdatum argento: Teutonici pectus comederunt. Monſtrantiola argentea, in cujus medio cryſtallus, in qua recondita habentur Reliquiæ de Capite S. Joannis Baptiſtæ; & ſupra caput etiam eſt cryſtallus continens* de ſanguine S. Wenceslai. *Crux parva cum ſuo pede argentea. Monſtrantia argentea deaurata, per modum Pacificalis facta; in cujus parte ſuperiori eſt Cryſtallus quadrata conos ſurſum & deorſum figens; in qua Reliquiæ Ss. Apoſtolorum ſunt recondite, & à tergo eſt imago Reſurrectionis Domini, & S. Mariæ Magdalenæ ſculpta. Alia habens in ſuperiori parte pinnæ imaginem S. Laurentÿ. Crux argentea deaurata de antiquo & pulchro labore, in cujus medio recondita ſunt Reliquiæ* S. Crucis. *Monſtrantiola argentea deaurata* S. Norberti *cum Reliquÿs ejusdem.* Alia cum cryſtallo rotunda. *Vas pro thure, ſeu ſcyphus cryſtallinus cum pede argenteo & albo. Duæ ampullæ cryſtallinæ cum pede argenteo, in quibus recondita ſunt Reliquiæ; in una* de Manna Cœleſti; *in alia ponuntur*, Aurum, thus & Mirrha, *quæ oblata ſunt Domino Jeſu puero.*

Plenarium ſolenne argenteum, cum imaginibus Ss. octo; videlicet

licet quatuor Evangeliſtarum, & Patronorum Viti, Wenceslai, Adalberti & Sigiſmundi, cum domicilijs ipſorum argenteis deauratis; in quo ſunt multæ Reliquiæ Sanctorum recunditæ, in pondere ſuo habens viginti quinq; Marcas argenti, dempto auro & lapidibus pretioſis. Tabula magna deaurata lignea, continens in ſe Reliquias Undecim millium Virginum, in cujus medio vitrum magnum. Alia minor cum ſuo vitro, in quo ſunt recondita Reliquiæ Ss. Decem millium Mm. Tabula B. Virginis Mariæ, ad inſtar imaginis S. Lucæ effigurata, habens in ſe de peplo ejuſdem B. Virginis: Tumba ex aurichalco ſupra deaurata cum tribus digitis, qui continent Reliquias Ss. Stanislai, Chriſtophori, & Quintini; ad latus poſitum, de capite S. Sigiſmundi, ex alio latere ex oppoſito de capite S. Lucæ, ac alijs Ss Reliquijs. Tres cantari cryſtallini, pleni Reliquijs SS. Cryſtallum cum ſuo pede, ad modum pixidis factum; in quo ſunt recondita Reliquiæ Sanctorum. Ampulla cryſtallina cum SS. Reliquijs in faſciculis ſericeis diverſi coloris colligatis. Quatuor manus ligneæ deauratæ, in cujus majori poſitum brachium S. Potentianæ: in ſecunda S. Juſtinæ: in tertia brachium Ss. Innocentum: in quarta de brachio S. Margarethæ V. Aliquot brachia SS. ſine ornatu, in ciſtula lignea ſub literâ C. recondita. Crux lignea deaurata habens in medio cryſtallum, ad modum Crucis, cum roſa S. Dorotheæ.

Tumba lignea flava, in qua habentur Reliquiæ S. Albani M. Alia parvula lignea ex oſſe & ligno: in qua recondita ſunt Reliquiæ de Columna Chriſti. Alia per modum vannæ facta, cum Reliquijs SS. videlicet Valerij Ep. Trevirenſis, & Ss. Januarij & Sociorum ejus, S. Fortunatæ Virginis, & de lorica S. Wenceslai. Alia Tumba lignea deaurata, habens deſuper lapidem cryſtallinum magnum cum SS. Reliquijs plurimis. Alia ex oſſe nigro, albo & viridi, cum Reliquijs Ss. videlicet Undecim millium Virginum. De faſcia Domini inſutum corporali. De Sudario Domini etiam corporali inſutum. De Menſali Domini partes duæ inſutæ ſerico albo, cum lineis coloris viridis, albi & flavi. Alia Tumba lignea ad modum ciſtulæ facta, à parte anteriori deaurata cum tribus imaginibus;

nibus; Miſericordia videlicet Domini, Maria & Joannes, *habens plures Reliquias SS. in qua etiam quadam burſa precioſa auro phrigiata habetur. In prædicta tumba continentur Mandibulæ* S. Juſtinæ & S. Benignæ, *& brachia* Ss. Mauricij, Victoris, Candidi & Materni, *nuda duntaxat ſerico viridi circumdata: Capita* Ss. undecim millium Virginum: Ss. Thæbeorum MM. *unum Caput*: *aliud* ex decem millibus MM.

Pacificalia numero quinq; argentea, quatuor deaurata. Primum, cum cryſtallo rotundo ventroſo & confracto in lamina argentea deaurata incluſum, à dorſo lamina argentea deaurata cum Veronica ſculpta, continens Reliquias S. Catharinæ, *& alias plures. Alterum argenteum deauratum cum cryſtallo rotundo, in quo* Agnus DEI *includitur: ex altera autem parte ſunt imagines lineatæ* B. Virginis & Angeli Annunciantis. *Tertium argenteum deauratum, ad inſtar ſportulæ factum cum ſuo cryſtallo. Quartum argenteum deauratum habens in medio Matrem perlarum, & imagines ſculptas,* Decollatio *videlicet* S. Catharinæ; *ex altera parte eſt* Miſericordia DEI. *Quintum eſt argenteum per modum Crucis factum. Item, Altare portatile de lapide Jaſpide coloris rubei. Tumba major plumbea, continens plurimas Reliquias SS. & hæc eſt in alia ciſta, cum alijs veſtibus ſacris.*

Annis poſterioribus, ſopitis utcunque circa Religionem inteſtinis diſcordijs & motibus, cùm iſtæ, tum aliæ Ss. Reliquiæ Owino & Crumloviâ fuerunt Eccleſiæ ſuæ Pragenſi poſtliminiò reſtitutæ; eſtô pauciores, quàm olim fuerint, numero; (quædam enim ad Carlſteinenſes, ût ſupra monuimus, quædam aliò tranſierunt) id quod facilè quisque animadvertere poterit, ubi poſtmodùm Conſignationem earundem, quam mox referemus, cum præterita anni 1368. & ſequ. præſertim Ss. Capitum & Manuum, imò integrorum Ss. Corporum, attentè contulerit.

Anno Domini M.D.XXXVII. decimâ ſextâ Novembris, reviſa ſunt omnia Clenodia, & Sacræ Reliquiæ, quæ ſervantur in ſuperiori teſtudine ad S. Wenceslaum, per Reverendiſſimum Dominum Nova Ss. Reliquiar. & Clenodiorum Eccleſ. Prag. reviſio, an. 1537.

num in Chriſto Patrem D. Joannem Epiſcopum Viennenſem, & Archidiaconum Pragenſem, ex mandato Sacræ Regiæ Majeſtatis; in præſentia Venerabilium virorum D. Erneſti de Slensez Præpoſiti, D. Wenceslai Decani, D. Nicolai Hawka Scolaſtici, D. Simonis Villatici, D. Magiſtri Joannis Mezricenſis, D. Valentini hujus Sanctæ Pragen. Eccleſiæ Canonicorum; & ſingula inventa ſunt ex integro, ſecundùm antiquum Inventarium præcedentium Prælatorum. Rurſum.

Alia rurſum & exacta an. 1540. eorundem Conſcriptio, quæ ſic habet:

Anno Domini 1540. poſt octavam Paſchæ conſcripta ſunt Clenodia, & ſacræ Reliquiæ Eccleſiæ Pragen. quæ ſervantur ſupra Capellam S. Wenceslai, in hunc modum & formam, ut ſequitur.

Primò in una Ciſta habetur Monſtrantia magna argentea, pro feſto Corporis Chriſti. In alia Ciſta, Monſtrantia minor nova argentea, cum cryſtallo rotundo, etiam pro feſto Corporis Chriſti. Cantarus magnus cryſtallinus, in quo recluſa eſt magna pars de Menſali Domini. *Manus argen. deaurata, in qua continetur* brachium S. Wenceslai. *Monſtrantia argentea cum oſſibus* Ss. Fælicis & Adaucti: *alia minor argentea inaurata, in qua eſt fruſtum* de brachio S. Achatij. *Thuribulum argenteum. Duæ Cruces cryſtallinæ argento circumdatæ, quæ olim ante ArchiEpiſcopum portabantur. Item, in magno armario ſcyphus cryſtallinus habens Crucem, deſuper ſigillatus ſigillo D. Hanuſſij, in quo variæ Reliquiæ continentur. Cantarus cryſtallinus cum Reliquijs SS. Virginum, ſigillatus per D. Hanuſſium, quondam Præpoſitum Eccleſiæ Prag. Cyphus cryſtallinus in pede fractus, in quo ſunt Reliquiæ SS. Apoſtolorum & Patronorum. Cantarus cryſtallinus per medium fractus, in quo Reliquiæ multorum Sanctorum, inter alias* S. Bartholom. Ap. S. Apollinaris Ep. & M. S. Pantaleonis M. S. Pangratij M. S. Julianæ V. & M. S. Donati M. Ss. Coſmæ & Dam. Mm. Ss. Joan. & Pauli Mm. S. Gereonis M. &c. *Manus cuprea, in qua continetur manus integra* S. Euphemiæ *(jam eſt argentea & alibi ſervatur)*

Monſtrantia argentea, in qua continentur Crines B. Virginis. *Alia cuprea, in qua continetur* Roſa S. Dorotheæ. *Alia argentea, cum varijs Reliquijs; præcipuè de* capite S. Joannis Baptiſtæ.

Alia

Alia argentea cryſtallina, cum Reliquijs Magni Ducis & M. *Alia parva argentea, in qua continetur* dens S. Benedicti Ab. *Alia argentea cùm manu* unius Sancti Innocentis pueri. *Alia cuprea deaurata, cum Reliquijs* S. Quirini M. & Trium Regum: *alia parva deaurata cum varijs Reliquijs SS. alia argentea in modum cordis, cum Reliquijs SS. Pacificale Regium, laboris Italici, in una parte* imago Crucifixi, *in alia* Nativitatis Chriſti. *Duæ ampullæ Cryſtallinæ cum Reliquijs. Sepulchrum parvum cupreum deauratum cum tribus digitis, in quo ſunt variæ Reliquiæ. Tabula cuprea deaurata ab intus, habens imagines* B. Virginis, S. Andreæ, & S. Stephani. *Alia Lignea cum Reliquijs* Decem millium Militum. *Infula Epiſcopalis argentea, cum varijs lapidibus. Tabula Lignea clauſa, cum Reliquijs* S. Jacobi, & S. Stephani. *Pes cupreus deaur. cum Rel.* S. Gereon.

Monſtrantia argentea deaurata cum pede cupreo, in qua variæ continentur Reliquiæ intra cryſtallum: potiſſimum verò de veſtitu S. Mariæ Virg. S. Auguſtini, S. Adalberti, & de oſſibus S. Petri Apoſt. *S.* Dionyſij M. *S.* Eleutherij, qui erat ſponſus S. Urſulæ. *Alia humilior argentea quoq; deaurata, cum imaginibus ſex Apoſtolorum, quorum quisq; tenet dentem ſuum. Sunt autem,* Andreas, Jacobus Major, Bartholomæus, Matthæus, Philippus & Matthias. *Manus lignea, in qua ſunt Reliquiæ* S. Theodori M. *Ciſta plumbea cum Reliquijs Sanctorum Corporum. Tabula lignea cum imagine B. Virginis, in cujus margine continentur Reliquiæ B. Virginis, & corona ſupra Virginem cum lapillis & margaritis pretioſis: hæc habetur in Sacriſtia pro plenario in feſtis B. Virginis. Ciſtula lignea circumdata laminis cupreis clauſa cum lapide ſerpentino. Duæ Tabulæ ligneæ cùm laminis argenteis deauratis circumdatæ ab intus, in quibus variæ continentur Reliquiæ. Sacculus cum lorica* S. Wenceslai. *Capſula cum ſacculo, in quo continentur varij generis lapides. Ciſtula exciſa lignea, cum Capitibus Sanctarum undecim Millium Virginum, & Decem Millium Martyrum. Alia lignea ſine pictura cum varijs Reliquijs SS. præcipuè* S. Andreæ Ap. *pars notabilis,* S. Pantaleonis M. S. Lazari de Bethania

in faſciculo colligatæ cum inſcriptione: Sancti Lazari oſſa & pulveres allati per Sereniſſimum Dominum Carolum Romanorum & Bohemiæ Regem. Mandibula S. Aldegundis V. cum duobus dentibus: de brachio unius è ſeptem FF. MM. S. Piæ V. *de capite* S. Juſtinæ, *de brachio* S. Mauritij: S. HermagoræM. *crus S* Donati M. *aliud S.* Calixti Papæ & M. *de capite S. M*arcellini Papæ & *M. pars inſignis. Alia ad modum ſepulchri cum Reliquijs, & præcipuè cum Capite* S. Valerij Epiſcopi Trevirenſis. *Alia parva circumdata coreo ruffo, cum varijs Reliquijs Sanctorum, inter quas ſunt notabiliores; S.* Benignæ V. S. Ruffi M. S. Rochi Confeſſ. *S.* Henrici Imp. *in faſciculo: de brachio* S. Protaſij Mart. *de brachio S.* Victorini Ep. & M. S. *S*ebaſtiani fruſtum; *de crure S.* Cornelij centurionis M. *de brachio S. M*aximini *fratris S. Mariæ Magd.* S. *Sa*libariæ V. & M. S. Suſannæ V. S. Genovefæ V. *S.* PaulinæV. S. Anaſtaſiæ V. S. Fælicitatis M. *de coſta* S. Juſtinæ *à Corbejenſibus Monachis Carolo IV. data.* S. Demetrij M. S. Cyriaci M. &c.

Item; in Ciſta nova, ſuper qua depicta eſt Corona cum creta, hæc continentur: de Ligno S. Crucis *magna portio circumdata laminis aureis, in capſella ſericea viridi: & portio* de Clavo Domini *locato in auro. Tabula argentea deaurata, in qua includitur S*udarium Chriſti, *quod apportatum eſt, per Carolum Imp. Palma argentea deaurata, in qua includitur portio* de Palma, quam *S.* Joannes Evang. portabat ante funus Virginis Mariæ, quando portabatur ad Sepulchrum. *Imago S. Procopij argentea cum ſceptro, Monſtrantiam parvam in manu tenens. Vaſculum cryſtallinum, in cujus ſummitate eſt Crux cum gemmis; ubi variæ continentur Reliquiæ, &* Agnus DEI. *Portatile lapideum calcidon, circumdatum laminis argen. Variæ Reliquiæ involutæ pannis ſericeis, ſine titulis:* brachium S. Matthæi cum carne *in cryſtallo.* Evangelium S. *M*arci, quod propriâ manu ſcripſit.

In Ciſta, quæ aliàs Oſtnłowana *dicitur, hæc continentur. Moſtrantia argentea deaurata, cum inſignijs Junkarorum in pede; in qua includuntur Reliquiæ. Crux argentea deaurata, in qua eſt* Crux de Ligno Domini *circumdata laminis argenteis & decora-*

taſe-

in ſeptem ſaphyris. Monſtrantia parvula argentea deaurata, in qua eſt pars de Virga Moyſi. *Tabula cryſtallina cum Cruce, circumdata argento & gemmis aliquibus exornata, in qua habetur* de Sanguine Chriſti. *Vaſculum Cryſtallinum argento circumdatum, in quo habetur* de Manna Cœleſti: *Reliquiæ S.* Nicolai *in argento*: *Crux argentea fracta cum Reliquijs*: de Menſa Domini *circumdata argento deaurato, habens quator pedes. Reliquia S.* Marci *involuta panniculo albo. Poſtrema pars* baculi *S.* Procopij. *Crux parva ſimplex cum nigra zona, quæ æſtimatur eſſe aurea. Crux aurea gemmis & lapidibus pretioſis decorata, in futro recluſa nigro. Ciſtula oſſea continens magnam partem* de ligno Domini, *per modum Crucis; & tria corporalia,* de Sudario Domini, *partes continentes. Duæ* ſpinæ de Corona Domini *in cryſtallo cum gemmis. Monſtrantia cuprea ſuperiùs quadrata cum Reliquijs S.* Bartholomæi. *Reliquiæ Ss.* Laurentij, Gerconis, Eliſabeth, Georgij, Longini, Lazari, Geminiani M. Caſtuli M. Udalrici, Mauritij M. Barbaræ V. & M. & *aliorum non paucorum in ſacculo flavi coloris: Sacculus ſericeus viridis cum rotundo Pacificali aureo cum cryſtallo. Alius ſacculus itidem viridis, ſed minor, cum multis Ss. Reliquijs. Ciſtula lignea deaurata; ubi variæ continentur Reliquiæ.*

De Calicibus & Pacificalibus.

Calices deaurati XVII. argentei verò IV. Calix aureus I. & quinq; Pacificalia habentur in una ciſtula. In alia Ciſtula, in qua ſunt Capita Sanctarum Undecim millium Virginum, & aliæ plures Reliquiæ, ſunt etiam duo Calices. *Pacificale argenteum deauratum cum imagine B. Virginis cum puero, alba ex una parte, ex altera eſt Crux eburnea, & in eodem VIII. lapides pretioſi. Crux argentea deaurata, ubi ponitur* de ligno Domini: *Pacificale rotundum deauratum habens ex una parte margaritam exciſam in tres imagines; ex altera parte duodecim Apoſtolos, & Salvatorem. Aliud cum Reliquijs* S. Laurentij, *cum cryſtallo aperto, habens à tergo tres imagines* S. Catharinæ, B. Virginis & S. Dorotheæ. *Aliud cum Reliquijs* S. Wenceslai, *habens à tergo*

Agnum Dei, cum ſacculo rubeo de damaſco. Aliud habens à tergo Crucifixum ex altera parte Salvatorem depictum crucem bajulantem. Aliud habens ab intra ſub cryſtallo Veronicam, à tergo B. Virginem in Sole. Crux deaurata cum Crucifixo, habens à tergo flores. Pacificale argenteum à tergo non deauratum cum Salutatione B. Virginis; ex altera parte deauratum cum cryſtallo, habens ab extra etiam Salutationem B. Virginis. Aliud Pacificale rotundum argen. non deauratum, cum Crucifixo ab intra, & cum lapidibus ex utraque parte Pectorale quadratum cum cryſtallo deauratum ab intra, cum Reliquijs de veſte Domini, & ligno Domini; *à tergo imago B. Virginis. Pacificale argenteum per modum Crucis; intra cryſtallum reliquia,* de peplo Beatiſſimæ Virginis, S. Eliſabethæ, S. Procopij, S. Eraſmi. *Pacificale rotundum, quod videtur eſſe aureum, cum cathena etiam aurea, cum Cryſtallo rotundo, & quatuor margaritis, habens à tergo ſcripturam, quod Carolus Magnus habuerit; ad intra verò* de Tunica in conſutili. *Aliud rotundum deauratum; ex una parte eſt* Miſericordia Domini *cum duobus Angelis exciſa in margarita, ex altera* Reſurrectio. *Crux deaurata parva, habens ex una parte imaginem Crucifixi, ex altera verò parte eſt plana. Pectorale parvum aureum cum Cryſtallo, habens* de Ligno Domini, & de Sudario Salvatoris *ornatum cum gemmis.* Burſa quædam, in qua includuntur fragmenta de gemmis & lapidibus pretioſis & argento.

Scyphus cryſtallinus cum coopertura cryſtallina circumdata argento deaurato, cum textu ad intra, habens varias Reliquias Sanctorum. Gladius S. Stephani *Regis Ungariæ.* Gladius S. Mauritij. Caput S. Victoris, *locatum in rubeo Axamit. Duo ſcyphi magni cum ſuis tecturis deaurati, quibus utitur Eccleſia feria quintâ & feriâ ſextâ Magnâ pro Communione populi.*

Unus Scyphus Onichius, qui olim Caroli IV. fuit argento deaurato circumdatus ſine tecturâ, allatus de Owyn Monaſterio. Pulchra imago B. Virginis deaurata ſimiliter de Owyn allata. Duo parva candelabra deaurata, empta à Domino Sſelmbergk. Pectorale parvum aureum cum lapidibus pretioſis & margaritis, & ligno Domini

mini *ex una parte, ex altera cum gemmis, Coralliſq. Calix cryſtallinus cum pede argenteo, non deaurato. Roſa à tergo argentea flava ex altera parte deaurata, cum gemmis & cryſtallo, &* de Sudario Domini. *Crux argentea cum quinq. cryſtallis & gemmis, in medio cryſtallo imago B. Virginis deaurata in Sole, quam legavit Dominus Joannes Kurka Eccleſiæ Pragenſi.* Brachium S. Sebaſtiani *in nova parva monſtrantia argentea.* De brachio S. Mariæ Magdalenæ: *Clenodium aureum cum quatuor margaritis, & tribus ſapphyris, in ſerico rubeo involutum: Ampulla pulchra cryſtallina ſculpta in ſuperficie habens glandem, & pedem deauratum cum Reliquijs varijs. Pars Monſtrantiæ cryſtallinæ, cum Reliquijs S.* Udalrici & Auguſtini. *Ciſtula cum quatuor Privilegijs Caroli, habentibus aurea ſigilla pendentia. Pixis cum ſectura argentea inaurata cryſtallina, in qua eſt incluſa portio unicornis in auro ligata. Vaſculum cryſtallinum auro illigatum, cum multis parvis Reliquijs in collo ſolitis geſtari, cum ſingulis titulis.*

Reliquiæ S. Ludmillæ, S. Viti, S. Criſtinæ, S. Benedicti, S. Matthæi, S. Joannis. *Monſtrantiola parva arg. inaurata cum cryſtallo, in qua digitus alicujus parvuli: Alia, in qua clavus ferreus, abſq. nomine: Alia, cum reliquijs* S. Petri; *pars notabilis.* Alia oblonga habens *coopertam inauratam baſim argenteam, cum varijs Reliquijs. Reliquiæ* S. Sophiæ *oblongæ ex utraq. parte cupro illigatæ. Vaſculum oblongum cryſtallinum cum argento deaurato, ſine Reliquijs. Monſtrantia parva cryſtallina, habens ſuperius textum* Ave *in ſummitate in argento deaurato: Pixis cryſtallina parva argentea deaurata, habens florem deſuper. Vaſculum cryſtallinum oblongum cum pede argen. deaurato, in quo eſt* Oleum S. Catharinæ, *pes cryſtallinus argento circumdatus, in quo olim Reliquiæ fuerunt. Reliquiæ* S. Damiani *argento circumdatæ: aliæ Ss.* Undecim millium Virginum *argento quoq. circumdatæ: de Cruce* S. Andreæ; Dens *S.* Dorotheæ *in cryſtallo. Os oblongum in modum cylindri, alicujus Sancti ſine titulo. Reliquiæ S.* Matthæi & Quinque Fratrum. *Ciſtula argentea, in qua ſunt* mandibulæ *S.* Benignæ & *S.* Juſtinæ, & *S.* Galli *cum oſſe rotundo, lite-*

literis Græcis inſcriptis. Vaſculum cryſtallinum cum rotunda chartula, nomina multorum Sanctorum continens; & ex parte altera quandam inſcriptionem.

Monſtrantia cuprea deaurata cum panno & Reliquijs S. Petri Ap. *Alia in forma Crucis cum cryſtallo & gemmis, à tergo habens Crucem Paſſionis Chriſti, in ſuperficie argentea deaurata, habens pedem cupreum. Alia cuprea cum Reliquijs* S. Andreæ; S. Marci & S. Bartholomæi. *Alia oblonga inſtar turriculæ, argentea inaurata in qua intra cryſtallum Reliquia* S. Wenceslai, *pars notabilis. Alia antiqua tota cuprea cum quinq; beryllis, & Reliquijs* de LinteoDomini, SS. Philippi & Jacobi. *Manus cuprea deargentata* S. Mauritij: *alia ſimilis* S. Victoris: *alia lignea* S. Potentianæ V. *alia lignea* S. Juſtinæ V. *alia quoq; lignea* S. Margarethæ V. *alia* Ss. Innocentum. *Alia deargentata cum pede in modum ſepulchri cum imaginibus Imperatoris Friderici & Uxoris. Crux lignea deargentata cum Reliquijs* de Rubo Moyſis, *ſub cryſtallo. Monſtrantia pulcherrima argentea deaurata cum* ligno de Cruce Domini, *quâ utimur in Palmis, & feriâ VI. Magna. Vas cryſtallinum argenteo deaurato circulo per medium ſeptum, cum burſa nigra, & varijs Reliquijs. Ciſtellula parva cum corio deaurato, in qua eſt de* cappa S. Benedicti. *Alia, in qua diverſæ Ss. Reliquiæ; inter alias pars* cutis de occipite S. Wenceslai, *pars notabilis; Item* Swatých Plinek Božích/ S. Bartholomæi, S. Barbaræ, S. Dorotheæ, S. Marthæ V. S. Chriſtophori, S. Epiphanij M. S. Nicetij Epiſcopi Trevir. &c. *Ciſtellula eburnea ad modum ſepulchri, cum cocleari argenteo, & Monſtrantiola cuprea deargentata.*

Infula rubea S. Adalberti *margaritis ornata: Annulus ejusdem, chirotheca, crucula & pecten. Item Caſulæ duæ, quæ in feſto ejusdem S. Martyris publicè omnibus oſtendi ſolent. Lignum quoddam, in quo ſunt Reliquiæ ſine titulo. Lapis Porphyreticus in modum Infulæ cum multis berillis. Ciſtula quædam, in qua continentur varia, præſertim vitra cum diverſis oleis ſacris; utpote de* oleo S. Mariæ de Sardinia, S. Catharinæ, S. Nicolai, *de ſepulchro S.* Andreæ, *de ſepulchro* S. Mariæ Magd. &c. *Duæ ſcutellæ* S. Adalberti

berti

berti argento decoratæ, more antiquo, cum tabula cuprea cryſtallina. Ciſtellula eburnea cum ligaturis æneis, in qua eſt imago S. Catharinæ argentea. Pacificale cum cryſtallo, & ex altera parte Miſericordia Domini; & aliæ Reliquiæ, & numiſma cum imagine B. Virginis. Pacificale novum cum imagine B. Virginis Aſſumptæ, Apoſtolis circumſtantibus, cum Reliquijs de veſte Domini. Sacculus viridis coloris, in quo SS. Reliquiæ de cap. S. Ananiæ, & aliorum multorum SS. Tabula picta lignea cum imagine B. Virginis Aſſumptæ. Ciſtellula parva cum corio deaurato, & laminis cupreis. ſeraláq; cuprea, cum varijs fragmentis, & oleo S. Catharinæ. Ciſtula ſimplex in modum ſepulchri, cum capitibus S. Victoris M. & S. Valerij, & multis Reliquijs. Alia cum Reliquijs SS. Longini, Chriſogoni, Urbani, Gregorij, Calixti, Pigmenij, Patricij, Metelli, Leonardi, Cordulæ, de ipſorum capitibus partes notabiles; Duæ mandibulæ, & alia fruſta aliorum Sanctorum. Alia ciſtula cum capitibus SS. Barnabæ Ap. Stephani primi M. Dionyſij Ep. Fæliciſſimi M. Marcellini M. Achatij M. Dorotheæ V. & M. Suſannæ V. & M. Benedicti unius ex Quinque FF. MM. partes notabilis magnitudinis. Alia cum Catena S. Petri, & pluribus alijs SS. Reliquijs. Scatula lignea cum duobus annulis aureis, cum pomo, & multis fragmentis de cingulo. Tabula lignea cum vitro, & Reliquijs undecim millium Virginum. Scatula cum quatuor cochlearijs ligneis. Ciſtula cuprea cum Crucifixo, in modum ſepulchri; non poteſt aperiri. Ciſta nigra alta cum multis lapidibus, & Cruce, & ſacculis, quæ continent multas SS. Reliquias: Item, Veronica vera; Galea S. Wenceslai. Ciſtula lignea in modum ſepulchri, cum lapidibus pretioſis ornata, in qua alia parva includitur repleta SS. Reliqu. Vaſculum rotundum totum argenteum deauratum cum Zona albi & rubei coloris, continens in ſe particulas Reliquiarum. Ciſta habens ſeram fractam, referta alijs ciſtellulis, & multis Reliquijs; Inter alias partes, continet de Capitib. SS. Mariæ Magdal. S. Caſtuli M. S. Burchardi Ep. S. Maluſij M. S. Udalrici Ep. S. Corbiniani Ep. S. Conſtantiæ V. S. Luciæ V. & M. Item, alias plures Reliquias Sanctorum, quorum appoſita nomina ibidem videre & lege-

re eſt. Ciſtula plumbea continens partem corporis S. Marci Evang. *Alia quoq; plumbea, habens medietatem Corporis* B. Fortunatæ V. *Alia cum Reliquijs* Ss. Sergij & Bacchi. *Alia cum Reliquijs S.* Januarij M. & ſociorum ejus. *Alia cum Reliquijs* S. Florentij Ep. *Alia cum Reliquijs* S. Calixti P. & M.

Eodem Anno, & eodem tempore, conſcripta ſunt Clenodia, & alia res hujus Sanctæ Pragenſis Eccleſia, quæ allatæ ſunt de Krumlowia.

Conſcriptio Clenodior. & SS. Reliqv. Krumloviâ allatar.

Primò; in una ciſta habentur tredecim Calices, & una ſuperflua patena; & duæ ampullæ argenteæ. In alia Ciſta ſunt variæ litteræ pro Eccleſia Prag. In tertia Ciſta, ſunt tres pulchræ antiquæ Infulæ: Duæ chirotecæ cum tribus annulis: pectomle rotundum: duæ parvæ Cruces in uno parvo ſacculo: pixis ſatis magna argentea pro Venerabili Sacramento: duo humeralia ſatis pulchra: duæ ampullæ arg. duæ parvæ Monſtrantiæ, una cum B. Virgine & Miſericordia Domini, alia habens in ſummitate S. Chriſtophorum. Item, in parva Ciſtula; plenarium parvum argenteum cum Veronica in medio cryſtalli poſita cum textu: Speciosus formâ præ filijs hominum. *Aliud parvum plenarium deauratum cum Reliquijs Ss.* Patriarcharum Abraham, Iſaac & Jacob. *Sacculus ex tela cum margaritis ſatis pulchris: alius ſericeus ruber plenus Ss. Reliquijs. Quinq; Cruces deauratæ & duæ argenteæ, omnes parvæ ſunt: decem Pacificalia parva. Cryſtallum parvum deauratum cum peplo B. Virginis. Duo annuli cum lapidibus. Reſervaculum cum imagine S. Petri: aliud cum Reliquijs, ubi nomen non habetur: aliud cum cathenula deaurata, in quo eſt dens S.* Vincentij: *duæ ampullæ argenteæ. Lapis pretioſus pendens in catenula deaurata: Reſervaculum vacuum cum catenula deaurata: aliud cum catena, in quo eſt de* ſpinea Corona particula. *aliud fractum cum Reliquijs in uno panniculo: aliud in quo habetur* de Virga Moyſi. *Una parva Monſtrantia deaurata, habens in ſummitate ſimplicem Crucem. Sigilla Capituli habentur in ſuo loco in Sacriſtia.*

Huic Conſcriptioni correſpondent Inventaria Anni 1545. & 1550. paucis exceptis; ſicut id ipſum ibidem inſinuatur hiſce:

ſce: *Anno Domini 1545. XVIII. Junij. Reviſæ ſunt res Eccleſiæ & Sacræ Reliquiæ, quæ ſervantur ad S. Wenceslaum in ſuperiori Teſtudine, per Reverendos D. Wenceslaum Decanum, D. Valentinum Scholaſticum & Adminiſtratorem, D. Simonem Villaticum, D. Joannem à Puchow Adminiſtratorem, D. Laurentium hujus Sanctæ Eccleſiæ Canonicos: & ſingula inventa ſunt ſecundùm Inventarium ſuperiùs deſcriptum: exceptis paucis.* Inventaria earundem facta ſequentibus annis.

Nec multum diſcrepant, quoad Ss. Pignora, facta ſub Petro Decano anno 1562. & 1575. ſicut etiam anno 1587. ſub Pontano Decano: nec recentiora an. 1615. 1636. nec deniſque poſtremum omnium, per me an. 1670. confectum: niſi quod noſtrum clariùs exprimat, ſpeciatimq; enumeret illas Ss. Reliquias, quas ſuperiora obiter duntaxat & ſummariè attingunt: Exempli gratia: *Ciſta plumbea cum* Reliquijs *Sanctorum corporum; duæ Tabulæ ligneæ laminis argenteis deauratis circumdatæ ab intra, cum varijs Ss. Reliquijs: Ciſta habens ſeram fractam, referta alijs ciſtellulis & multis Ss. Reliquijs: ſacculus viridis cum multis Ss. Reliquijs.* Ita in communi tantùm de S. Reliquijs referunt Inventaria antiqua: noſtrum verò ſingillatim & pleraſque de nomine recenſet. Id tamen dolendum, quòd ab aliquibus appoſita nomina vetuſtate nimiâ corrupta, & per incuriam anteceſſorum noſtrorum renovari neglecta, interierint. Enumerare hìc porrò omnes ſupervacaneum ducimus, cùm majori ex parte eædem ſint, quarũ Syllabum ſupra in Conſignatione Wratiuogij Decani ad an. 1368. & in ſequentibus oſtendimus.

Cæterùm præter has jam enumeratas, quæ in ſuperiori Capellæ Divi Wenceslai conclavi fuerunt & manent depoſitæ, erant, ſuntque etiam hodie, quæ in Sacriſtia S. Michaëlis, pro faciliori & obvio, dum ſolemnioribus diebus feſtivis, præſertim Ss. Patronorum & aliorum, publicè in ſummo Altari, aut etiam alibi ſpectandæ exponuntur, ad eas acceſſu, ſervantur. Præcipuæ ex ijs ſunt: *Capita S. Wenceslai, S. Viti, S. Adalberti, S. Bartholomæi, S. Barnabæ Ap. S. Lucæ, S. Conſtantiæ contboralis S. Sigiſmundi Regis, S. Hilariæ Reg. & M. S. Benedicti M. & Eremitæ*

mitæ è Quinq; fratribus. Pectus & Ubem S. Annæ: Tabula arg. in inaurata, in qua eſt pars de Sudario Domini. Duæ laminæ argenteæ auro circumdatæ; in una, pars de ſudario & panno, quo Chriſtus uſus eſt in ſua Paſſ. & ſepult. in altera, de panno quo erat, præcinctus de Cruce. Tabula deaurata cum Reliquijs Ss. Quinq; Fratrum. Alia argentea cum Reliquijs eorundem. Effigies B. Virginis à S. Luca picta: Effigies Chriſti Domini in Tabula deaurata. Pacificalia aliquot argentea inaurata cum Ss. Reliquijs. Manus Ss. Wenceslai, S. Euphemiæ V. & M. S. Victoris, S. Gereonis. de crinibus Beatiſſimæ Virginis de brachio S. Stephani ProtoM. de brachio S. Laurentij, de brachio S. Lazari, de brachio S. Sebaſtiani, manus unius S. Innoc. Bethlem. de cap. S. Joan. Bapt. de ſanguine S. Wenceslai, de pallio S. Joan. Evang. pollices Ss. Stanislai, Chriſtophori & Quintini in una argentea inaurata theca, & alia; præter lignea Reliquiaria, quæ diverſa ſunt, & ſingulis annis numero augentur; prout animadvertere poſſunt, qui Eccleſiam noſtram frequentant, augebunturque cum Divina Gratia etiam in futurum.

Coronidis hic loco, placeat unum adhuc ſummarium Cathalogum præcipuarum partium Reliquiarum Ss. à me nuper ſingulari ſtudio, per modum Calendarij, concinnatum videre & legere.

SS. RE-

SS. RELIQVIARUM Quæ in S. Metrop. Prag. D. Viti Eccleſiæ piè aſſervantur,

DIARIUM.

ſive

INDEX

Menſem & Diem, in quem illarum veneratio per annum recurrit, oſtendens.

JANUARIUS.

2. *S. Odilonis Abb.* coſta, & pars de brachio vel tibia, allata ex Gallijs per Carolum IV. anno 1365.

3. *S. Genovefæ V.* pars de brachio miſſa Pariſijs Carolo IV. una cum alijs multis Ss. Reliquijs an. 1356. inter quas erat etiam *S. Florentij Ep. & M.* pars de brachio inſignis. *S. Danielis M.* pars de mandibula, allata de Padua per Carolum an 1355.

4. *S Rogerij Conf.* digitus allatus per Carolum ex Italia an. 1370. S. *Gregorij Ep.* Lingonenſ. pars inſignis, miſſa Carolo ex Gallijs an. 1373.

6. *S. Baltazaris Regis* pars occipitis Carolo data à Friderico ArchiEp. Colon. an. 1372. *S. Macræ V. & M.* inſignis pars à Car. allata ex Gall. an. 1365. Item, particulæ de *auro, thure & mirrha*, à tribus Regibus Chriſto JESU oblatis; unde allatæ? non conſtat.

7. *S. Criſpini Ep.* fruſtum notab. magnit. allatum per Car. an. 1355. Ticino ex Italia. *S. Reinoldi Monachi & M.* pars de crure allata ex infer. Germania per Carol. 1372.

8. *S. Erhardi Ep.* Ratisb. Reliquias Carolus Ratisbonæ in Mona-

ſterio inferiori impetravit, & brachio *S. Ottiliæ V.* appoſitas Eccleſiæ Pragenſi donavit: videatur inferiùs dies 13. Decembr.

9. *S. Martianæ V.& M.* pars de brachio allata exThuſcia an.1370. per C.

14. *S. Hilarij Ep.* pars inſignis Carolo allata exGallijs 1356. *S.Pontiani M.* cognomento pretioſi, inſignia duo fruſta allata per C. ex Trajecto ad Moſam, 1372.

15. *S. Macarij Ab.* pars. inſ. allata per VVenceſl.Regem ex Hungaria 1304.

S. Mauri Ab. coſta, quam Carolus à Rege Franciæ Carolo V. ex ipſo Sancti ſepulchro,quod eſt inFoſſiacenſiCœnobio propè Pariſios, levatam an. 1365. obtinuit.

16. *S. Marcelli Papæ & M.* pars inſignis allata per Carol. an. 1355. ex Italia. *S. Priſcillæ V.* fruſtulum de brachio.

17. *S. Antonij Magni* digitus, quem idem Carolus rediens Avenione an. 1365. & ad monaſterium, ubi idem Sanctus requieſcit declinans, magnis precibus impetravit,& pretioſè decoratum Eccleſiæ Prag. donavit: alia inſignis pars, Carolo dono miſſa exVenetijs an.1362.

18. *S. Voluſiani Ep. & M.* pars de brachio allata an. 1372. Aquisgrano.

20. *S. Sebaſtiani M.* de capite magna pars, quam idem Carolus ab Alberto de Sternberg Archi-Epiſcopo Magdeburg & Epiſcopo Litomiſsl. donatam acceperat, an. 1372. *Ita in MS. Martyrologio Eccleſiæ Prag.* Videatur etiamCrantzius inMetropoli ſeu Hiſtoria Eccleſiaſtica Saxoniæ lib. 10. cap. 7. ubi de AlbertoArchiEp.Magdeb.hæc refert: *abiens Albertus nonnullas Eccleſiæ Magdeburg. pretioſas ſecum Reliquias abexit,caput D.Martyris Sebaſtiani, digitum S. Mauritij, & idgenus nonnulla alia.* Item, de brachio ejuſdem magna pars, allata per Car. ex Italia an. 1370.Aliud quoque inſigne fruſtum, allatum ex civitate Sueſſionenſi an. 1373. & pars de junctura cruris.

21. *S. Agnetis V.& M.* aliquot partes, allatæ per VVenceſl. II. Regem ex Hungaria anno 1304. atque iterum aliæ per Carol. exTrajecto ad Moſam an.1372. *S. Meinradi Monachi & M.* pars de brachio ex monaſterio Einſidlenſi inHelvetia an.1365.

22. *S. Vincentij Levitæ & M.* dens allatus per Car. 1375. Item particulæ de oſſibus ejus duæ,una inſtar majoris digiti, quas obtinuit idem Imp. Metis anno 1357. Olim habebat Eccleſia Prag. etiam caput, vel capitis potiorem partem ejuſdemSancti, quam obtinuerat Carolus in monaſt. S. Albani Moguntiæ,& cujus habetur ſuprà frequens mentio, uti pag. 436. etiam

etiam in Martyrol. Prag. & apud Bolandum in Actis Sanctor. ad diem 22. Ian. & hoc fortaſſe eſt, quod modo in Eccleſia Cathedrali VVratislaviæ aſſervatur. Eâdem die
S. Epiphanij Ep. pars allata per C. an. 1370. ex Italia.

23. *S. Macarij M.* pars inſignis inter Carlſtein. unde allata? non conſtat.

24. *S. Timothæi M.* diſcipuli S. Pauli caput allatum per Carol. & inter Ss. Reliqu. Carlſt. reconditum. (videatur in Ordin. 1. ciſt. 5.)

25. *S. Ananiæ*, qui Saulum baptizavit, pars de cap: recondita per me an. 1671. die 7. Octobr. unà cum alijs Ss. Reliquijs, in tumbam S. VVenceslai. Alia pars de capite ejusd. in ſacculo viridis coloris cum alijs multis Ss. Reliquijs colligata.
S. Prajecti Ep. & M. pars inſ.

26. *S. Mari Ep. Trevir.* pars inſ.

27. *S. Joan. Chryſoſtomi Ep.* brachium, & alia adhuc pars inſ. allata per Danielem I. Ep. Prag. ex Italia. *S. Paulæ* fruſtum digito majus.

28. *S. Caroli M. Imp.* pars de crure vel brachio notab. magn. allata per Carol. IV. Aquisgrano, an. 1372. & dens, eidem Carolo dono miſſus Oſnabrugo, eodem an.

29. *S. Valerij Ep. Trevir.* & diſcipuli S. Petri, pars cap. allata per Car. ex monaſt. Erbach. Ord. Ciſterc. Mogunt. Diœc. an. 1357.

30. *S. Aldegundis V.* pars maxillæ cum duobus dentibus candidis, allata per Carol. an. 1372. ex inferiorib. partib. Germaniæ.

31. *S. Geminiani Ep.* brachium allatum per Carol. ex Italia anno 1355.

FEBRUARIUS.

1. *S. Ignatij M.* particulæ ſimul reconditæ in una parva Monſtrantia arg. deaur. Et alia inter Carlſt. inſignis pars. Etiam Caput ejusdem, habebat olim Eccleſia Prag. nunc Romæ in domo Profeſſa Soc. JESU piè aſſervatur.

2. *De cingulo Beatiſſimæ Virginis Mariæ* pars: & alia de alio cingulo, per Carolum allatæ ex Cathedrali Eccleſia Auguſt. an. 1354. Item, *de pectorali ejusd.* pars allata per eund. Carol. Româ an. 1370. Eâdem die *S. Cornelij* centurion. M. quem S. Petrus baptiſaverat, pars de crure: incertum unde allata.

3. *S. Blaſij Ep. & M.* inſigne fruſtum à Meynhardo Epiſcopo Prag. ex Aſia, Hieroſolymis reduce, allatum an. 1131. repoſitum per me in tumbam S. VVenceslai, an. 1671. die 7. Octobr. Item alia

alia duo, notabilis quoque quant. unum ex illis allatum per Carolum Luxemburgo ex monaſt. Munſterienſi Ord. S. Benedicti an. 1358. Item, fruſtula aliquot, in diverſis Reliquiarijs.

5. *S. Agatha V. & M.* partes duæ, una de crure: allatæ per Car. ex civit. Piſana, quæ eſt in Thuſcia, an. 1355.

6. *S. Dorotheæ V. & M.* pars inſignis de cap. à VVenceslao II. Rege ex Hungaria allata an. 1304. & Eccleſiæ Prag. donata: & pars de alio oſſe. Item, dens; unde allatus non conſtat.

S. *Vedaſti Ep.* pars notabilis, allata ex inferiori Germ. per Carol. an. 1372. S. *Amandi Ep. Traject.* pars inſ. allata eod. temp.

7. S. *Richardi Regis* duæ inſignes partes de cap. allatæ ex Italia an. 1355. & aliud inſigne fruſtum allatum quoque ex Italia, civit. Lucâ an. 1370.

8. *S. Theodori Ducis & M.* duæ partes, una de cap. allatæ ad Eccleſ. Prag. per Car. an. 1370.

9. *S. Apolloniæ V. & M.* faſciculus ſacrorum cinerum de corpore ius, & dens; allata ſimul per Carol. an. 1372.

10. *S. Scholaſticæ V.* dens, pars de coſta, & alia minor, Carolo IV. Imp. dono miſſa à Carolo Rege Francor. an. 1377. qui hæc ſacra pignora dono quoque acceperat à Canonicis Eccleſiæ S. Petri Ap. in Urbe Cenomanorum in Gallia. Ita invenio in veteri quodam Inventario SS. Reliquiarum Eccleſ. Prag. facto an. 1454. Item. pars de velo ipſius Romà allata per Car. an. 1370.

13. *S. Caſtoris Conf.* pars de cap. allata Treviris per Carol. an. 1357.

14. *S. Valentini Ep. & M.* brachium à Carolo allatum ex Italia an. 1355. Præterea alia duo fruſtula, quodlibet digito ferè majus, unum ex ijs, videtur eſſe de coſta. Inter Carlſtein. ſunt etiam aliquot inſignes partes, vel de brachijs vel de cruribus.

15. *SS. Fauſtini & Jovitæ MM.* particulæ duæ inſignes, unde allatæ? non conſtat.

16. *S. Julianæ V. & M.* pars inſ. à VVenceslao II. ex Hungaria allata an. 1304. & aliæ duæ paulò minores allatæ ex Italia, per Car. an. 1370.

17. *S. Theodori Tyronis M.* pars inſ. inter Carlſtein.

18. *S. Conſtantiæ Auguſtæ Virg.* filiæ Conſtantini Magni Imp. particula digito major, & de velo ipſius, obtenta, ſicut aliæ multæ S. Reliquiæ per Carol. Romæ, an. 1368.

21. S. *Felicis Ep.* coſta & pars de brachio vel crure, per Carol. allata an. 1372.

22. *Pars inferior baculi S. Petri Apoſt.* in latitudine trium digitorum, quam Carolus in Trevirenſi Eccleſia

claſit an. 1354. obtinuit, & in baculum ſeu pedum ArchiEp. Prag. recondi curavit; impetravitq; ab Innocentio VI. ut in certis Feſtivitatibus, nempe SS. Viti, VVenceslai, Adalberti, Dedicationis ipſius Eccleſiæ, Natalis item Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, quatuor principalioribus B. V. Mariæ, videlicet: Purificat. Annunciat. Aſſumpt. & Nativitatis; S. Petri Apoſt. Omnium Sanctorum, dum eodem baculo ArchiEpiſcopus in Sacris utitur, quicunque ijsdem Sacris intereſſent, haberent Indulgentiam unius anni, & unius quadragenæ perpetuis temporibus duraturam.

23. *S. Celſi Ep.* pars de brachio vel de cruce: & alia minor de cranio, allata per Carol. an. 1372.

24. S. *Matthiæ Ap.* articulus digiti, cum alijs ejusdem Sancti Reliquijs à Carolo Treviris allatis, an. 1354. (videatur diploma præfati Imp. Caroli ſupra pag. 440) Item, medietas brachij allata per eund. Carol. Româ ex Eccleſia S. Mariæ majoris an. 1370. Alia quoque minor pars, & dens.

25.

26. *S. Dionyſij Auguſtani Ep. & M.* fratris B. Hilariæ M. Reginæ Cypri, occiput à Carolo impetratum in monaſt. S. Udalrici Auguſtæ, an. 1353.

27. S. *Juliani M. Alexand.* contra dolores podagræ Tutelaris, particula digito major, allata per Carol. ex Hungaria, an. 1353. Habetur in parva thecula argentea inaurata, in qua, legere eſt litteras quasdam antiquas Græcas, &c.

MARTIUS.

1. *S. Abundantij M.* pars inſignis: unde allata, non conſtat.

2. *S. Simplicij Papæ* pars de tibia, allata per Carolum Tyburo ex Italia an. 1370.

3. *S. Kunegundis Imperat. & Virg.* digitus, & quædam alia pars digito major, allata per Carol. Bambergâ an. 1357.

4. *Ex Ss. Martyribus Romanis numero Nongentis,* qui paſſi ſunt circa an. 260. unius caput, & magna pars corporis, allata, cum alijs Ss. Reliquijs per Car. Româ an. 1370.

6. *S. Fridolini Abb.* duæ partes à Carolo obtentæ in Sekingenſi monaſt. diœceſ. Conſtant an. 1353.

7. *SS. Perpetuæ & Felicitatis MM.* partes inſignes. *S. Thomæ Aquinat.* digitus.

9. *SS. Cyrilli & Metudij PP. & Confeſſ.* duæ partes notabiles.

12. *S. Gregorij Papæ* & Doctoris Eccleſiæ pars magna capitis,

quam ex monaſt. dicto *Petrishauſen*, id eſt, *Petri domus*, in Suburbio Conſtantienſi ad ripam Rheni, Carolus obtinuit an. 1353. Caput illud Sancti, B. Gebhardus II. Epiſcopus Conſtant. Romà attulit, & in honorem ejusdem dictum monaſterium an. 992. ædificavit.

13. *S. Euphraſiæ V.* pars inſ. undeallata, non conſtat.

14. *B. Mechtildis Imperatricis* fruſtum magnum de pallio, & pars de cilicio, allata per Carolum Northuſio an. 1370.

15. *S. Longini M.* pars de brachio, à Carolo obtenta Mantuæ, in monaſterio S. Andreæ Ap. an. 1354 à Laurentio Abbate, præſentibus Ludovico & Franciſco Guidonis Gonzagæ filiis, & Andrea de Goitto Protonotario Apoſtolico, dictorum Dominorum Conſiliario. Item, pars de capite ejusdem, obtenta ibidem; ſed alio tempore. Erat quondam etiam pars de humero, quæ modò non reperitur; fortaſſe illa eſt, quam anno 1587. Rudolphus II. Imp. dono transmiſerat Joanni Borgiæ in Luſitaniam, & quæ nunc piè ſervatur in Domo Profeſſa Soc. JESU. Ulyſſipone.

16. *S. Heriberti Ep.* pars inſignis, de ſpina dorſi, data Carolo à Friderico III Archiep. Colon. an. 1372.

17. *S. Gertrudis V.* d[illegible] fruſt[illegible] per Carol. ex [illegible] Germania an. 1357.

18. *S. Edvardi Regis* pars inſ. de [illegible]bus, & alia de paludamento regio, allata per Carol. an. 1371.

21. *S. Benedicti Abb.* dens, & aliud fruſtum notabile, & de cranio pars inſignis.

24 *S. Pigmenij Presb. & M.* qui erat Magiſter Juliani Apoſtatæ pars capitis, quam Romà attulit Car. an. 1355. *S. Catharinæ V. filiæ* S. Brigittæ, fruſtum inſigne; unde allatum, & per quem? non conſtat.

25. *S. Cirini vel Quirini Regis & M.* pars de crure allata per Carol. ex Bavaria an. 1370.

26. *S. Caſtuli M.* pars de cap. & aliud fruſtum, quod videtur eſſe de crure, vel brachio: quando allata? non conſtat. *S. Ludgeri Ep.* pars inſ. Carolo dono miſſa ex VVeſtphalia, an. [illegible]

27. *S. Ruperti Ep.* inſigne fruſtum, quod Carolus obtinuerat ab ArchiEp. Salisburg. Pilgrino unà cum theca argentea & cryſtallina, an. 1366. Item alia pars minor.

31. S. *Balbinæ V.* pars de coſta, & aliud fruſtũ, allata Romà an. 1370.

APRILIS.

1. *S. Venantij Ep. & M.* fruſtum digito majus allatum ex Italia per Carol. an. 1370.

2. *S. Abundij Ep.* pars inſ. allata per Car. unde? non conſtat.
S. Ambroſij Ep. inſigne fruſtum

Caro-

Carolo dono datum in Inſubris an. 1355.

7. *S. Epiphany Ep. & M.* pars de cr... allata per Carol. ex Thuſcia, anno 1370.

8 *S. Perpetui Ep. Turon.* pars de brachio, per quem allata, non conſtat.

9 *S. Hugonis Ep Rothomag.* digitus allatus per Carol. an. 1372.

12. *S Zenonis Ep.* fruſtum inſ. allatum per Carol. an. 13.. .

14. *St. Tiburty & Valeriani MM.* duæ inſignes partes allatæ Româ per Carol. an. 1370. *S. Proculi* M. dens & particula per eundem allata ex Italia

15. *S. Maronis & Soc. MM* particulæ aliquot, & una inſignis de cap. unde allata? non conſtat.

16. *S. Magni Ducis & M.* pars de humero, allata Aquisgrano an 1372.

17. *S. Achaty Ep.* pars de cap. & aliud inſigne fruſtum de brachio & aliud minus.

18. *S. Sturmy Abbatis Fuld:* pars de brachio vel crure, dono data Carolo à VVilhelmo Archi-Ep. Colon. an. 1361.

21. *S Anſelmi Ep.* pars de ſcapula allata per Carol, ex inferiori Germ. an 1372.

23. *Corpus S. Adalberti Pragenſis Ep. & M.* quod Brzeꝛislaus Dux Bohemiæ an. 1038. Gneſnâ ex Polonia Pragam tranſtulit. Habentur etiam, *Infula* ipſius Pontificalis, *Caſula* punicei coloris auro intertexta, quam perhibent ab Ottone III. Imp. ei fuiſſe dono datam: *annulus inauratus, cruculæ duæ* argentea una, aurea altera cum SS. Reliquijs, *chirotheca* una Pontificalis, & *pecten* eburneus. *S. Gerhardi Ep.* Reliquiæ allatæ ad Eccleſiam Prag. an. 1212. (videatur 21. Decembr.) Item, brachium, quod Carol. donaverat Eccleſiæ Prag. an. 1357.

24. *S. Georgy M.* pars inſignis de ſcapula. allata ex Hungaria per VVenceſl. II. Bohemiæ Regem, & Eccleſiæ Prag donata an. 1304. Item aliud fruſtum minus, & vexillum rubei coloris cum alba cruce. *S. Coronæ* *V.* fruſtum notab. per Carol. ex Italia allatum, an. 1355.

25. *S. Marci Ev.* magna pars corporis. & caput ipſius cum mandibula & uno dente, ex Monaſterio Auge majoris Ord. S. Benedicti Diœceſis Baſilienſ. (quod Cœnobium fundavit & corpus ejusd. Sancti in eo repoſuit Carolus Magnus) allata per Carolum IV an. 1354. Itẽ poſterior pars Libri Evangeliorum S. Marci, quem idem propriâ conſcripſerat manu Latinis literis. Initium ipſius eſt: *Et ſecundus accepit eam, & eſt mortuus*; finis: *prædicârunt ubiq; Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Ultimò majoribus literis additum: *Amen.* Librum hunc Carolus IV. magnis precibus obtinuit à fratre ſuo Nicolao Patriarcha Aquilegienſi,

an. 1355. & auro ac gemmis ornatum donavit Eccleſiæ Prag. Ex quo die feſto Paſchæ, atq; iterum Aſcenſionis Domini, ad Miſſarum ſolennia legitur Evangelium.

26. S. *Clarentij Ep.* pars inf. allata ex Gallijs, an. 1357. *S. Marcellini Papæ & M.* pars inf. de cap.

28. S. *Vitalis M.* patris SS. Gervaſij & Prothaſij MM. fruſta aliquot majora & minora, allata per Carol. Ravenna an. 1355. *S. Valeriæ M.* conjugis S. Vitalis particula de cranio. *S. Adalberti Ep* pars de crure vel brachio allata an. 1372.

29. S. *Petri M.* de ordine Fratrum Prædicatorum, Reliquiæ per Carol. Mediolano allatæ 1355.

30. (vel 30. Martij) S. *Quirini Tribuni M.* pars inf. & alia pars de capite, hæc allata eſt per Carol. ex Germania inferiori an. 1372. Item, articulus digiti duos datus Carolo à VVilhelmo Archi-Ep. Colon. 1361. Norimbergæ &c.

MAJUS.

1. S. *Philippi Ap.* caput & brachium allata ex Italia per Carol. an. 1355. Item duo fruſtula oſſium allata de Treviri per eund. an. 1354.

S. *Jacobi Ap.* pulveres & fruſtula in unum colligata, & in ſpeciali theca arg. deaur. recondita, in notab. quant. Item alia duo fruſta: & unum matris ejus Mariæ. Reliquiæ *S. Hieremiæ Proph.* intra cryſtallum ejuſdem theculæ argenteæ inauratæ. Item *S. VValpurgæ V.* pars inf. de granio allata ex Gall.

2. S. *Sigismundi Regis Burgundiæ* corpus, quod idem Carolus Avenione redux an. 1365. & in monaſt. Agaunenſe diœc. Sedun. ubi in Eccleſia S. Mauritij idem Sanctus à multis annis, miraculis coruſcando requieſcebat, divertens, magnis precibus & muneribus impetravit, & inde in Eccleſiam Prag. tranſtulit, quod factum die feſto S. Augustini [illegible] anno ſupra nominato. Depositum in Vigil. S. VVenceslai devotè & honorificè fuit in ſacello, in quo hodieq; requieſcit, depoſitum.

3. S. *Crucis* aliquot fruſta & inter alia, duo ſatis magna, unum cum foramine, quod clavus tranſivit, & illud obtinuit Carolus Treviris an. 1354. Quod ipſe in literis Donationis fatetur hiſce: *damus & donamus eidem Pragenſi Eccleſiæ, Imprimis partem tertiam de ligno Dominicæ Crucis, quod manu propriâ præcidimus; quidem Vivificæ & ſanctæ Crucis lignum Beatiſſima Helena Mater Imperatoris Conſtantini, ſe Hieroſalem ad Trevirenſem re[illegible]*

[illegible]

Ch tem ſecum attulit, ubi illa ro tunc habitationem & domicilium habuit, & ubi Natalis ſui originem duxerat, ab Deomundo Burſto, & paucis de Capitulo dictæ Trevirenſis Eccleſiæ clandeſtinè & ſecretè habimus & obtentum &c. Hoc tam inſigne SS. Crucis fruſtum modò aureæ majoriCruci eſtincluſum, & in Feſto Lanceæ Domini, ſiveFeriâ VI. poſt Dominicam in Albis, unà cum alijs *Dominicam* Paſſionem concernentibus Sacris Cimelijs, publicè populo ſpectandum proponitur.

Alterum accepit Carolus in Monaſterio ParyſenſiOrd.Ciſterc, Baſil. Diœc. de quo idem Carol. in lit. adArneſtumArchi-Ep. & Capitulum Prag. datis. an. 1354. refert iſta: *Hinc eſt, quod lignum Vivificæ Crucis pretioſum, partem illam videlicet, quam Inclyta Imperatrix B.Helena, quæ ſuperno munere almæ Crucis, qua mundi tulit pretium, inventrix eſſe promeruerit, thecis ſive laminis aureis, miro quodam opere expolitis reconditam, Conſtantinopolim quondam legitur attuliſſe: quámq; proceſſu temporis religioſus quidam Martinus Abbas de Parys Ord. Ciſterc. in Alſatia, tunc Apoſtolicæ* Sedis *legatus, vir, ut fertur, vita & religionis mirificæ, ad idem Monaſterium apportavit, prout clari ſuper hoc teſtimonij datæ noſtræ Celſitudinis litteræ atteſtantur, in ipſo Monaſterio, nobis donatam, una cum prædictis thecis ſive laminis aureis, Veſtris Devotionibus, per honorabilem Jenczonem Præpoſitum Eccleſiæ* S. *Crucis VVratiſlav. Canonicum veſtrum, Capellanum & devotum noſtrum dilectum, pro perpetuo decore & honore dictæ Prag. Eccleſiæ, ac ſpirituali veſtro, & aliorum Regnicolarum Bohemiæ ſolatio, deſtinamus. Hanc igitur &c.*

Alia minora fruſtula in diverſis Reliquiarijs, ſeu thecis argenteis inauratis recondita, numerantur quatuor. Sunt & alia plura Chriſti Domini ejúſque SS. Paſſionis Cimelia; uti pars *de clavo*, duò *aculei de ſpinea Corona*, pars *ſpongiæ*, diverſæ partes de *Sudario ejus* & *de tunica*: pars *mappæ* quæ adhibita erat in ultima CœnaDomini, pars *menſæ* ejuſd. &c. ſed quia jam ſuperiùs enumerata ſunt, ab ijs hic denuò recenſendis ſuperſedendum duxi.

4. S. *Antonina V. & M.* pars cap. allata per Carol. ex Italia, cum multis alijs Ss. Rel. an. 1355.

S. Floriani M. inſigne fruſtum Aquisgrano allatum ad Eccleſiam Pragen. an. 1372. per Carolum.

S. Gotthardi Ep. duæ partes notab. magnit.

6. *S. Joan. Ap. & Evang.* pars tunicæ, in qua ipſe tres mortuos reſuſcitavit, donata Eccleſiæ Prag. à Carolo.

7. *S. Domitillæ V. & M.* de capite aliquot fruſta allata per Car. Romá an. 1370.

8. *S. Stanislai Ep. & M.* duo inſ. fruſta, Cracoviá allata Pragam, ſub Nicolao Epiſcopo Prag. an. 1253. cum proceſſione ſolenni: ita MS. Anon. coævus Canonicus Prag. Item, dens Carolo donatus Krakoviæ à Cazimiro III. Rege Polon. an. 1363. & digitus.

10. *SS. Gordiani & Epimachi MM.* fruſta quatuor, allata per Carol. ex monaſt. Campid. Ord. S. Bened. Diœc. Conſtant. an. 1354.

Item *S. Palmatij M.* Romani, pars brachij, quod attulerat Carolus Romá an. 1355.

Item *S. Chriſtinæ V. & M.* Panormit. pars de coſta, & alia de alio oſſe.

11. *S. Gangulphi M.* pars inſ. de humero: & de lorica ejus.

12. *S. Pancratij M.* digitus, coſta, & aliæ duæ inſ. partes: per quem, & quando allatæ, non conſtat.

13. *S. Alexandri M.* fruſtum digito majus, allatum ad Eccleſ. Prag. ſub VVenceslao II. Rege circa an. 1303.

S. Servatij Tungrenſ. Ep. pars de cap. à Traject. Capitulo donata Carolo, cùm ibidem eſſet an. 1372. Pro quæ exornanda, Illuſtriſſimus D. D. Servacius Baro de Englſtus, Sanctiſſimi Sepulchri D. N. Eques, Dominus in Mniſſek, pro ſua eximia erga S. Patronum ſuum pietate, dum hæc ſcribo, argenteam ſtatuam [illegible] curat.

14. *S. Bonifacij M.* pars inſign. allata Romá an. 13[illegible]0.

S. Victoris M. caput per Carolum Feltrio ex Italia allatum an. 1355. & brachium.

Eádem die *S. Coronæ M.* [illegible] rat Socia paſſionis ipſius, [illegible] lio nomine *Stephanæ* [illegible] cujus reliquiæ, ſicut etiam S. Victoris ſunt in tumba D. Viti repoſitæ: ita in *Martyrol. Prag.*

15. *S. Dymphnæ V. & M.* pars inſ. quam attulit Carol. ex Inſer. Germ. an. 1372.

16. *S. Peregrini Ep. & M.* pars inſign. allata ex Gallijs an. [illegible]

19. *S. Potentianæ V.* brachium allatum ab immemorabili tempore.

S. Cyrilli Ep. pars inſ. allata per Car. de Treviri an. [illegible]

20. *S. Maximini Ep. Trevir. & M.* pars de brachio vel de cranio, allata de Treviri an. [illegible] circ.

21. *S. Conſtantini Magni Imp.* pars inſ. de minore oſſe brachij: unde allatum, non conſtat.

22. *S. Caſti M.* pars inſ. allata ex Inſer. Germ. an. 137[illegible]

25. *S. Urbani Papæ & M.* [illegible] corporis magna [illegible] Carolus IV. obtinuit [illegible] naſt. Monialium S. Bened. [illegible] Ersheim Argentin. Diœc. an. 1353. Mandibula ſuperior cum tribus adhuc dentibus, adhæret ſacro Capiti.

S. Ma-

29 S. *Maximini Ep. & Conf.* inſigne fruſtum de brachio vel de crure; & aliud minus, allata per Carol. an. 1371. Item, pars de baculo ipſius.

JUNIUS.

2. S. *Eraſmi Ep. & M.* de brachio pars inſ. allata per Carol. an. 1370. ex Italia & alia minor.
Ss. Marcellini presb. & Petri exorc. MM. particulæ ſimul in faſcia ſericea rubri coloris colligatæ: unde allatæ, non conſtat.
3. S. *Iſaac M.* pars inſ. de brachio vel crure allata per Car. ex Italia, an. 1370.
5. S. *Bonifacy Ep & M.* & Soc. MM. aliquot partes; una ex illis major allata ex infer. Germ. per Carol. 1371.
6. S. *Paulinæ V. & M.* pars de cap. allata 1370.
8. S. *Medardi Ep.* brachium Carolo ex Gallia dono allatum, an. 1356. quod ille donavit Eccleſiæ Prag.
S. *Maximini unius* ex 72. diſcipulis Domini, cognati S. *Mariæ Magdalenæ*, & primi Aquenſis in Galliæ Provincia Epiſcopi, fruſtulâ & cineres ſimul colligati: allati Pragam an. 1373.
11. S. *Barnabæ Apoſt.* inſignis pars de capite, allata per Carol. ex Italia an. 1370. Item, particula oſſis in quantitate parvi digiti.
Ss. Felicis & Fortunati MM. duæ partes, allatæ per eund. an. eod.
12. S. *Onuphry Conf.* digitus.
S. *AdulphiConf.* pars inſign. allata per Carol. an. 1372.
14 S. *Baſily Magni* caput integrum per Carolum allatum, & inter Ss. Reliquias Carlſteinenſes repoſitum (videatur in Ordine I. ciſt. 6.)
Ss. Rufini & Valery MM. duæ partes allatæ Carolo ex Gallia 1370.
15. *Brachium* S. *Viti*, D. VVenceslaus ab Henrico I. Imp. Merſburgi dono datum attulit, anno 935. die 24. Aug. uti legimus in Martyrologio Eccleſiæ Prag. Caput & reliquum Corpus Carolus IV. Ticini ſeu Papiæ, in Lombardia obtinuit an. 1355. Pragámque allatum in tumba marmorea poſt altare majus condidit. Caput verò auro & argento decoravit.
Inter Carlſtein. eſt etiam ſpecialis pars de brachio, os integrum. Item S. *Modeſti* M. & S. *Creſcentiæ.*
16. SS. *Aurei Epiſcopi Mogunt. & M. & Sororis ejus* S. *Juſtinæ V. &* M. illius pars brachij, hujus magna pars capitis, allata per Carol

Carol. Moguntiâ ex monaſt. S. Albani an. 1354.

18. *S. Leontÿ M.* pars inſ. allata ex Gall. an. 1373.

Ss. Marci & Marcellini Fratrum MM. partes duæ: una de tibia, altera de capite, unde allatæ? non conſtat.

19. *Ss. Gervaſÿ & Protaſÿ* duæ inſignes partes Mediolano per Car. allatæ an. 1355. Aliæ duæ partes per eund. Aquisgrano allatæ an. 1371. una pars de brachio *S. Protaſÿ.*

20. *S. Sylvery Papæ M.*

21. *S. Albani* M. magna pars corporis, allata per Carolum Moguntiâ ex Monaſterio ejusdem S. an. 1354.

22. *Ss. Decem Millibus MM.* crucifixorum, unum caput, & fruſtula aliquot in ſacculo colligata: & duæ partes inſ.

Item, Reliquiarium unum ligneum inauratum, plenum eorundem oſſibus notabilis quant. Aliud quoque ligneum cum vitro, plenum eorundem Ss Reliquijs.

Item, inter Carlſteinenſes diverſæ partes. inter alias, de mandibula.

24. *S. Joannis Baptiſtæ* de cap. particulæ tres, quas Hynko ſeu Henricus ejus nominis I. Epiſcopus Olomuc. regij ſanguinis princeps, Romæ dono acceperat an. 1146. cryſtallo inſerta argenteam thecam deaur. incluſas: Item, fruſtula alia tria in faſciculo ſericeo colligata ex Italia per Carolum allata an. 1355. Et alia particula de capite ejus, allata per Carol. ex Italia an. 1370.

26. *Ss. Joannis & Pauli* MM. duo notabilis magnitudinis oſſa, Româ per Carol. allata, anno ut ſupra. Aliæ item minores partes duæ, allatæ Mediolano per Danielem de Lippa Ep. Prag. an. 1159. & à me nuper inventæ, inter alia Eccleſiæ noſtræ cimmelia, in grandiori quondam, ut vocamus, Reliquiario, reconditæ.

S. *Conſtantiæ V.* pars de cap allata per Car. an. 1370.

28. S. *Irenæi Ep. & M.* fruſtum inſigne de ſcapula, allatum Carolo ex Gallijs. (incertum quo anno) aliud digito majus.

29. S. *Petri Apoſt.* duæ inſignes partes de oſſibus ejusd. una per Carol. Româ allata, an. 1368. de alterius allatione non conſtat. Item pars barbæ ejusd. pars de pallio: & inter Carlſteinenſes pars inſ. de mandibula, & aliæ plures particulæ.

30 S. *Pauli Apoſt.* de brachio inſignis pars; & alia particula digito major per Carolum Româ allata; ſicut etiam pars baculi ejusd. quam idêm Imp. in Monaſterio S. Pauli Romæ dono accepit, & baculo ſeu paſtorali ArchiEpiſcopi Prag. incluſit. *cum quo baculo* (ita habet Martyrologium Eccleſiæ Prag.) *Officiante ArchiEpiſcopo Prag. ſolet ſibi Subdiaconus concelebrare.*

JU-

JULIUS.

4. S. *Procopij Abb.* Patroni Regni brachium, quod tamen jam pridem tranſierat ad Eccleſiam Omnium Sanctorum in eodem Caſtro Prag in qua ejuſdem Sancti Corpus ex monaſterio Sazavienſi translatum & anno 1588. Dominicâ *Exaudi* in dicta Eccleſia repoſitum honorificè requieſcit. Aliquid de brachio invenitur inter Carlſtein. Ss. Reliqu. Eſt quoque pars inferior de baculo ipſius.

S. *Udalrici Ep.* Auguſtani pars capitis, & brachium à Carolo in monaſterio ejusdem Sancti Ord. S. Bened. Auguſtæ impetrata, an. 1353. Item vexillum ejusdem, ibidem obtentum: & particulæ de ſarcophago, ſtola, cingulo, caſula, humerali, dalmatica, mitra, tunica, ſandalijs, quibus in ſacris utebatur.

5. S. *Zoæ Martyris* uxoris Nycoſtrati, pars inſ.

6. S. *Goaris Confeſſ.* pars de cap. & aliud fruſtum allatum per Carol. 1372.

7. S. *VVilibaldi Ep.* pars notab. & altera paulo minor de ſpina dorſi.

8. S. *Kiliani* M. duo notab. magn. oſſa de brachio, allata per Carol. Norimbergâ an. 1370. & tertium de ſcapula. Item alia duo minora.

9. S. *Agilolphi Ep.* & M. pars de brachio vel crure, dono data Carolo an. 1361. à VVilhelm. ArchiEp. Colon.

10. de Ss. *Septem Fratribus* MM. brachium.

11. S. *Pij Papæ* & M. pars de crure allata an. 1370.

12. Ss. *Naboris & Felicis* MM. Reliquiæ à VVladislao Rege Mediolano allatæ an. 1159. Aliæ item partes per Car. ex Italia allatæ 1370.

S. *Hermagoræ Ep. & M.* qui erat diſcipulus S. Marci Evang. brachium Aquilejæ obtentum à Carolo an. 1355. & pars de ſcapula; & alia adhuc inſignis inter Carlſtein.

13. (*in Rom.* 20) S. *Margaretæ V. & M.* brachium, dens, & duo fruſta de capite, ex Hungaria à Bela IV. Rege dono miſſa Regi Bohemiæ Ottocaro, an. 1262.

14. S. *Henrici II. Imp.* fruſtula aliquot in faſciculo colligata, allata Bambergâ an. 1372.

17. S. *Alexij Confeſſ.* particulæ duæ, una de coſta allata Româ per Carol. an. 1370.

18. S. *Arnulphi Ep.* pars magna corporis obtenta à Carolo Metis, an. 1356.

S. *Symphoroſæ* & filiorum ejus MM. aliquot inſignes partes obtentæ à Carolo in Italia an. 1355.

21. S. *Praxedis V. & M.* coſta, & aliud inſigne os, allata per Car. ex Italia an. 1370.

22. *S. Mariæ Magd.* pars de cap. & alia fruſtula oſſium, ſicut etiam de crinibus ejusdem, obtenta à Carolo Arelati in Gallia. Ita habet Martyrol. Eccleſiæ Prag. Item pars de brachio allata per eund. 1370.

23. *S. Apollinaris Ep. & M* duæ inſignes partes, una ex illis per Carolum allata an. 1355.

24 *S. Chriſtinæ V. & M.* pars de brachio vel tibia, allata per Carolum ex Italia 1355. & pars de coſta.

25. *S. Jacobi Ap.* dens, & duo fruſtula allata ad Eccl. Prag. an. 1212 (videatur 21. Decemb.)

S. Chriſtophori M. pars inſ. de brachio; & aliæ minores quatuor (inter quas eſt articulus digiti) in diverſis Reliquiarijs. Item dens, & pars magna de junctura Cruris, & pollex inter Carlſtein.

26. *S. Annæ digitus* cum carne, quem Carolus impetravit Romæ in Monaſterio S. Pauli, anno 1355 Et ubera ejusdem, quæ obtinuerat à Ludovico I. Rege Hungariæ anno 1371.

27 *S. Pantaleonis M.* duæ notabiles partes allatæ Colonia per Carol. an. 1357. Aliæ inſuper particulæ multæ ſimul colligatæ in viridi ſacculo.

28. *Ss. Nazarij & Celſi MM.* duæ inſ. partes à VVladislao Rege anno 1159. Mediolano allatæ. Item, S. *Nazarij* alia pars quoq; inſi. allata per Carol. an. 1370.

S. Auguſtæ V. pars inſ. de cap.

29 S. *Marthæ V.* os notab. magnit. Carolo ex Marſilia dono tranſmiſſum, an. 1356.

AUGUSTUS.

1. De catena *S. Petri Apoſtoli.*

S. Juſtini M. *Antiſiod.* coſta, & alia duo fruſta Carolo Imp. ex monaſterjo Corbejenſi dono miſſa an. 1375. de quibus ſupra pag. 476.

S. ſpei V. pars de cranio: unde allata, non conſtat.

2. *S. Stephani Papæ & M.* inſigne fruſtum per Carol. Romà, an. 1370. allatum.

5. *S. Afræ* M. plurima fruſta de cranio, & alijs oſſibus ſemicombuſta, in ſacculo ſericeo rubeo colligata. Pars quoque de peplo ejus.

129

7. *S. Oswaldi Regis* pars inſignis allata per Carol. an. 1372.

6. *S. Sixti ſeu Xiſti* pars capitis cum cute, quam obtinuit Carol. in monaſt. Stabulenſi Diœc. Leodienſis. Alia particula ejusdem, quam idem obtinuerat in monaſt. Monialium in Ersheim Argentin. Diœc. an. 1353. Item, fruſtula alia in diverſis Reliquiarijs.

in Boh.

9. *Ss. Feliciſſimi & Agapiti* MM. duo notabilia fruſta, Romà per Carol. allata an. 1355. Alia item particula de capite S. *Feliciſſimi.*

S. D.

7. S. *Donati Ep.* & M. pars inſ. ex Hungariæ per VVenceslaum II. Regem allata 1304. Item, crus integrum: unde allatum, non conſtat.

8. Ss. *Cyriaci, Largi* & *Smaragdi* MM. partes inſignes allatæ Româ per Carol. an. 1355.

9. S. *Romani* M. qui baptiſatus erat à S. Laurentio, caput, quod aquiſiverat Carolus Lucæ in Thuſcia an. 1369. ubi pertotam ferè hyemem commorabatur.

10. S. *Laurentij* M. brachium à Carolo obtentum Romæ in Monaſterio ipſius Sancti extra Urbem, in quo ante, & poſt coronationem ſuam hoſpitium ſibi delegerat, an. 1355. Item, pars alia minor.

11. S. *Suſannæ V.* & M. Romanæ pars de cap. & aliud fruſtum inſ. allata per Car. Româ 1370.

S. *Tiburtij* M. allatum per eund. 1355.

12. S. *Hilariæ* M. Reginæ Cypri matris S. Affræ M. anterior pars capitis, quam obtinuerat Carolus Auguſtæ Vindelic. in monaſt. S. Udalrici an. 1353. Idem Imp. in eodem capite recondidit etiam reliquias. S. *Narciſſi Ep.* & M. qui B. Affram convertit ad fidem: de quo inferiùs ad 29. Octobr.

Eadem die S. *Dignæ* M. filiæ ejusdem S. Hilariæ, partes aliquot.

S. *Claræ V.* cujus digitum in monſtrantia, quem ac[?]uiſiverat a matre ſua Eliſabetha, Carolus donavit Eccleſiæ Prag. Item, pars de peplo ejus, & de pallio.

13. S. *Hippolyti* M. duo oſſa notab. quant. allata per Carol. 1370.

14. S. *Demetrij* M. duo inſ. fruſta allata per VVencesl. III. Regem ex Hung. 1304.

Item S. *Fortunatæ V.* & M. medietas corporis, unà cum oſſibus *Carponij, Priſciani* & *Evagriſti* MM. qui erant ejusdem Sanctæ fratres; allata per Carol. ex monaſt. majoris Auge Ord. S. Bened. 1354.

15. *Beatiſſimæ Virginis Mariæ duplex Peplum*, alterum cruentatum Chriſti ſanguine, incluſum pyxidi cryſtallinę argento circumdatæ; alterum non cruentatum albo panne inſutum, quod Carolus Imp. obtinuit an. 1354. Treviris, in monaſt. S. Maximini, ubi illud B. Helena de Hieroſolymis allatum recondidit. *Idem Imperator glorioſiſſimus impetravit a Sede Apoſtolica, anno 1368. ab Vrbano V. ut quando ipſum peplum de ſeptennio in ſeptennium oſtenditur, ſingulis diebus oſtenſionis ſint Indulgentiæ trium annorum & trium quadragenarum.* Ita habet Martyrolog.

Aliud adhuc peplum ejusdem Intemeratæ Virginis, habet Eccleſia Prag. ſatis longum, ſubtile admodùm & candidum, incluſum quoque novæ pyxidi cryſtallinæ; quam fieri curaverat modernus Supremus Regni

gni Burgravius, Excellentiſſimus DD. Bernardus Ignatius Comes à Martinicz. Item, *Crines Beatiſſimæ Virginis* allati per Carol. Aquisgrano 1372. *palma* argentea inaurata, in qua incluſa eſt pars palmæ, quam S. Joannes Evang. deferebat, dum funus perageretur Beatiſſimæ Virginis Mariæ ad ſepulchrum.

16. S. *Arnulphi Ep.* occiput, & alia duo fruſta à Carolo obtenta in monaſt. ejusd. Sancti, Ord. S. Bened. extra muros civit. Metenſis 1356.

S. *Rochi Confeſſ.* pars quoque inſ. allata ex Gallijs.

18. S. *Agapiti* M. duo inſ. fruſta de cap. allata ex Italia 1355.

S. *Helenæ* pars quoque inſ. allata Aquisgrano, an. 1373.

19. S. *Magni* M. pars de crure notab.

S. *Sebaldi Conf.* coſta & aliæ duæ partes, allatæ per Carol. Nornbergâ 1361.

S. *July* M. pars inſ. allata per Carol. Româ 1370.

20 S. *Stephani Regis* Hung. pars inſ. Et Pectorale ejusdem ſive Reliquiarium, quod ille de collo pendulum geſtare ſolebat, in quo recondita ſunt: particula de *Ligno Domini*, & digitus S. *Stephani Proto*M. Carolus IV. illud obtinuit à Ludovico Rege Hung. an. 1353. ac pretioſiſſimis lapidibus exornatum, toto vitæ ſuæ tempore portavit; hodiéque illud devotiſſimè veneramur.

21. S. *Anaſtaſij* M. pars digito majori unde allata, non conſtat.

22. S. *Timothei* M. pars notab. allata per Carol. Româ an. 1355. vel 1369. uti innuit quoddam Inventarium Reliquiarum.

24 S. *Bartholomæi Ap.* ſuperior pars cap. & pars mandibulæ; Item ſeorſim in pixide argentea inaurata dens: & alia tria ſatis magna oſſa: unum de crure vel brachio inter Carlſt. quæ omnia obtinuit Carolus IV. in monaſterio S. Gebhardi Conſtantiæ: ita refert Martyrol. Eccl. Prag.

25. S. *Ludovici Regis* dens atque digitus, allati ex Gallia & Carolo dono dati 1355.

S. *Geneſij* M. pars inſ. unde allata, non conſtat.

27. S. *Gebhardi Ep.* pars inſ. allata per Carol. ex monaſt. Petershauſen, quod eſt in civit. Conſtant. 1353.

S. *Ruffi* M. qui erat diſcipulus S. Apollinaris, fruſtum inſ. allatum per Carol. 1355.

28. S. *Auguſt. Ep.* fruſtum inſ. per VVenceſl. II. Regem ex Hungaria allatum an. 1304. Aliæ item duæ partes per Car. 1355.

S. *Hermetis* M. brachium, quod obtinuit Carolus Aquisgrani apud S. Adalbertum, an. 1357. Item pars capitis, & duo fruſtula, quodlibet eorum digito majus.

S. *Pelagij* M. ſcapula, & alia oſſium fruſta, Conſtantiâ allata per Carolum 1353.

30. Ss. *Felicis & Adaucti* duo brachia & fruſta pariter duo de capitibus illorum; quæ Carolus ex Italia attulit 1370.

S. Gaudentiæ V. fruſtum inſigne.

SEPTEMBER.

1. *S. Ægidij Abb.* pars de brachio ex Gallijs allata an. 1356. & alia duo fruſtula.

3. *S. Manſueti Tullenſis Ep.* pars de brachio, & de caſula ipſius glauci coloris allata per Carol. an. 1357.

4. *Particula de Virga Moyſis Proph.* & alia de virga Aaron; alia de rubo Moyſis.

5. *S. Victorini Ep. & M.* brachium Carolo dono datum ab Alberto de Sternberg. ArchiEp. Magdeburg. & Epiſc. Litomisl. 1373.

7. *S. Reginæ V. & M.* pars de cap. allata ex Gall.

8. *Nativitas Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, cujus imaginem cum tabula auro incruſtata, continente Reliquias de præſepi, & de faſcia & pannis, quibus Dominus & Salvator noſter in cunabulis involutus & circumdatus extitit, & quæ Invictiſſimus Princeps Carolus IV. Romanorum Imp. &c. partim in monaſt. Campid. Diœc. Auguſt. à Carolo Magno ibi depoſita; partim in monaſt. S. Albani Moguntiæ ſimiliter à Carolo Magno ibi recondita, obtinuerat an. 1353. Eccleſiæ Prag. donavit.

Alia item ejusdem Glorioſiſſimæ Virginis imago picta à S. Luca Evang. Carolo IV. ab Urbano V. an. 1368. donata.

S. Corbiniani Ep. pars notabilis de cap. ab Eliſabetha Regina quæ erat mater Caroli IV. Pragenſi Eccleſiæ donata an. 1328.

S. Adriani M. pars inſ. de brachio allata per Danielem ejus nominis I. Ep. Prag. ex Italia an. 1160.

9. *S. Cunegundis V.* pars de cap. & brachio.

14. *S. Materni Ep.* qui erat diſcipulus S. Petri Ap. de brachio fruſtum inſigne, allatum 1357. Aliud Aquisgrano per Carol. allatum 1372. Item crucula ipſius pectoralis ex metallo.

16. *S. Ludmillæ M.* aviæ S. VVenceslai brachium, & duæ minores partes. Corpus requieſcit in Eccleſia S. Georgij M. in eodem caſtro Prag. à S. VVenceslao illuc, an. 929. die 10. Novembr. translatum.

S. Euphemiæ V. & M. brachium integrum cum cute, & articulis omnibus. Item, pars de cap. & aliæ plures.

S. Geminiani M. brachium, quod obtinuerat Carol in civit. Mutina Ravenn. Provinc. 1355.

17. *S. Lamberti Ep. & M.* duo inſ. fruſta, allata per Carol. 1357.

19. *S. January M. Epiſcopi* Beneventani, & duorum Socior. MM medietas corporum, obtenta à Carolo in monaſt. Augæ majoris Ord. S. Bened. 1353.

20. *S. Euſtachy & Sociorũ MM.* partes aliquot, una præ cæteris inſignis, allatæ per Carol. 1370.

21. *S. Matthæi Ap. & Ev.* pes integer, & brachiũ cum pelle: coſta argento circumdata, & dens. Itẽ, alia quatuor oſſa ſimul in argentea theca compoſita: alia iterum notabilis pars.

22. *S. Mauritÿ Ducis & M.* brachium, pars de tibia, & gladius, allata per VVladislaum II. Regem Mediolano, an. 1156. Item Caput unius S. Martyris ex Thebæis: & fruſtum notabile de ſpina dorſi. Item, aliæ duæ inſignes partes allatæ an. 1311. (videatur dies 21. Decemb.)

Eâdem die *S. Emmerammi M.* & Pontif. pars inſignis,

S. Candidi M. de eadem Soc. brachium. Item, caput integrum unius M. & diverſa fruſta quam plurima MM ex eadem Thebæor. Soc.

S. Salibariæ, ſeu Salabergæ V. inſigne fruſtum.

23. *S. Thecla V. & M.* ſacri cineres in faſciculo parvo rubei coloris colligati.

24. *S. Maluſÿ M.* de legione Thebæorum caput per Carol. allatum Bonnâ Coloniens. Diœceſis 1358.

S. Gerhardi Ep. & M. duo notab. magn. oſſa ex Hung. allata 1304.

25. *S. Firmini Ep. & M.* par, de tibia allata ex Gallia 1373.

27. *SS. Coſmæ & Damiani MM.* fruſta duo majora; & alia tria minora, de capitibus illorum, allata per Carol. 1353. ex partibus Germaniæ. Item aliæ tres inſignes partes oſſium, duæ Carolo miſſæ Bremâ ab ArchiEpiſcopo Alberto, qui erat ex ducibus Brunſvicenſibus, an. 1373. tertia unde allata? non conſtat.

28. *S. VVenceslai Bohemiæ Ducis & Martyris* Corpus Boleslaviâ in Eccleſiam Prag. translatum an. 942. Habetur etiam, *gladius* ipſius, in vagina ex holoſerico rubeo reconditus, quo Reges Bohemiæ, in ſolennitatibus coronationis ſuæ, delectos aliquot viros Illuſtres, ter in brachium ſiniſtrum percutiendo leniter, auratæ militiæ Equites creare ſolent. Item *caſula* ſeu *planeta*, ex paludamento quondam ipſius facta, *galea*, *loricæ duæ partes*, una eſt inter Carlſteinenſes, *Scyphus ligneus*, *pars pally*, *cingulum*, *collare*, & quædam alia.

29. *S. Cyriaci Ep. presbyt.* pars digito major allata per Carol. an. 1370.

30. *S. Hieronymi Eccleſiæ Doctor*, digitus, & pars de veſtimento, per quem allata? non conſtat. Item aliud inſigne fruſtum.

S. Otho-

S. *Othonis Ep. Bamberg.* fruſta duo ſatis magna, unum ex his allatum per Carol. 1377.

S. *Sophia* Vid. pars de brachio vel crure.

OCTOBER.

1. S. *Remigij M.* pars notab. Carolo miſſa ex Gallijs an. 1356. & alia minor.

S. *Nicetij Ep.* pars quoque inſ. allata per Carol. 1372.

2. S. *Leodegarij Ep. & M.* caput allatum per Carol. ex monaſt. Gerbil diœc. Baſil. 1365.

3. S. *Candidi M.* pars de brachio allata Româ, 1370.

4. S. *Quintini M.* brachium Carolo ex Gallia miſſum 1357.

S. *Aurea V.* dens, & pars alia inſ. inde quoque, & eidem eodémque anno miſſa.

S. *Thyrſi* M. pars de occip. allata per Carol. ex infer. Germ.

5. S. *Palmatij Trevirenſ.* M. brachium & pars cap. cujus corpus attulit Carol IV. Treviri, & haſce partes donavit Eccleſiæ Prag. reliquum in templo honori ejus Sancti M. dicato Carlſteinæ repoſuit, ubi hodiéque aſſervatur.

7. SS. *Sergij & Bacchi MM* medietas Corpor. obtenta à Car. in monaſt. VVeiſſemburg. Spirenſ. Diœc. 1353.

S. *Helani Conf.* pars inſ. allata ex Gallijs.

S. *Juſtina V. & M.* potior pars corpor. allata per Carol. ex Italia 1355. Item, pars anterior capitis, & mandibula cum quatuor dentibus, obtenta Moguntiæ an 1353.

8. S. *Suſanna V.* digitus allatus per Car. 1377. & aliud inſigne fruſtum ex ſcapula.

S. *Brigitta Vid.* partes duæ, una de coſta.

9. *Sanctiſſimi Patriarchæ Abrahæ* reliquias, cum SS. *Iſaac & Jacob Patriarcharum* reliquijs obtinuit Carolus ab Imperatore Conſtantinop. & decoratas auro & argento in forma parvæ tabellæ, donavit Eccleſiæ Prag. ita Martyrologium ejuſdem Eccleſiæ.

S. *Dionyſij Areopagita* brachium, quod obtinuit Carol. Pariſijs ſibi miſſum an. 1356. & ſimiliter ſicut alia donavit Eccleſiæ Prag. Item, dens.

10. SS. *Gereonis, Victoris, Caſſij & Florentij MM.* de legione Thebæorum brachia, allata Bonnâ ad Rhenum Colonienſ. Diœc. an. 1358. Item S. *Florentij* caput, & S. *Gereonis* magnum os de crure, & coſta, & aliorum SS. de eadem Societ. plurimæ partes, inter Carlſtein. Item S. *Caſſij* aliæ duæ partes, una de crure.

11. S. *Maximiliani Laureac. Ep. & M.* pars de humero, dono miſſa Carolo ab Epiſc: Paſſav. 1370.

S. Ca-

13. *S. Colomanni M.* pars inſ. unde allata? non conſtat.

14 *S. Calixti Papæ & M:* pars inſ. de cap. allata per Carol. 1355 erat quondam etiam potior pars corporis ejusdem, quam Anna Imperatrix Matthiæ Conjunx in Tyrolim tranſtulit.

S. Burchardi Ep. Herbipol. brachium allatum à Carolo ex Eccleſia Herbipol. 1357. Item, mandibula cum duobus dentibus, duo digiti, & pars de capite, pars de humero.

15. *S. Hedvigis* partes aliquot notab. quant:

S. Fortunati M. pars inſ. allata ex Italia 1355. & aliæ duæ paulo minores allatæ an. 1370.

S. Oſwaldi Ep. dens, & pars alia inſ. per Carol. allata Aquisgrano 1372.

16 *S. Galli Abb.* major pars cap. brachium & coſta, allata per Carol. ex monaſt. S. Galli Diœceſ. Conſtant. an. 1354. Caput argento & auro circumdatum donaverat idem Imp. Eccleſiæ Parochiali S. Galli in Veteri civit. quod tempore hæreſeos amiſſum eſt: brachium & coſtam dederat Eccleſiæ Prag. quæ hodiéq; intacta manent. Extat quoque in Eccleſia Prag. pars de mandibula ejusdem Sancti, absque ullo dente.

18 *S. Lucæ Evang.* caput cum maxillis & quinque dentibus, quod Carolus obtinuit Paduæ in monaſt. S. Juſtinæ V. & M. an. 1354. Item, alia inſ. pars de brachio.

20 *S. VVendelini Confeſſ.* pars inſ.

21. *S. Urſulæ V. & M.* pars notab. & *Eleutherij* Sponſi ejus, duo fruſta.

S. Sapientiæ V. & M. ex Soc. S. Urſulæ corpus integrum, quod Carolus Imp. Coloniæ Agrippinæ obtinuit anno 1357. cujus medietas eſt inter Metropolitanas; reliquum una cum capite, inter Carlſtein.

S. Suſannæ, S. Reginæ, S. Chriſticolæ, S. Roſæ VV. & MM. ex eadem Soc. integra capita.

Sunt præterea in eadem Eccleſia plura earundem SS. Virginum capita, licet non decorata, ſicut etiam aliæ Reliquiæ. Inter ſolas Carlſtein. inveniuntur, (uti videre eſt ex ſuperiori earundem conſignatione) duodecim capita, præter S. Sapientiæ, & aliarum ſupra nominatarum VV. Inter Metropolitanas quam plurima diverſorum oſſium fragmenta.

Item, S. Sophiæ V. & M. ex eadem Soc. pars de brachio, & quædam alia oſſa, quæ obtinuit Carolus in monaſt. Orbamenſi: ita habet Martyrolog. Prag. ad finem.

Item, S. Piæ Duciſſæ V. & M. ex eadem Soc. brachium.

S. Benignæ V. & M. mandibula.

22. *S. Cordulæ V. & M.* pars de cap. Carolo dono datum à Frider. ArchiEp. Colon. 1372. Aliud item fruſtum allatum per Carol. an. eod.

24 *S. Arethæ M.* pars inſ. inter Carlſtein.

S. Abun-

26. *S. Abundantiæ V.* pars inſ. de brachio.

28. *SS. Simonis & Thadæi App.* aliquot partes; inter alias quinque inſignes. Item, aliæ *S. Thadæi* allatæ ad Eccleſiam Prag. anno 1212. (videatur 21. Decembris.) primarum mentio fit inter Carlſtein.

Item, S. Simonis Apoſt. pars de cap.

29. *S. Narciſſi Hieroſolym. Ep.* cujus Reliqu. obtinuit Carol. an. 1353. ab Epiſcopo & Capitulo Auguſtano, & reconditas in pectore capitis S. Hilariæ Reginæ donavit Eccleſiæ Prag. vide ſuprà diem 12. Auguſti.

31. *S. Wolphgangi Ep.* pars de ſcapula; & aliud inſigne fruſtum.

NOVEMBER.

1. *S. Caſarij M.* inſigne Fruſtum allatum per Carol. ex Italia 1355.

S. Marcelli Ep. Pariſ. pars quoque inſ. miſſa Carolo à Rege Galliæ Carolo V. an. 1368.

6. *S. Leonardi Abb. & Confeſſ.* diſcipuli S. Remigij caput, allatum Carolo ex Francia anno 1357. & alia inſig. pars.

7. *S. Florentij Ep. Argentin.* magna pars corporis: & inter alia fruſta, mandibula & brachium integrum, à Carolo impetrata in monaſt. Haslach Diœc. Argentin. 1353.

9. *S. Theodori M.* brachium, quod Carolus impetravit ab Epiſcopo & Capitulo Bamberg. 1356. & aliud inſigne fruſtum. Item, inter Carlſtein. pars de cap.

10. *S. Probi Ep.* fruſtum inſ. à Carolo ex Italia allatum 1370.

11. *S. Martini Ep.* dens, quem obtinuit Carolus apud Regem Franciæ, & decoratum in formaAngeli auro & argento, donavit Eccleſiæ Prag. Item, pars de mandibula, & brachium eidem Carolo ex Gallia dono miſſum an. 1357. & aliud minus fruſtum.

12. *Martini Papæ & M.* fruſtum inſ. allatum 1160. per Daniel. I. Prag. Ep.

Ss. Benedicti, Matthæi, Joannis, Iſaac & Chriſtini FF. MM. oſſa plurima notab. magnit. in duabus, (una argentea, altera cuprea inaurata) tabulis recondita. Item, *S. Benedicti* caput integrum: de veſtibus & cilicijs ſetaceis eorum, aliquot fruſta.

13. *S. Gendulphi Ep.* pars inſ. ex Gallijs allata 1365.

S. Bricty Ep. pars de brachio, allata quoque ex Gallijs eod. an. Et aliæ duæ particulæ.

16. *S. Othmari Abb.* caput, una cum alijs ejusdem Sancti Rel. Carolus obtinuit in monaſt. S. Galli Conſtant. Diœc. 1353.

S. Florini Confeſſ. pars de cru-

 re al-

re allata per Carol. 1377.
19. S. *Eliſabethæ Viduæ* pars de brachio, dens, & aliquot particulæ allatæ in Eccleſiam Prag. an. 1332. Item, de capite pars, & alia alterius oſſis pars. Item fruſtum notabilis magnitudinis inter SS. Reliqu. Carlſt.
S. *Pontiani Papæ & M.* pars inſ. allata per Carol. 1370.
22. S. *Cæciliæ V. & M.* pars de brachio, & alia de humero, allatæ per Carolum ex Italia: & aliæ duæ minores. Item, de crinibus ejusdem.
23. S. *Clementis Papæ M.* mandibula integra cum tribus dentibus Borzivogio primo Duci Bohemiæ Chriſtiano data à S. Cyrillo ArchiEp. VVelehrad. & Apoſtolo Moravorum Bohemorum &c. quando cum corpore ejusd. Sancti abibat Romam ſub Nicolao I. Pontif. an. 867. Item, catena ferrea, quâ idem Sanctus in mare præcipitatus eſt; hanc Romæ in Eccleſia S. Clementis Carolus obtinuit an. 1368.
Item, fruſtum digito medio majus, appoſitum Reliquijs S. VVenceslai an. 1671 die 7. Oct.
S. *Felicitatis M.* pars inſ. allata per Carol. ex T[illegible] 1[illegible].
S. *Clementis* [illegible] patri[illegible] S. Clementis [illegible] fruſtum notab. magn.
24. S. *Chryſogoni M.* caput, c[illegible] dietas eſt inter Ss. Reli[illegible] Metropolitanas, medietas [illegible] alijs particulis ejusdem Sancti eſt inter Carlſtein.
S. *Feliciſſimi M.* pars de brachio allata per Carol. Per[illegible]o ex Italia 1355. Item, pars de c[illegible]
S. *Mercury M.* pars inſign.
25. S. *Catharinæ V. & M.* duæ particulæ, una digito major, [illegible] quando allata? non conſtat. Item, inter Carlſteinenſes pars de pollice intra cryſtall[illegible].
26. S. *Conrad. Ep. Conſtant.* brachium a Carolo Conſtantiâ allatum 1353. Item, pars de c[illegible] ejus.
29 S. *Saturnini M.* pars de brachio allata per Carol. Româ 1355.
30 S. *Andreæ Ap.* dens, & duæ particulæ oſſium, una digito major. Martyrologium Eccleſiæ Prag. ſic refert: *cujus* (nempe S. Andreæ) *Reliquiæ decoratæ auro & argento, habentur in Eccleſia Prag. & celebratur feſtum cum Octava.* Item, pars inſig. de cruce ipſius.

DECEMBER.

1. S. *Eligy Ep.* pars de brachio, & aliud fruſtulum de coſta; allata per Carol. 1370.
4. S. *Barbaræ V. & M* pars capitis de fronte, allata Româ per Carol. 1370. duo item fruſt[illegible] incertum per quem, & quando allata; & articul. d[illegible]
S. *Sa*[illegible]

5. *S. Sabbæ Abb.* Reliquias multas attulit Meynhardus Ep. Prag. ex ſuo itinere Hieroſolymitano an. 1151. hodie ſupereſt tantum unum os digito majus, rudi opere argento inclusum ubi leguntur litteræ Græcæ, nomen ejusdē Sancti referentes.

6. *S. Nicolai Pontif.* tria diverſa oſſa notab. magnitud. Item, coſta, digitus, dens, oleum de ſepulchro ejus: mandib. pars.

8. *S. Anaſtaſiæ V.* digitus, & aliud fruſtum allata per Carol. ex inf. Germ. 1372.

S. Macarij M. ſacri cineres, per quē & unde allati non conſtat.

13. *S. Luciæ Syracuſanæ V. & M.* brachium, quod Carol. an. 1370 redux Romā attulerat: & digitus, quem in monſtrantia cryſtallina reconditum, idem Carolus à matre ſua Eliſabetha dono acceperat. Item, pars de capite, allata ex Metenſi civit. 1358.

S. Ottiliæ V. brachium, quod Carolus in monaſt. Hohenburg. Diœc. Argent. anno 1365. impetraverat; in quo etiam brachio incluſit Reliquias *S. Erhardi* Ep. Ratisbon. qui Ottiliam cæcam natam baptiſavit, & a cæcitate liberavit.

S. Judoci Conf. pars digito major.

14 *S. Nichaſij Ep. & M. & S. Eutropiæ V.* quæ erat ipſius ſoror, partes de brachijs, allatæ ex Gall. 13[illegible].

16 *S. A[illegible]* pars inſignis.

S. [illegible] V. & M. pars inſ. quæ [illegible] unde allata: non conſtat.

17. *S. Lazari, quem Dominus JESUS* in Evangelio legitur reſuſcitaſſe a mortuis, brachium cum magna parte corporis; quod obtinuit Carolus in monaſt. Andeloch Baſil. Diœc. 1353. uti ipſe Carolus teſtatur in litteris ad univerſos Regni Bohemiæ ſtatus, Moguntiæ an. 1354. IV. Nonas Januarij datis; ubi inter alia de hoc ſacro corpore habet iſta: *quam quidem partem prædicta Imperatrix digniſſima* (nempe Rychardis uxor Caroli II. Roman. Imp.) *ad locum præfatum de Civitate Mar[illegible]ia reportavit.* Item, pars inſignis de brachio. Eſt etiam ſacculus ſericeus SS cineribus & fruſtulis oſſium ejusdem Divi plenus, cum inſcriptione veteri: *Sancti Lazari oſſa & pulveres allati per Sereniſſimum Dominum Carolum Romanorum & Bohemiæ Regem.* Hunc appoſui anno 1671. die 7. Octobr. Reliquijs S. VVenceslai, in renovatione ipſius Mauſolæi. Item, magna pars de crure, inter SS. Reliqu. Carlſt.

21 *S. Thomæ Apoſt.* aliquot diverſa fruſta; videatur conſignatio SS. Reliquiarum Carlſtein. in primo & quarto Ord. Hujus Sancti Apoſtoli, ſicut & SS. *Jacobi, Thaddæi App. S. Mauritij M. & S. Gerhardi Ep.* Reliquiæ ſunt Pragam allatæ an. [illegible]. Festum allationis illarum præſcribit Rubrica [illegible] Prag. ad VI. Idus Januarij hiſce paucis: *Tertio die poſt Epi-*

 phan.

phan. Allatio Reliquiarum SS. Apoſtolorum Thomæ, Jacobi & Thadæi, & Mauritij M. nec non Erhardi Ep. & Conf. quæ allatæ ſunt ad EccleſiamPragenſem. In Inventario Ss.Reliquiarum anni 1368. invenio, Carolum dediſſe partem de hiſce reliquijs S. *Thomæ*, Patribus Eremitis Ord: S. Auguſtini ad S. Thomam in minori civit Prag.

25. *De faſcia Domini:* pars inſ. Item aliæ particulæ cum inſcriptione: Syl Swatych Plynek Boziſch. Item *de cunis Domini* aliæ particulæ incluſæ cryſtallo quadrato, allatæ per Carol. ex infer. Germ. 1372.

26 *S. Stephani ProtoM.* pars de cap. quam Carolus obtinuit Romæ in monaſterio S. Pauli an 1355. Item, pars inſignis de brachio: articulus digiti dono datus Carolo a Rege Hungariæ Ludovico I. an. 1351. Item de junctura cruris, coſta, & [illegible] de lapide quo l. [illegible]

27 *S. Joannis Evang.* pars [illegible] cryſtallo incluſa, alia [illegible] de veſtimento ejusd. in quodam alio Reliquiario.

28. *SS. Innocentium in Bethlehem* [illegible] us brachium cum cute & [illegible] gitis in monſtrantia cryſtallina, quod Carolus obtinuit [illegible] viris, in monaſt. Mo[illegible] dicto *Horreum Dom[illegible]um*, an. 1354. Alterius caput [illegible] Carlſtein. incertum unde, & à quo allatum.

29 S. *Thomæ Canturienſ. Ep. & M.* fruſtum de humero, allatum per Carol 1377. Item fruſtula duo; quorum [illegible] eorum in ſpeciali Reliquiario, cum alijs [illegible] Pignoribus.

31. S. *Sylveſtri Papæ* duæ particulæ, ex quibus una videtur eſſe ex digito; allatæ per Carol. [illegible]

A P P E N D I X

Reliquiarum, *Sanctorum* quorum diem in anno feſtum invenire huc usque non potui.

Ss.
- *Patricij & Metelli* Mm. & PP. partes de cap.
- *Meraudi M.* pars inſ.
- *Geraſij M. Romani* pars inſ.
- *Seræ Conf.* coſta.
- *Adami M.* pars inſ.
- *Marcelli Regis.*
- *Gunebaldi M.* pars inſ.
- *Fauſtul: M.*

Ss.
- *VVilibaldi Regis* Hiſp.
- *Armandi Conf.*
- *Reinoldi Ducis Albani* duo brachia
- *Roberti Comit. Palat. & Duc. Lothar.* brachium.
- *Salibariæ V. & M.*
- *Conſtantiæ filiæ* B. Val: Reg. Hiſp.
- *Felicitatis V.* *Pij Abb.*
- *Sibyllæ V.*

Hæc itaq; ſunt, quæ de SS.Reliquijs, ijs præſertim, quæ ad S. Metrop. noſtræ Eccleſiæ decus & gloriam faciant explicanda habuimus. Jam ad Viros in eadem Eccleſia Canonicali, Epiſcopali & ArchiEpiſcopali dignitate conſpicuos, & quà Doctrinâ, quà vitæ ſanctimoniâ, alijsq; virtutibus inſignes, experturi, num etiam exinde aliquid ſplendoris, gloriæ atq; nominis pro eadem S. noſtra Eccleſia, (ſicut adfore facile credimus) obſervare poſſimus, gradum faciamus.

RADIUS V.

Novam S. Metropol. Prag. Eccleſiæ Gloriam, adaugent Viri in ea Pontificali, & alijs Eccleſiaſticis dignitatibus Illuſtres, & cum doctrinâ, tum Nobilitate generis, morumq; probitate, ac vitæ ſanctimoniâ longè clariſſimi.

QVæ Civitatum ornamenta, & decora eſſent præſtantiſſima, B. Chryſoſtomus, os illud verè aureum, paucis verbis inſinuat, ſerm. 17. ad popul. Antiochen. *Diſce,* inquit, *quid ſit Civitatis dignitas? & tunc manifeſtè ſcies, quod ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo dignitatem. Non quòd Metropolis ſit; neq; quòd habeat columnas & porticus & deambulacra; neq; quòd ante alias Civitates prædicetur: ſed inhabitantium Virtus & Pietas; hæc eſt dignitas & ornatus & tutela Civitatis; ita ut ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licèt infinitum ab Imperatore conſequatur honorem.* Idem ſentire videtur Iſocrates Platonis diſcipulus, in Areopagitica Orat: ſeu de vetere Athenienſium Repub. hiſce: *Ecquis omnium ignorat, felicitatem & gloriam Civitatis, neq; magnificis murorum ſtructuris, neq; civium numeroſâ multitudine vel quæri, vel contineri; ſed virtute ac probitate incolentium, maximè verò Sapientibus ac moderatis Reipub. gubernatoribus?* Hinc etiam non ſine cauſa Ariſtoteles inter ſpecies τῆς εὐγενείας lib. 1. Rhetor.

Laus & gloria Civitatum,

à Virtute Civium.

tor. publicam nobilitatem, quæ Patriæ à Civibus præclaris contingit, enumerat.

Cives igitur virtutibus præſtantes, glorioſis ſuis factis, Patriæ materiam honoris & gloriæ præbent. Sic non tantum Bethlehem (a) ob Salvatoris noſtri Dei atque Hominis natalem extollitur, à Propheta Michea, usque adeò, ut inter Principes Juda nequaquam poſtrema cenſeatur: *Ex te enim egredietur Dux*, inquit, *qui regat populum meum Iſrael.* Verum etiam Capharnaum, quòd in ea Chriſtus Dominus ut plurimum habitaſſet, plurimáque ſigna feciſſet, multis idcirco laudibus paſſim in Evangelio celebratur. Et quidni glorioſa illa Civitas ac feliciſſima, de qua dici poteſt: *Venit Chriſtus in Civitatem ſuam? Beatus enim populus*, ait David, *cujus Dominus Deus eſt.*

Gloria Betlehem & Capharnaum, a Chriſto Domino.

Et ſi quid profana vetuſtas hic valere debeat, Miletus Urbs Ioniæ in Græcia, ob id imprimìs apud omnes, etiam apud ſeram poſteritatem inclaruit, quòd viros cùm doctrinâ, tum omni aliâ virtute præditos habuerit: ex quibus erant Thales è ſeptem Sapientibus unus, qui primus phyſiologiæ ac Mathematicæ author inter Græcos eſt habitus; Anaximenes, qui horologium oſtendit primus: Timotheus Muſicus præſtantiſſimus, Æſchines Orator facundiſſimus, Hecatæus hiſtoricus inſignis, & alij non pauci. Simili modo Urbes, uti Colophonem Homerus, Antimachus & Mimermnus; Mytilenem Alcæus & Sappho Vates Sapphici carminis inventrix; Teonta Anacreon, Julidem Simonides & Bacchilides, Poëtæ apud Veteres magno præconio celebrati; Cumam Aeolicam, Ephorus & Theopompus Hiſtorici & Oratores eximij; Coum Hippocrates; Pergamum Galenus; Pruſam Bithyniæ Aſclepiades medicorum præſtantiſſimi; & alias alij præcipuâ doctrinâ viri, ſempiternæ laudi memoriæq; commendârunt. Verbo itáque, Patriæ cujusque ſplendor & gloria, non tam ab ædificijs, turribus, propugnaculis & his ſimilibus, quàm à Civium virtute provenit.

Gloria diverſarum Urbiū, à viris Sapientibus & doctis, qui hic recenſentur.

Par ratio habenda cum Eccleſijs & Ædibus ſacris, quæ ſumpiuo-

(a) *Mich. 5. Matth. 2. Joan. 7.* (b) *Matth. 9. Pſalm. 143.*

ſtruoſiſſimorum operum ſtructuris, porphyreticis aut alterius exotici generis, ſeu Parij ſeu Tapſici, aut Numidici lapidis columnis, ſplendidiſſimis aſpectu imaginibus & ſimulacris, magnificis aris, parietibus Jaſpidum aliorúmque pretioſorum lapidum fulgore aut alio exquiſito Muſivo opere micantibus, aureâ argenteáque ſacrorum vaſorum, gemmeâ item & phrygio opere elaboratâ ſacrarum veſtium ſupellectili, & alio hujuſmodi ſplendore & cultu ornatas, virtus Prælatorum vitæq; integritas Miniſtrorum, doctrina & pietas, ornatiores reddit.

Sic poſt S. Romanam Eccleſiam, quam cæterarum omnium dignitate & ſanctitate principem agnoſcimus & veneramur, Aquilegienſis ante alias omnes, Mediolanenſisque virtute & ſanctitate ſuorum Antiſtitum inclaruêre; illa S. Marci Evang. S. Hermagoræ, S. Victoris, S. Quirini & plurimorum aliorum: hæc S. Barnabæ Ap. S. Anatolij, S. CajiSergij, S. Caſtriciani, S. Calimerij M. S. Monæ, S. Mirocletis, S. Protaſij, S. Materni, S. Dionyſij Mariani, S. Ambroſij Eccleſiæ Doctoris, S. Simpliciani, S. Margli, S. Martiniani, S. Honorati, S. Manſueti Sabelli, S. Caroli Boromæi &c.

Gloria diverſarum Eccleſiarum, ab Epiſcopis ſanctitate, miraculis ac omni virtutum genere conſpicuis,

Sic *Trevirenſis & Colonienſis* Eccleſiæ, illa S. Eucharij unius è 72. Chriſti diſcipulis, primi ſui Epiſcopi, S. Valerij, S. Materni, quem 40. diebus mortuum, S. Eucharius B. Petri Apoſtoli juſſu, ac ejuſdem baculo, reſuſcitavit; Sanctorum item Auſpicij, Celſi, Florentini, Maximini, Agritij, Paulini, Bonoſi, Severi, Fælicis, Modeſti, Numeriani, Modoaldi, Eckberti, Papponis Auſtriaci, Cunradi &c. Hæc verò Ss. Severini, Evergiſti, Aquilini, Cuniberti, Agilolphi, Hildeberti, Wiliberti, Brunonis, Annonis, Engelberti &c. Sanctimoniâ vitæ, ac rebus pro gloria Dei, & animarum ſalute præclarè geſtis, laudibus efferri meruerunt.

qui hic unà cum Eccleſijs recenſentur.

Similiter *Moguntina*, S. Bonifacio, S. Lullo, Rabano, Hildeberto, Willegiſo, B. Bardoni, Sigifrido I. II. & III. & alijs quàm plurimis ſuis Epiſcopis & ArchiEp. *Auguſtana*, S. Lucio, S. Afro, S. Dionyſio, S. Zozimo, S. Udalrico alijsque:

Con-

Conſtantienſis, S. Beato Divi Petri Apoſtoli diſcipulo, S. Paterno, S. Maximino, S. Gebhardo, S. Conrado &c. *Argentinenſis*, S. Amando. S. Arbogaſto, S. Florentio, Juſto, Maximo, Valentino, Solario, Uthoni, Regenhardo &c. *Herbipolenſis* SS. Kiliano & Socijs MM. S. Burchardo, S. Arnoni, S. Brunoni &c. *Bambergenſis* S. Henrico Imp. & Divæ Cunegundi Imperatrici Virginibus Fundatoribus ſuis, S. Othoni Pomeranorum Apoſtolo, Svidegero Epiſcopo ſuo, ac poſtea Pontifici Maximo Clementi II. & alijs Sanctitate & eruditione clariſſimis, ſuam gloriam & dignitatem debent.

Nec minùs *Saliſburgenſis* Ss. Ruperto, Vitali, Virgilio & Hartvigio. *Aichſtadienſis*, *S.* Wilibaldo, B. Agano, & Gebhardo, qui Leoni IX. in Pontificatu ſub nomine Victoris II ſucceſſit. *Ratiſbonenſis* Ss. Emerammo, Sebaldo, Erchardo ſeu Eberhardo, Wolffgango gloriantur; Et *Laureacenſis* quondam è præcipuis una, & in his partibus ferè prima, Ss. Laurentio Hermagoræ diſcipulo, S. Quirino priùs Aquilejenſi Epiſcopo, S. Maximiliano, S. Conſtantio, S. Theodoro &c. *Windeloranſis* S. Severino, & aliæ alijs.

Gloria S. Metrop Prag. Eccleſiæ ab Epiſcopis primis

Sed & Metropolitana Pragenſis habet, quòd hoc in genere glorietur; & quod jure merito accedit ad majus ipſius ornamentum & decus. Ab ijs qui Pontificali dignitate, ac penes innocentiâ vitæ, zelo propagandæ Fidei, augendiq; cultus Divini, doctrinâ item & eruditione claruerunt, initium faciamus.

Dithmaro, &

Horum anteſignanus eſt *Dithmarus* Epiſcopus Pragenſis Eccleſiæ Primus; de quo Pius II. in Hiſt. Bohem. *Dithmarus natione Saxo opinione Sanctitatis inſignis.* Coſmas Decanus Prag. vicinus illorum temporum in Chron. Bohemor. *Præſul Dithmarus Eccleſias à fidelibus in multis locis ad Dei laudem conſtructas conſecrat, & populum gentilem baptizans, quam plurimum fecit Chriſto fidelem: nec poſt multos dies vinculis carnis abſolutus, talentum ſibi creditum Chriſto reportavit centuplicatum.*

Alius item Anonymus & coævus ſcriptor, & ex eo Pontanus: *Dithmarus aurora Virtutum, Lucifer Sacerdotum, anteſi-*

g[illegible]

gnanus ſequentium Epiſcoporum, præclarâ vitæ morúmq; innocentiæ curſum citiùs omnium opinione abſolvit, qui talentum cum fœnore Domino Deo reddens, &c. (c)

Illud verò, quod Author Vitæ S. Adalberti apud Surium Tomo IV. ad diem 23. April. in contrarium refert, & ex eo Mechovienſis & Bzovius, tanquam futile & alijs notæ melioris ſcriptoribus contrarium, omnino rejiciendum exiſtimamus. *(d)*

S. Adalbertus, patrio nomine Wogtiechus, Dithmari ſucceſſor, cùm nobilitate generis, tùm morum probitate vitæq; innocentiâ inſignis, Hungarorum, Polonorum & Boruſſorum ſeu Pruthenorum Apoſtolus; verbo, ter laureatus Præſul, Virgo, Martyr & Doctor, ſeu Confeſſor. Cathalogo Divorum adſcriptus; cujus feſtus dies agitur IX. Cal. Maij. Videatur ipſius Vitæ deſcriptio. S. Adalberto.

Bohdal ſeu Deodatus III. Epiſcop. vir præclarâ vitæ integritate & ſanctimoniâ præditus, qui concionando & docendo, corripiendo ac monendo, officium veri Paſtoris nunquam intermiſit. Hinc, quia potentioribus nonnullis indulgere licentiorem vitam noluit, ſemel atque iterum exilium tulit. Imò, parum abfuit, quin ob ejusmodi zelum Paſtoralem, anteceſſori ſuo in Martyrio ſociaretur. Moriens tandem, omnem ſuam ſubſtantiam temporalem, quam vivus collegerat, bifariam diviſam, unam partem Eccleſiæ Pragenſi legavit; alteram in egenos & pauperes Chriſtianos erogari præcepit. *(e)* Elogia & virtutes Epiſcoporum Prag. Bohdali,

Ejus ſucceſſor *Helicardus* ita vitæ integer, ut pius juſtus & pacificus dici mereretur: de quo Coſmas: *fuit hic Præſul contra potentes erectus, erga humiles & manſuetos pius, modeſtus, facundiſſimus prædicator, largus Elemoſynarum dator, Dominicæ Familiæ in menſura tritici fidelis diſpenſator.* Helicardi,

Xxx Idem

(c) Coſmas in Chron. Bohem. lib. 1. Pontan. in Bohem. Pia lib. 5. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 16. MS. Anon. in Archivo Capituli. (d) Bohusl. Balbin. in Vita V. Arneſti I. ArchiEp. Prag. lib. 3. cap. 1. in Notis. Idem in Epitom. rer. Bohem. lib. 2. cap. 9. Crugerius in Sacris Memor. Regni Bohem. ad diem 2. January. (e) Coſmas lib. 1. Chron. Boh. Hagek ad an: 1017, Lupac: in Ephemer: ad d. 10. Juny,

Idem de ejus ſucceſſore Hizzone, qui erat de illuſtri Familia Comitum Stroſſiorum, poſtea de Waldek & Haſimburg dicta: *Hic*, inquit *fuit Nobilis genere, ſed Nobilior opere, qui prior fecit, quæ facienda præcepit: quotidie ſolitus erat quaterdenos pauperes paſcere, quibus abundè procurans cibum & potum, ipſe benedixit, & ipſe hilariter diſtribuit. Erat enim & corporis ejus pulchritudo inſignis, caput capillo albius cigno: unde cognomen obtinuit, ut diceretur Albus atq; blandus Epiſcopus Izzo.* (*f*) Et alius: *in pauperes beneficus, ut ſingulis diebus quadraginta in ſua aula paſceret: & ſexto quoq; die, ſi quid deſideraretur, viſitaret infirmos & captivos frequenter adiyt opémq; tulit, vir juſtâ ſenectute & canitie venerandus &c*

Severi. *Severus* verò Sſebirzianæ Equeſtris Ordinis in Bohemia Familiæ decus, tantâ vitæ ſanctimoniâ claruit, ut in veteri Eccleſiæ noſtræ Martyrologio hoc tam inſigni præconio quotannis celebrari meruerit: *III. Calend. Julij Ordinatio S. Severi Epiſcopi VI. Pragenſis Eccleſiæ.*

Jaromiri alio nomine, *Gebhardi* VII. Ep. Prag. qui erat Wratislai Regis frater, minùs quidem laudabilia fuère prima, poſteriora tamen laudatiſſima, pijſſima, ſanctiſſima. Hoc ipſum memorat Coſmas Decanus jam tunc ipſi coævus hiſce...:

Jaromiri Ep. Prag. mors, „ Præſul Jaromir iturus erat Romam, ſed conſilio cum ſuis fa-
„ miliaribus inito, priùs adit antiquum amicum Wladiſlaum
„ Regem Pannonicum, & patefaciens ei ſuæ Eccleſiæ dam-
„ num, poſtulat ab eo ad Romanum iter auxilium. *Inſcius heu*
„ *fatum ſibi jam ſupereſſe propinquum.* Nam prima die, quâ Re-
„ gem adijt, in nimiam corporis incidit moleſtiam. Et quia
& vita laudabiliter tranſacta. „ prope Urbem erat Strigoniam, illuc mittit eum Rex ...gio,
„ committens curam ejus, illius Urbis Epiſcopo. *Pertuli heu*
„ *quales ſex lucib. ipſe dolores, impedior lacrymis, nec poſſum pro-*
„ *mere verbis.* Septima die jam adveſperaſcente, *Sol Julius ferme,*
„ *quâ tangit luce Calendas, gemma Sacerdotum cunctorum, lux*
„ *Boemorum, Dogmate præclarus, pius Antiſtes Gebehardus,* ...

(*f*) Coſmas ad an. 1030. Pontan. lib. 3, Coſmas ad an. 1090.

ut in Chriſto, mundo migravit ab iſto. Moribus & vita, de cujus dicere multa fert animus mihi, ſed deſunt in pectore ſenſus, Pauca „ *tamen fari libet hæc, quæ vidimus ipſi.* Tempore quadrageſi- „ malitalis mos erat ſuus: ſemper cilicium habens ſubtus, de- „ ſuper veſte Epiſcopali indutus, diebus paſcit humanos obtu- „ tus, noctibus verò ſacco veſtitus latenter, Eccleſiam ingreſ- „ ſus, & ſuper pavimentum humi proſtratus, tam diu perſeve- „ rat in precibus, quoadusque largo imbre lacrymarum madi- „ da fuit, cui incubuit humus. Inde conſurgens ad agape fa- „ ciendum, & priusquam ruminet Pſalmos, quotquot ante Ec- „ cleſiam invenit miſeros, boni operis per copiam ſupplet eo- „ rum inopiam: finito Pſalterio idem facit: poſt matutinas „ autem XL. panis quadrantes, & totidem allecia, ſive alicujus „ edulij partes, dividit inter pauperes. Quartâ autem vice, „ jam appropinquante luce, ad numerum Apoſtolorum lavans „ pedes XII. peregrinorum, dividit his formas bis ſenas dena- „ riorum: quibus ad horam prandij in abdita ſtuba vel caſa „ poſitis, abundè ipſe neceſſaria apponit, & dexterâ ſuâ cibum „ & potum eis benedicit; deinde ad publicam menſam vadit, „ & ſecum XL. egenos pavit. Similiter ad ſedem ſuam Pragæ „ conſtituit quotidie XI. pauperes paſcendos, & bis in anno ve- „ ſtiendos, à corrigia calcei usque ad faſtigiam pilei. Item „ nonnullos adventantes hoſpites, & pauperes clericos, nimijs „ dationibus obligat, ut per totam Quadrageſimam ſecum ma- „ nentes, tam pro vivis, quàm defunctis Pſalteria legant; ad „ ſingula quæque Miſſarum ſolemnia, quotquot in Capella „ quaque die fuerint celebrata, trina dari fecit nummiſmata „ denariorum: omnibus autem diebus Dominicis XII. num- „ mos, feſtis verò Apoſtolicis, & in alijs majoribus Solemnita- „ tibus ducentos offert, ſuper pixidem Ss. Reliquiarum argen- „ teos. Quàmque fuerit largus, ſi te delectat ô prudens ſcire „ lector, pelliciam Epiſcopalem nunquam integrum per an- „ num portabat, ſed unam hyemalem in Paſcha, alteram æſti- „ valem in feſto S. Wenceslai, ſuis Capellanis donat. Sic & „ in cæteris donativis largum fuiſſe ſcias.

Coſmæ &

Idem de *Coſma* hujus Succeſſore refert: (*d*) *IV. Idus Decembris, Coſmas Epiſcopus migravit ad Chriſtum. Fuit autem ille Præſul humilis, ſimplex, patiens, & multùm miſericors, & illatas à quovis homine injurias æquanimiter ſuſtinens, recognoſcentibus ſuas culpas pius indultor, viduarum non ſurdus auditor, infirmantium ſedulus viſitator, ultimæ ſortis non immemor, exequiarum promptus extitit executor.*

Hermanni Epiſcoporum laudes: ſicuti etiam

Pariter de *Hermanno* Coſmæ ſucceſſore: *Eodem anno,* nempe 1122. *Vir ſacer Hermannus doctrinæ lumine clarus, ter ſenis quinis Octobris fata Calendis. Dominicâ jam illuceſcente die, in feſto S. Lamberti Ep. & M. cujus dum vixit feſtum devotiſsime coluit, quia de Trajectenſi vico, & ex eadem Lothringia ortus fuit proſapia. Hic novam vicem Sedis Pontificalis gerens, rexit hanc Eccleſiam annis XXII. menſibus ſex, diebus VII. Erat enim ſpectantibus, incognitis formidabilis, domeſticis affabilis, morum qualitate incomparabilis, lucerna lucens in mundo & ardens, nec ſub modio ſed ſuper candelabrum poſita, illuminabat corda credentium, verbo doctrinæ & exemplo: de cujus & alijs probis actibus, licet plura relatu digna niteant, tamen ea intacta relinquimus propter invidiosa temporis homines, qui nihil boni ipſi operantes, aliorum benefacta credere audita renuunt.* Reliquum quod de eo memorat, ſignificat dolorem ipſius, ex humilitate id potiſſimùm deplorantis, quòd officio ſuo non ſatis integrè fuerit functus, quod etiam alijs Sanctis legimus fuiſſe commune.(*e*)

Succeſſorum illorum.

Maynardus. Joannes I. & Otto de Suabenicz Epiſcopi Prag. magnis laudibus à Jaroslao Canonico continuatore Coſmæ, & Scriptore coævo celebrati: *quibus nihil prius fuit, quàm ſemper ſeſe Deo, ſibi & hominibus oſtendere: nihil opinionis, omnia conſcientiæ causâ gerere.* Erga Eccleſiam ſuam ſummè benefici, quam proprijs ſumptibus plurimum exornarunt. De Maynardo in MS. Codice Anniverſarior. Eccl. Prag. iſta lego: *inſtituit V. præbendas in Eccleſia Prag. & ſepulchrum S. Wenceslai reddens*

ſtruit

(d) *Coſmas ad an. 1098. Lupac. die & an. eod.* (e) *Coſmas cit. ad an. 1122.* (f) *MS. Jarosl. in continuat. Chron. Prag. MS. Anton: in Archivo Capit.*

pane à Principe dedit Canonicis: in cujus anniverſario dat Canonicus, qui tenet obedientiam in Odolena Woda & in Myskowicz XXIV. denar & totidem candel. &c.

De Daniele de Lippa ſupra Radio III. diximus. Pontanus hæc clariùs habet: *atq; ubi tum pro eo, factæ plurimæ Exequiæ, apparuit rurſum eidem Abbati* (Godeſchàlco Syloënſi) *dicens, ſe pœnis in quibus fuiſſet hactenus, liberatum, & in Gratiam Dei receptum.*

Brzetislaus-Henricus ex proſapia Regum Bohemiæ, Epiſcopus in Ordine XVI. ſimulq; Bohemiæ Dux ſive Interrex: De quo Lupacius: *Vir pius, honeſtus, bonus atq; beneficus; tempore famis, qua premebatur Bohemia, maximam pauperum famelicorum turbam, de ſuo ære empta alimoniâ, ſuſtentavit.* Alius: *Vir ingenio & Divinarum rerum ſcientiâ præſtans, ob eámq; rem à Legato Pontificis Petro Cardinali, qui Pragæ fuerat, laudatus, & Sapiens vocatus.* Alius item: *Omni adepto honore glorioſior fuit hæc Henrici de Principatu deponenda voluntas: nunquam ita gloriosè regnaſſet, ſi ad mortem usq; regnare voluiſſet.* Et infra: *Annonâ laborabat Bohemia: Henricus privatâ pecuniâ frumentum coëmit, & largitiones in egenos facere inſtituit.* (g) Alius verò: *nec mirum, ſi magnum honorem,* (Dux Bohemiæ factus) *& magnas ſolicitudines ſine ſalutis tenuit detrimento; potuit enim hoc facere, cùm prius bonus didiceriit eſſe bonus, Dux autem factus, ſeverus eſſe impijs conabatur.* (h) Et Pontanus: ſub regimine pacifico Templum S. Viti reſtaurare, altaria de novo conſtruere, quæ ipſe conſecravit; domumque pulcherrimam in minori Praga ad flumen ædificari fecit, in cáque Sacellum pretioſum in honorem DEI & B. Mariæ Virginis; in quam ad decantandas Deo laudes, choraliſtas introduxit, prout & in Wiſſehradenſi Eccleſia rem divinam mirificè amplificavit; paritérque magnâ inediâ afflictos tum temporis omnis generis homines, quantumvis diſperſos,

Brzetislao Henricus Dux Boh. & ſimul Epiſc. Prag. laudatiſſimus.

Xxx3 pane

(g) *Pontan. in Bohem. Pia lib. 3. Lupac. ad diem 15. Junij. MS. Chron. Boh. ad an. 1196. Pont. ſupra cit.* (h) *Solyman. in Elog. Ducum & Regg. Boh. in Henrico Ep. & Interrege.*

pane ſuis ſumptibus undique conquiſito, pro Chriſti nomine liberaliter aluit; Petrum Cardinalem à Via lata, Cæleſtini III. Legatum decimas à Sacerdotibus in bellum Aſiaticum recuperandæ Hieroſolymæ causâ exigentem, honorificè perhumaniter ipſe infirmus excepit, bonáque reſponſione dimiſit, avidiſſimus perſonaliter cum ſuo delectu militum bello ſacro interfuiſſe, quem intempeſtiva infirmitas præoccupavit. Quâ nimium invaleſcente, Premislao Principatum reſignare voluit, ſed reluctantibus Bohemiæ Proceribus, ipſis præſentibus dedit legendi Principis, quemcunque voluerint, poteſtatem, ſibi, inquiens, vires ad ſuſtinendum Pontificatum vix ſufficere, ne dum ut Principatûs præterea onus ferre poſſet, in tanto præſertim rerum motu, atque continenti fere illius honoris ambitu. Medicorum conſilium illis pleniùs indicat, ſuadentium Cœli lociqne mutationem fieri debere, & ab omnibus rebus, quæ animum ſollicitant, abſtineri; alioquin nil ſibi profutura medicamenta: ſe i[illegible] velle in Egram civitatem ultimis Bohemiæ finibus ſitam, renovendarum virium gratiâ petere, interim adminiſtrationem Principatûs curæ illorum delegare. Quarto decimo die, poſtquàm Egram pervenit, ibidem pridie S. Viti, quinto ſui regiminis ſæcularis, ſpiritualis verò decimo quinto anno, humanis exutus eſt; in utroque Magiſtratu tam æquus & moderatus, ut in dubio reliquerit, Princeps an Pontifex melior vixerit. Corpus Doxanam, quo in Cœnobio Matrem etiam ſuam *(hæc enim Agnes, conjunx Henrici I. germani fratris Wladiſlai I. Regis & Theobaldi I. & Marquardi Carinthiæ Ducis Styriæq; Comitis filia, nata ex Bertha filia Henrici IV. Imp. Henriciorum ſeu Czerninorum Magna Mater)* ſepeliverat, &c. Calendarium vetus Doxanenſis Parthenonis Ord. Præmonſtrat. de illo hæc habet: *14. Junij, obijt Beatæ recordationis Henricus Pragenſis Epiſcopus, & noſtræ Congregationis Protector pijſſimus, omniumq; Spiritualium optimus defenſator.*

Andreas Beatę mem.

Beatus *Andreas* ex Præpoſito Epiſcopus Pragenſis XVIII. numero factus, acerrimus Eccleſiaſticæ libertatis adverſus Re-

gem

gem Przemyslum Ottocarum I. vindex, ac penes innocentiâ vitæ præſtans, in victu frugaliſſimus, erga pauperes beneficentiſſimus, miraculis etiam in vita & poſt mortem clarus. Defuncti caput in Metrop. Eccleſia in Sacello S. Wenceslai, eâ parte, quâ Crux aurea poſt ſummũ altare in muro viſitur, an. 1369. *recondi- tum, adeóque publicæ venerationi expoſitum hodiéque manet. Anniverſaria obitûs illius dies 30. Julij, erat Eccleſiæ Pragenſi in benedictione; (i) Beneſſ. Weitmille de illo hæc refert ad an. 1369. *multi probi & antiqui viri credunt, & appellant hunc virum Andream Epiſcopum hominem ſanctum: & referunt, quòd olim claruit miraculis.* (k) Joan. II. antea Scholaſticus, *vir* (inquit Pontanus) *authoritatem præ ſe ferens, Deum timens, diúq; oblatum honorem à ſe dimovens &c.* (l)

* Beneſſ. & Hagek ad an. 1369.

Nicolaus ſtirpe Witkovecius ſeu Roſenſis, *vir* (inquit Pontanus) *optimus, juſtus, omniumq; ineptiarum conjuratus hoſtis, curſum ſuum ſanctimonia conſummans, alteram vitæ regionem ingreſſus eſt &c.* Similiter Lupacius, *Vir probus honeſtus & æquus, avaritiæ oſor.* In quodam MS. Codice de illo hæc invenio: *Anno D. Incarnationis 1246. Nicolaus Epiſcopus Prag. erexit pulpitum in Eccleſia Pragenſi, quod conſummatum eſt 8. Kal. Octobr. Eodem Anno reconciliavit Eccleſiam Prag. 8. Nonas Octobr. Pontificatûs ſui Anno ſexto.* Nicolai,

Joannes Baro à Drazicz è Scholaſtico Epiſcopus ejus nominis III. creatus, in id unicè incubuit, ut exhiberet ſemet ipſum exemplum Fidelium in Verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, attendens exhortationi, lectioni & doctrinæ. Extant ipſius Sermones Latino idiomate conſcripti, quos ſub Miſſarum Solemnijs ad Clerum adſtantem habere ſolebat. De hoc Lupacius: *Homo religioſus, pius, ſtudioſus, cultórque juſtitiæ &c.* Hunce è Pragenſibus Epiſcopis Principem nominari primum invenio. *(m)* Joannis III. &

To-

(i) *Beneſſ. Weitmil. Canon. Prag. & Archid. Zatecenſ. in Chron. Eccl. Prag. lib. IV. ad an. 1369.* (k) *Pontan. cit. Lupac. ad d. 17. January. MS. Anonym. Lupac. ad d. 21. Octobr.* (l) *In Diplomat. Przemysli Ottocari an. 1365. 1371.*

Tobias Bechineus (hunc alij Lazaneæ ſive Bechineorum de Lazan, alij Odrovanziæ Krawaræis, Mraczkijs, Tworkowijs, Sedlenicijs cognatæ gentis, eſſe volunt) luctuoſiſſimo, & vix antehac unquam miſerabiliori Regni ſtatu, regimen per Electionem Capitularium legitimam ſuſcepit; ideòque à Brandeburgenſibus, ſub quorum jugo Bohemia tunc gemuit, multa paſſus. Officium tamen boni ac fidelis Paſtoris non intermiſit, ſed adverſitatibus omnibus mirâ ſuâ patientiâ & æquanimitate feliciter ſuperatis, Eccleſiamquàm omni penitus ornatu & ſupellectili tam ſacrorum vaſorum, quàm veſte una Brandeburgicis ſacrilegè deſpoliatam, non multo poſt Wenceslao Ottocari occiſi filio Bohemis reddito, in priſtinum decus reſtituit. Coævum Scriptorem Canonicum *Prag.* ſed Anonymum, de eo referentem audiamus. (*n*) *Nec prætermittendum puto, cum ſit memoriâ commendabili dignum, quod Dominus Thobias Dei Gratiâ Prag. Ep. licèt ex officio ſui regiminis teneatur omnes Eccleſias ſuæ Diœceſis fovere, tamen Eccleſiam Prag. cujus ſponſus & Jamque eſt, ſpeciali dilectione confovendo, providit ei in ornatibus pretioſis, & libris Eccleſiaſticis, ad honorem & laudem divini cultus, nec non & BB. Martyrum Viti, Wenceslai atq; Adalberti: quarum verum collatio talis eſt: Caſula, Dalmatica & ſubtile de Axamito albo cum limbis magnis: Item, contulit alium apparatum integrum cum auro textum: Item, pallam Altaris de albo balkyno & quatuor alia pretioſa. Item, aliam pallam, in qua eſt Leo & aquila de plumario opere: Item, tria menſalia altaris cum latis parietibus: Item, ſtrophium axamitum, qui ponitur in paraſceve ſub Reliquiis, & quartum menſale longum, quod etiam ponitur ſub Reliquiis. Contulit etiam Miſſale magnum, cum omnibus Epiſtolis & Evangelijs, tam ferialibus quàm feſtivis, cum cantu per Muſicam ſcriptum cum graduali & ſequentijs. Item, nocturnale magnum cum rubricis & cantu in ipſo per muſicam annotato per totum Antyphonarium. Contulit etiam Breviarium de magna littera, juxta curſum*

Pra-

(*n*) *Coſma continuat. ad an.* 1283.

Pragenſis Eccleſiæ, modo & conſuetudine antiquâ & conſervatâ. Parochiales aliquot Eccleſias, vel de novo erexit, vel erectas antea majoribus reditibus auxit, præſertim in ditionibus ſui Epiſcopatûs, uti Raudnicij, Tynæ Horeſſij, Tynæ ad Wultavam, Rokycanæ, Rzeczicij, Stepanoviæ, Krziwoſaudæ, Wyskitnæ, Heralecij. Habet quoque, ut memoria ipſius apud omnes Bohemos Patriæ ac Gentis noſtræ ſyncerè amantes, ſit in gloria & benedictionibus, ex eo quòd memorat Balbinus accuratiſſimus talium obſervator hiſce: *Tobiæ in Regnum univerſum merita, & in Pragenſem Eccleſiam perpetuam multiplicémq; beneficentiam deſcripſit latiſſimè vetus MS. chronicon eorum temporum. Unus hic Præſul, Bohemiam cadentem, & exterorum (Saxonum præcipuè) fraudibus oppreſſam, authoritate & pulcerrimis conſilijs proſperè levavit ab humo, & Regi ſuo lætantem reſtituit: ideóq; Tobiam patriæ liberatorem & vindicem vetus Bohemia agnoſcit. Actum erat de Bohemia ob multitudinem exterorum, & lingua ipſa Bohemica contemnebatur: Tobias linguam patriam Patriæ, verbo Bohemiam Bohemiæ reſtituit.*) (o)

Tobias Ep. Patriæ gentis & linguæ Czech. conſervator.

Hujus ſucceſſor *Gregorius*, Decanus antea Prag. eruditione & facundiâ clarus; de quo in vetuſtiſſimo quodam libro MS. invenio: (p) *Hic prædicavit ad vulgum in Eccleſia Pragenſi usq; ad mortem.* Idem de illo habet Lupacius (q) *Vir pius & benignus: is ipſe ad populum inſtituere eſt ſolitus conciones.* Alius item vicinus illorum temporum (r) de hoc & anteceſſore ejus: *Eodem anno*, nempe 1296. *Tobias Epiſcopus Prag. XXVI. Pontificatus ſui anno XVIII. viam univerſæ carnis ingreſſus, plenus dierum ſuorum optimam poſt ſe famam reliquit, & bona multa Eccleſiæ fecit. Poſt cujus obitum & ſepulturam ſolemnem, Canonici Prag. convenientes in unum, invocatâ Spiritus Sancti gratiâ, Dominum Gregorium tunc Decanum, Magiſtrum in Artibus, virum* ſim-

Gregorij laudes.

(o) *Balbin. in Epitom. rer. Bohem. lib. 3. cap. 16. pag. 299.* (p) *MS. Series Epiſcop. Prag. Lupac. ad d. 13 Septembris.* (q) *Coſmæ Continuat. ad an. 1283.* (r) *Beneſſ Veitmile Can. Prag. in Chron. Eccl. Prag. lib. 1.*

ſimplicem, rectum ac timentem Dominum, habentem in ætate circa 60. Annos, concorditer elegerunt. Hunc aliqui dicunt (*s*) fuiſſe ex Familia Baronum de Waldek, poſtea Hazmburgica dictâ, quæ erat quondam ex celebratiſſimis in Bohemia.

Joan. IV. munificentia, & liberalitas pluribus oſtenditur.

Joannes ejus nominis IV. Epiſcopus *Prag.* familiâ Drazicius, Joannis III. ex fratre nepos, vir eruditus & munificus; de quo vetus Elogium in Archivo noſtro, in libro quodam Syllabum Epiſcoporum Pragenſium referente, & præ vetuſtate nimia vix ferè legibili, iſta invenio: *Hic fundavit & dotavit Monaſterium in Raudnicz, & pontem lapideum ibidem ſumptuosè conſtruxit: de novo caſtra duo ſolemnia Horſtein videlicet & Kegerſberk, aliter Supikom, proprijs emit ſumptibus, & Eccleſiæ Pragenſi pro Epiſcopatu intabulari obtinuit. Item prædictus D. Joannes Epiſcopus ultimus, tres præbendas Canonicales in Eccleſia Pragenſi, ac Altaria duo SS. Laurentij M. Sylveſtri & S. Marthæ creavit & dotavit.* Idem de eo memorat Hagek ad an. 1329. Sed alium recentiorem de eo referentem fuſiùs audiamus: (*t*) In ſua tum adhuc Cathedrali, D. Adalberti ſepulchrum ſuis ipſe impenſis, laminis argenteis magnificè intexit; quâ munificentiâ provocavit equidem *P*roceres, ut & ipſi poſtea de ſimili metallo, confectis Familiarum ſuarum inſignibus, tumulum quoq; D. Wenceslai ſub A. D. 1358. gloriosè inumbrarent. Et quia intellexerat paulo ante mortem, hanc ipſam Cathedralem Eccleſiam D. Viti à Joanne Rege, ejúsque filio Carolo, à fundamentis eſſe innovandam, pro duobus in ea magnificis Sacellis, ac altaribus erigendis, tantum omnino legavit, quantum ſufficeret; unum ex his ſacrum fuit D. Marthæ Virgini, cujus ipſe, per totam Diœceſim ſolenne feſtum authoritate *R*omanâ Joan. XXI. *P*ontificis Maximi effecerat; alterum Sylveſtro *P*ontifici & M. dicaverunt; ante quod poſtmodùm in tumba cypreſſina Venetijs allata eundem teſtamenti executores humaverunt. Incubuit deſuper tumulo marmoreo, tanta ex aurichalco Joannis Epiſcopi effigies, quantam ipſe cùm viveret, magnitudine expreſ-

(s) *Balbin. in Hiſt. Mont. Sac. Auctuar. I. cap. 6. §. 6.* (t) *Crugerius ad d. IV. Januarij pag. 19.*

preſſerat: ſed hoc inſigne decus, ſub A. D. 1541. fortuitus ignis cum alijs Metrop. Baſilicæ palmaribus planè memorijs, non tantùm corrupit, ſed & partem potiſſimam abolevit. Neq; porrò Drazicius hæc ſola in Eccleſia erexit, dotavitque, ſed & ad ipſam inſuper, pro tribus novis Canonicis, magnificas præbendas fundavit ampliſſimè. Qui tantopere vivus moriénsq; ſuis ſeſe impenderat, Regularibus Canonicis extra planè modum liberalem ſeſe exhibuit. Reſtant hodiéque poſtquàm Collegia ipſa ab Huſſitis ſunt deſtructa, Baſilicæ omnino ſolennes Pragæ, altera ad D. Ægydij, (*hanc tamen non Regularium, ſed Secularium, ut dicimus, Canonicorum fuiſſe conſtat*) altera Raudnicij (*hæc Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini fuit*) ad B. Mariæ Virginis. E quibus, ùt ſolemus, ex ungue leonem, colligere poſſumus, quantæ fuerint prædictarum Præpoſiturarum moles reliquæ, ac fundationes. Pontem lapideum Albi inſtravit, labore improbo, circa Raudnicium, evocatis Româ ſtructuræ Magiſtris. Cui operi ſeptennium tantùm inſumptum eſt; motivum porrò Epiſcopi laudabile fuit, ne deinceps eo in flumine transnavigantes tot mergerentur. Ad radicem pontis erexit quoque Hoſpitale, quo corpore vel fortunis debiles, è tota ſua Raudnicenſi ditione honeſtè ſuſtentarentur. Pro tot tantisque quid porrò imprecemur Drazicio? quod Franciſcus Pragenſis quandoque ad D. Vitum Præpoſitus, & huic noſtro Joanni coævus, ut ſit nomen ejus apud Bohemos æterna in benedictione.

Ejusdem pro libertate & diſciplina Eccleſiaſtica zelus.

Neque id intermittendum exiſtimo, quod de illo refert prætactus Franciſcus Scriptor coævus hiſce: (u) *Domino Epiſcopo dignè & laudabiliter in ſuo Præſulatu exiſtente, advertit & vidit inter cæteros defectus, defectum majorem & damnabiliorem, quem anteceſſores ſui nequiverunt exſtirpare, nec ſuos ſubjectos ad ſtatum ſalutis & rectitudinis revocare; videlicet, quia plebani & Rectores Eccleſiarum erant quaſi mercenarij, non ut Paſtores. Ex quo ſequebatur ingens periculum animarum: nam tunc auctoritate,*

Yyy 2

(u) *Franciſcus Parte 2. Chron. Prag. lib. 1. cap. 16.*

te ſuorum patronorum, quæ in hoc facto non habebat vigorem, Miſſas celebrabant, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrabant. Si quis autem de Plebanis Patrono ſuo non obtemperavit, mox ab Eccleſia fuit repulſus, & alter iterum ad ſpatium unius anni, à feſto S. Georgij, usq; ad ſequens feſtum fuit ſubrogatus. Dominus verò Epiſcopus maluit ſuam vitam periculo & morti exponere, quàm talia nefaria acta tolerare; unde mox Regi & Baronibus Regni ſe oppoſuit, ipſos de tali errore arguendo & conſulendo, ut à talibus illicitis ceſſarent, & animas ſuas & ſubditorum ſuorum à damnatione perpetua liberarent; & ſpecialiter tales Plebanos tanquam mercenarios à Divino ſuſpendit Officio. Quidam verò de Baronibus tum nimio furore accenſus & indignatione, coram multis Baronibus & Nobilibus, ait Domino Epiſcopo præfato: magis eligeremus iteratò ad paganiſmum redire, quàm talia ad velle Veſtrum admittere. Verumtamen Venerabilis Pater virtute conſtantiæ roboratus, metum abjiciens & terrorem, prætaxatum radicitùs exſtirpavit errorem. Deinceps ad præſentationem Patronorum, Plebanos ad Eccleſias jure & legitimè confirmavit, ſicut ſpectat ad Officium & Epiſcopalem dignitatem, ita ut ampliùs curas animarum ſibi commiſſas auctoritate Domini Epiſcopi ſollicitè gubernarent, Officium Divinum licitè celebrando, & Sacramenta Eccleſiæ populo miniſtrando. Idem memorat Beneſſ à Weitmile. (*x*)

Arneſti I. ArchiEp. Prag. virtutes recenſentur.

Arneſtus de Pardubicz ArchiEpiſcopus Pragenſis ejus nominis atque etiam dignitatis in Bohemia *Primus*, cùm nobilitate Familiæ, tum doctrinæ & Sanctitatis laude præſtans, miraculis inſuper & prophetiæ dono clarus: *Filius* (inquit Beneſſius noſter (*y*) *quondam Domini Arneſti de Pardubicz ſtrenui militis, vir elegantis ſtaturæ, & corpore decorus, omnium morum honeſtate præditus, in Jure Canonico Licentiatus, affabilis omnibus & benignus.* Et alibi, ubi de obitu ejus narrat: Vir, inquit *dilectus Deo fuit & hominibus &c. longa ſtaturæ, venuſtà facie, omnium morum honeſtate decorus, mira patientiæ; nam ipſius familiaris quo-*

(x) *MS. Chron. Prag. lib. 1 & 3.* (y) *MS. Beneſſ. lib. 4. ad an. 1343. & 1364. Crug. in Sacr. Mem: ad diem 30. Junij.*

quotidiana conſveta familia, nunquam audivit de ore ipſius ſiniſtrum aut injurio um famen procedere. &c. Vitam ipſius à morum innocentia, rebus maximè geſtis, ac virtutibus denique omnibus ſummè celebrem, copioſè deſcriptam habemus à *P.* Bohuslao Balbino Soc: JESU, Hiſtoricorum noſtrâ hâc ætate facilè principe, quem reliqua adhuc, in futuro majori opere, cujus opella hæc noſtra prodromum duntaxat agit, de illo ex Beneſſio præfato Scriptore coævo, qui mihi præ manibus eſt, & alijs, uberiùs dicenda manent. Hic paucis tantùm Elogiorum ſummam, quam ibidem Effigiei ipſius appoſitam legimus, apponemus.

Arneſtus à Pardubicz Gente Bohemus, ex Perilluſtri Maloveeziorum Stirpe, Primus ArchiEpiſcopus Pragenſis, Legatus Apoſtolicæ Sedis, Sac. Rom. Eccleſiæ Cardinalis renunciatus, vir Divinis & humanis literis excultiſſimus, Legationibus obitis orbi univerſo notus, animi demiſſione & tolerantia, munificentiá in pauperes, magnificentiá & ſplendore in ſacris & profanis, alijsq; Pontificalibus virtutibus clarus, ideóq; ad Summum Pontificatum aliquando poſtulatus, Pontificibus chariſſimus: vivens vivæ vocis oraculo ab ijs laudatus, & Sanctus appellatus (communis enim Domini Papæ Cardinalium, Prælatorum, Cleri & populi Romani vox erat: non habere Alemanniam, imò totam Eccleſiam Dei talem Prælatum, qui obſervaret legem Excelſi) miraculis & prophetiæ dono inſignis, quatuor ditiſſimorum Cœnobiorum Fundator, primus Beatiſſimæ Virginis in Sancto Monte cultor & amator, cujus honori doctiſſimum ac pijſſimum Librum Mariale compoſuit. Obijt ex febribus Raudnicij, Anno Domini M. CCC. LX. IV. ultimâ Junij, Glacij conditur ante effigiem Beatiſſimæ Virginis, quæ olim dum puer eſſet, ab eo vultum averterat: Sepulchrum ejus marmoreum prodigioſè rumpitur, ex eoq; Oleum ſudori humano ſimillimum ſæpiùs ſtillavit.

In Libro Anniverſar. Eccl. Prag. ad diē 1. Julij inter alia de ipſo hæc lego, quæ alibi non invenio. *Idem ArchiEpiſcopus emit X. ſexag. groſſor. in reditibus in villa Libcowicz prope Raudnicz, quas Vicarius ArchiEp. Prag. qui erit pro tempore, in ipſa Eccleſia, de-*

bet tenere & percipere; & de ijsdem pecunijs XXX. tunicas barchonicas ad æſtatem, & totidem de panno griſeo ad hiemem annis ſingulis debet XXX. Clericis Choralibus miniſtrare. Idem in morte, Mille ſexag. groſſ. pro fabrica ipſius Eccleſiæ legavit. Item, idem Arneſtus emit villam Prziczowy Lub prope Sedlczan pro Eccleſia Prag. cum pleno dominio, ad panes altariſtarum ipſius Eccleſiæ; qui ſicut in panibus cum alijs miniſtris Eccleſiæ panem æqualiter percipiunt, ſic etiam cum eisdem miniſtris debent intereſſe diebus ſingulis Miſſæ majori, & proceſſionibus omnibus.

Joan. Archi-Ep. II. primus Legatus Natus & Cardinalis.

Huic in eodem munere ſuffectus à Capitulo Epiſcopus Olomucenſis & Canonicus Prag. & quondam *Præpoſitus* Capellæ Regiæ Collegiatæ Om. Ss. in Caſtro *Prag.* omnino primus, *Joannes Oczko* ſeu Ocellus, de Illuſtri prolapia Baronum de Wlaſſim & Genſtein, *Pauli* de Genſtein Cameræ Regni Notarij, & Guilhelmi de Wlaſſim germanus frater, *Primus* Apoſtolicæ Sedis Legatus Natus, poſtea etiam dignitate Cardinalitiâ decoratus (*a*) ſed vitæ imprimis Sanctitate, pijsq; operibus clarus: videantur Hagecius, *Pontanus*, Auguſtinus Moravus, Crugerius, Balbinus de illo fuſiùs narrantes. (*b*) Nos hîc quædam ex MS. Codice paucis adjicimus.

Anno 1364. in die S. Galli, in Eccleſiam Prag. & poſſeſſionem ArchiEpiſcopatûs inductus eſt. Præfuit feliciter Eccleſiæ prædictæ annis XVI. In fine anni XIV. Feriâ VI. Quatuor Temporum, quâ canitur: Venite adoremus; *quæ fuit dies XVII. menſis Septembr. per D. Urbanum Papam VI. in Cardinalem eſt creatus; cui etiam Capellum Cardinalatûs fuit miſſum, per D. Pileum Cardinalem Ravennatenſem, de anno 1379. menſe Martio, die 6. ejusd. menſis, in Dominica Reminiſcere, horâ quaſi Veſperarum, per eundem Cardinalem traditum, extra Civitatem Prag. in ſtrata Montis Cutnæ, circa cumulum lapidum, qui vulgò dicitur Pauſa, ſive requies B. Wenceslai*

(a *Odor. Raynald: in Annal. Eccl. Tom. XVII. ad an. 1378. & ſequ: illum ſingulariter laudat* à Fidelitate, *& appellat*, Schismaticorum hoſtem acerrimum. (b) *Hagek in Chron. Boh. ab an. 1364. uſq; ad an. 1380. Pontan. in Boh. Pia lib. 3. Auguſtin. in Cathalog. Epiſcop. Olom. Crugerius in Menſe Januar. die 5. Balbin. in Vita V. Arneſti lib. 2. cap. 14.*

ceslai Martyris, in præſentia Sereniſſimæ Principis D. Eliſabethæ Imperatricis Rom. & copioſa multitudine Baronum, Nobilium Regni, Prælatorum, Magiſtrorum, Scholarium ſtudij Pragenſis, & multorum advenarum partium diverſarum &c. Hic Joannes in honorem S. Erhardi Confeſſoris & Ottiliæ Virginis, conſtruxit in Eccleſia Prag. capellam in Choro, ibiq; elegit ſepulturam. Item in Caſtro Pragenſi ad omnes Sanctos, Miſſam de Beata Virgine inſtituit cantari per Miniſtros, ſingulis diebus ante Primam, quam ſufficienter dotavit. Prædictam Eccleſiam Omn. SS. quam plurimùm ſuis ſumptibus de novo conſtruxit. Item hoſpitale ſub Wiſſehrado, in honorem S. Mariæ de Humilitate, pro pauperibus ex ampla quondam fortuna & affluentia opum, ad extremam egeſtatem & indigentiam prolapſis, mendicare idcirco erubeſcentibus. Et aliud in Hradizano in honorem S. Antonij & S. Eliſabeth, *pro Clericis ſuæ Diœceſis.* (c) *In Eccleſia Wratislav. & Collegio Budiſſinenſi procuravit teneri ſolenniter feſtum S. Wenceslai, cum Hiſtoria propria & Miſſæ officio, in die ipſo, ad modum Eccleſiæ Prag. Hic oppidum Hoſtka, caſtrum Helffenburg cum ſuis pertinentijs emit pro menſa Epiſcopali: muros circulares dicti Caſtri, & alia ædificia de novo conſtruxit: Domum* Epiſcopalem *in minori Urbe Prag. turres & alia exſtruxit. Cui etiam tanquàm Legato Nato, Imperator oppidum Iluc in Bavaria donavit Diœceſis Ratisbon. & Eccleſiam in Bernow cum Jure Patronatûs.* Ita MS. Codex incerti Authoris. Beneſſium quoque noſtrum hic audiamus. *Mortuo,* inquit, *Reverendo Patre,* (nempe Arneſto I. ArchiEp.) *cujus memoria erit in benedictione in ſæculum ſæculi, & corpuſculo ipſius poſt magnificas exequias tradito ſepulturæ: ne Eccleſia Pragenſis diutiùs Paſtoris ſolatio orbaretur, Decanus & Capitulum ipſius Eccleſiæ convenientes in unum, ſtatuerunt terminum Electionis futuri Pontificis Vigiliam S. Margarethæ. Quo termino adveniente, Decanus & Capitulum congregati in loco Capituli, invocatâ Spiritus S. gratiâ, nullo alio tractatu præhabito, ſed mox quaſi per inſpirationem, omnes*

Ejusd. pia opera enumerantur; & alia, ex quibus apparet ipſius magnificentia, liberalitas, & ſanctitas.

(c) *Lib. 1. Erectionum an. 1375. 7. Julij.*

nes unanimiter nullo penitus contradicente, direxerunt vota ſua in Reverendiſſ. in Chriſto P. Dominum Joan. Epiſcop. Olom. Secretarium & Conſiliar. D. noſtri Imperatoris, qui a juventutis ſuæ annis ſemper eidem Domino, adhuc in minori ætate atq; dignitate conſtituto, fideliter adhæſit, & tribulationum ac laborum, tanquam fidelis ſervitor, particeps & conſcius fuit. Unde à Domino Imperatore, & univerſis Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, & generaliter à Clero, & à populo Regni præ alijs diligebatur; ipſum D. Epiſcopum Olomuc. in ArchiEpiſcopumCanonicè poſtularunt. Qui licèt allegaret ſuam ſenectutem, & poſtulationi de ſe factæ conſentire recuſaret; victus tamen precibus Domini Imperatoris & Principum, ac Decani & Capituli Eccleſiæ Prag. voluntatem & conſenſum ſuum poſuit in manibus Domini Papæ. Mox dirriguntur nuncij ad Sedem Apoſtolicam, Dominúsq; Papa informatus de idoneitate ac probitate perſonæ poſtulatæ, & modo poſtulationis, conſenſit eidem poſtulationi, & perſonæ poſtulatæ dedit licentiam tranſeundi de Eccleſia Olomucenſi ad Eccleſiam Prag. conceſſit etiam eidem, ut ſtatim ante receptum pallium, adminiſtraret in Spiritualibus & temporalibus. Cui per Venerabilem Epiſcopum Spirenſem poſtmodum tranſmiſit pallium, in quo deſignatur plenitudo ArchiEpiſcopalis dignitatis. Hic Vir adeptus ArchiEpiſcopalem dignitatem, manſuetudinem & benignitatem, quam priùs habuit, non minuit, ſed ſuper omnes patiens & mitis fuit. Hic in minoribus adhuc conſtitutus, ſequens veſtigia Domini ſui Imperatoris, dilexit S. Wenceslaum, & de pecunijs ſuis emit certos redditus pro Eccleſia Vratislavienſi, in qua tunc erat Canonicus; & procuravit, ut in eadem feſtum ejusdem Patroni, ſub duplici veneraretur officio & legenda, cum cantu, ad modum Eccleſiæ Prag. Unde & ipſe meruit, per interceſſionem ejusdem B. Martyris & Patroni noſtri Wenceslai, qui ſuos devotos ſemper promovet & exaltat, provehi ad hanc dignitatem. Exſtruxit etiam venerandus Pater, dum adhuc in Olom. Eccleſia Epiſcopali fungeretur dignitate, Capellam de miro opere in Eccleſia Prag. in qua inſtituit Capellanum ſeu miniſtrum perpetuum ſufficientibus redditibus donatum. Fundavit etiam hic Vene-

ran-

randus Pater, adhuc ante ſuam promotionem ſupradictam, hoſpitale pauperum virorum ac mulierum; eorum videlicet, qui aliquando fuerunt in divitijs & honoribus conſtituti, poſtea vero devenerunt ad paupertatem, ne tales cogerentur oſtiatim in vituperium ſuum, & amicorum ſuorum mendicare; & id ipſum hoſpitale ſufficientibus redditibus dotatum, collocavit ſub monte Wiſſehrado in loco ſatis delicato, (*d*)

Hic etiam Dominus Cardinalis (pergit ulteriùs MS. Codex) *turrim in Raudnicz perfecit; de novo etiam conſtruxit ibidem & erexit ſumptuosè Novam Civitatem in loco vinearum ex oppoſito Caſtri. Item, fontem pro uſu incolarum prædictæ Novæ Civitatis fieri mandavit. Et alia multa virtutum opera fecit, quæ hic causâ brevitatis omittuntur. Anno 1380. perceptis Sacramentis, videlicet ſalutari viatico Corporis Dominici, & Extremâ unctione die 14. menſis Januarij, hora noctis XI. vel quaſi, plenus dierum migravit ad Dominum: anno ætatis ſuæ 77. velut ipſemet ſanâ mente ſuis Secretarijs id ſæpius expreſſit.* Sepultus in Eccleſia Prag. in ſacello, quod ipſemet in honorem S. Gerhardi Confeſſ. & Ottiliæ Virg. erexerat, (*e*) marmoreo in tumulo, qui hodiéque ſpectatur integer, alabaſtrinâ effigie ſupernê incumbente decorus. Appoſita quoque in pariete inſcriptio talis:

Anno Domini 1364. defuncto Arneſto Primo ArchiEpiſ. Prag. Prælati & Canonici capitulariter congregati, unanimi conſenſu Joannem Epiſcopum Olomucenſem, Caroli IV. Imp. Secretarium & Conſiliarium Intimum, in ArchiEpiſcopum Pragenſem elegerunt. Qui poſtea Presbyter Cardinalis Baſilicæ XII. Apoſtolorum, & Legatus Natus, A. S D.N. Papa Urbano V. (nempe Legatus natus ab Urbano V. Cardinalis ab Urbano VI.) *creatus eſt; bona mobilia nonnulla pro ArchiEpiſcopatu Pragenſi propriâ pecunia emit, hoſpitalia pro pauperibus erexit. Anno M.CCC. LXXX. obijt, in hac Capella ab ipſo ædificata ſepultus jacet.*

Et Infra: *Anno Domini 1380. die 14. menſis Januarij obijt Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Joannes Baſilicæ XII. Apoſto-*

(*d*) *Beneſſ. Chron. Prag. lib. 4. ad an. 1364.* (*e*) *Lib. 1. Erect. an. 1367.*

ſtolorum Presbyter Cardinalis, olim ArchiEp. Pragenſis Sedis, Apo-ſtolicæ Sedis Legatus Primus.

Sed illud imprimìs eſt, quod innocentiam vitæ ejus commendet; nimirum, quòd Beatiſſima Virgo Maria quâdam vice, in ſacello arcis Raudniczenſis oranti, ſeſe aſpectabilem præbuerit, eúmque amabiliſſimo vultu, dulcíque alloquio conſolata fuerit. (*f*) Hic etiam ſtatutum Capituli, Canonicorum non præbendatorum, ſed Titularium duntaxat causâ latum an. 1377. *ne videlicet impoſterum portent in Eccleſia & proceſſionibus cappas, ne etiam vocem in Capitulo, nec ſtallum in Choro habeant inter Canonicos præbendatos, etiamſi in ſacris fuerint Ordinibus conſtituti; ſed poſt Canonicos præbendatos immediatè loco contenti ſint, donec præbendas Canonicales effectualiter in Eccleſia aſſequantur*, ratum habuit: quod demum etiam Bonifacius IX. confirmavit.

Joan. Archi-Ep. III. virtutes

Ejus Succeſſor *Joannes de Genſtein* Pauli de Genſtein, fratris filius, Miſnenſis Epiſcopus, Vir quoque fuit, & vitæ Sanctimoniâ, & eruditione inſignis; & ut Stransky, tametſi Scriptor acatholicus de eo refert; *Vir religioſiſſimus ac precationibus attentiſſimus.* (*g*) ideóque verus Patrui ſui imitator. Crugerium de illo narrantem audiamus: *Pietate in Deum, Deiparam reliquosq; Cœlites omnimodè tenerrima ferebatur: Sacris meditationibus adeo abripiebatur, ut præ hominibus quibuscunq; arctiſſima Deo familiaritate immergeretur.* Et infra: *in Miſnenſi Epiſcopatu præbendam, ut vocant, unam Divo Wenceslao Bohemorum Duci glorioſo Martyri ſacram erexit.* (*g*) *Sedlecijm Bohemia ad Sepulchrum Domini, quot ſeptimanis tria ſacra peragenda, pro be-*

ne-

(*f*) *Cruger. & Balbin. ſupra cit.* (*g*) *Exſtant in Libro II. Erect.* [illegible] *data Francofurti Mogunt. Diœc. an. 1380. 26. Marty. Nominat* [illegible] *de Genſtein & Margaretam progenitores ſuos. Item Reverendi* [illegible] *teceſſoris ſui Joannis Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyteri Cardinalis* [illegible] *trui ſui mentionem facit: ſicut etiam Martini, Pauli, & VVenceslai fratrum ſuorum de Genſtein ſive ac Genczeſtein.*

no[...] die Reſurrectione Domini, SS. Eucharistia, & Paſſione JESU Chriſti, fundavit dotavitq;. Anno 1396. ipſo die Paſcha (refert meus MS. Codex) *reſignavit ArchiEpiſcopatum, cum Capituli conſenſu, Wolframo ſororio ſuo. Et ipſe eodem anno equitat ad Curiam Romanam in negotijs Eccleſiæ Pragenſis, & etiam in rebus proprijs. Ibi anno ſequenti per Papam Bonifacium IX. ad Patriarchalis Alexandriæ dignitatis culmen* (cucullum induiſſe, ut volunt aliqui, nemo credat) *evectus eſt. Sed idem Dominus Patriarcha tertio anno migravit ad Dominum in Curia Romana, ibidem honorificè ſepultus; pius Pater pauperum, Clericorum, Orphanorum nec non Viduarum, cujus Anima requieſcat in pace.* Idem, ArchiEp. reſignat, & Romam abit, ubi moritur an. 1400.

Nonnulli viſione quâdam de imminentibus, & jam jam irrupturis in Regnum cladibus, & calamitatibus maximis præmonitum territúmque, ArchiEpiſcopatum reſignâſſe, & Romam abijſſe ſcribunt. (*h*) Et hoc ipſum alius MS. Codex de illo memorat ſequentibus: *Iſte Joannes olim Epiſcopus Miſnenſis, poſtea ArchiEp. Prag. inſtituit celebrari Feſtum Viſitationis B. Mariæ Virginis, & Hiſtoriam de eo Feſto devotam compoſuit, & procuravit, ut per totum Mundum hoc Feſtum celebraretur; & omnia Beneficia ſua dicebat ſibi dari interceſſione Beatiſſimæ Mariæ Virginis viſitantis. Iſte mortuus eſt in Curia Romana, & dicitur eſſe Beatus: quia videns ſomnium vel Viſionem terribilem, in domo ſua ad Pontem Pragenſem, quomodo vulgus invadit Clerum & perſequitur, & accipit ei Claves vi, intellexit futura mala in Bohemia, & advocans Doctorem Gallum magnum Aſtronomum, ille idem dicebat. Ideóq; propter hujusmodi Viſionem ceſſit ArchiEpiſcopatui, in favorem ſui conſanguinei Wolframi, cum conſenſu Capituli. Et mortuus eſt anno M. CCCC. die XV. Cal. Julij Romæ in monaſterio S. Praxedis.*

Wolframus Baro de Skworecz ArchiEp. in ordine IV. Præpoſitus antea Collegiatæ Eccleſiæ S. Apollinaris Pragæ, & Jo- VVolframi,

 annis

(h) *Balbinus in Vita Arn. lib. 3. c. 12. Cruger. ad d. 26. April. Bilegowsky in Hiſt. Huſſit. lib. 1. Stransky in Rep. Bojem. cap. 6. §. 16.*

annis Marchionis Luſatiæ Cancellarius, vir ſacrarum Litterarum, & aliarum etiam honeſtarum diſciplinarum ſcientiâ præclarè doctus. Inter Quatuor Viros pacandis in Regno ſeditionibus & turbis à Wenceslao Rege an. 1401. conſtitutos, erat primus.

Nicolai &

Nicolaus ejus ſucceſſor, Juris Civilis & *Pontificij* ſcientiâ præſtans, ſapientiæ quoque & aliarum virtutum ornamentis excultus, trium ArchiEpiſcoporum, ſuorum Anteceſſorum Vicarius in Spiritualibus Generalis: Obijt intra medium annum, veneno ab adverſarijs extinctus.

Zbynkonis ArchiEpp. encomia.

Zbynko Baro de Hazmburg, Præpoſitus antea Collegiatæ S. Petri Eccleſiæ Melnicij, & Canonicus *Prag.* altioribus quidem literis mediocriter imbutus, ſed naturali prudentiâ, conſilio, rerum gerendarum dexteritate, ac imprimis tuendæ Catholicæ Religionis zelo inſignis. Sub illo primum Huſſitarum hæreſis in Bohemia exurgere cæpit; cui ille pro officij ſui munere ita reſtitit, ut vix ab ullo alio fortiùs, diligentiùs vigilantiusque in ea rerum facie fieri potuiſſet. Pius II. Pontifex Maximus vicinus illius temporis hæc de illo recenſet: (i) *Zbynco cognomento Lepus, claris Parentibus in Bohemia ortus, per idem tempus Pragenſem Eccleſiam pontificio retinebat, conſilio & animo illuſtri. Qui orienti calamitati obviam ire cupiens, priusquàm amplius debacharetur, libros Joannis Wiclefi ad ſe ferri, omniumq; doctorum virorum conſilio adhibito, publicè concremari juſſit. Supra CC. volumina fuiſſe traduntur, pulcherrimè conſcripta, bullis aureis tegumentisq; pretioſis ornata. Joanni Huſſio predicatio interdicta, & adjecta minæ, ſi quando priores in populum errores vulgare ſuaderet.*

Verùm non multo poſt ArchiEpiſcopus, uti idem Pontifex memorat, dum in Hungariam ad Sigismundum Imp. & Hungariæ Regem contendit, ut ab illo (ſolus námque non ſufficiebat, & à Wenceslao Rege parum vel nihil penitus auxilij obtinere

(i) *Æn Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 35. Hagek ad an. 1410. Loebl. in Hiſt. Huſſitar. lib. 1.*

acere poterat) opem periclitanti in Patria Religioni impetraret, Poſonij à famulo ſuo, quindecim aureis, prout ipſemet deinde Bohemo-Brodæ deprehenſus in tortura faſſus fuerat) à quibuſdam Huſſij hæreſiarchæ fautoribus corrupto, Poſonij veneno extinguitur, anno 1411. Corpus Pragam delatum, in cryptā, quàm vivens pro ſe & Familia ſua fieri curaverat, ſub nova turri requieſcit.

Zbynko propter Religionē Catholicam veneno extinguitur:

Sunt aliqui bonæ fidei homines etiamnum ſuperſtites, qui locum hunc ſub turri, ubi aliquando Sacellum honori S. Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ & Bartholomæi Apoſtoli dicatum fuerat, ingenti luce coruſcantem, maximè verò oſtium cryptæ multo lumine, veluti facibus accenſis illuſtratum, ſeſe vidiſſe non ſemel teſtantur, etiam jurejurando id ipſum confirmare parati. Et non ita pridem viſa fuère ibidem omnia circa circum ardere, & quaſi incendium excitari: duo qui hæc viderant, intrare primùm volebant, ſed ſacro quodam horrore perculſi, deſtiterunt à propoſito, lúxque illa paulo poſt tota evanuit. Nec iſtud prætermittendum hìc exiſtimo; quòd dum quàdam vice excubitor, cujus aliàs officium eſt aſſiduò in turri præfata, veluti in ſpecula manere & vigilare, temulentus veſperi domum rediret, nec ſibi fideret, ut abſque diſcrimine caſûs aſcendendo ſurſum gradus ſuperare poſſet, inferiùs ſubſtitit ſub turri, & in aliquo aſſere propè ipſam defuncti cryptam, ad capiendam quietem, & exhalandam crapulam ſeſe compoſuit. Dum ecce! in medio noctis expergefactus videt ſibi adſtantem perſonam albis veſtitam, multóque lumine circumfuſam, & dicentem: *Neſcis hic requieſcere Sanctos, quod ebrius hic cubare & ſtertere audeas? ſurge ſtatim & abi, neq. ampliùs talis huc redeas, ne tibi aliquid deterius eveniat.* Extemplò itaque ſurrexit, & conſternatus totus, nec conſcendere gradus auſus, ad vicinam Capellarij ſive Æditimi domum divertit.

cujus ſepulchrum Superis curæ eſſe, hic uno atque altero exemplo oſtenditur.

Alius verò projectæ audaciæ nebulo, Campanatoris in Eccleſia aliquamdiu ſed malè functus officio, cryptam ipſam ingredi auſus fuit; videnſq; ibi tumbam ſtanneam, in qua hujus

 Bea-

Beatæ memoriæ ArchiEpiſcopi Corpus erat reconditum, operculum inde ſuſtulit. Quo patrato facinore ſtationem illic quietam nullam deinceps habere potuit, ita ut tandem loco cedere, & alio migrare cogeretur. Impunis tamen, Deo id ſcelus haud ſerò vindicante, non evaſit: brevi námque dato millesimo nomine, & alterius alicujus æquè gravis furti inſimulatus, ac teſtibus convictus, Glacij in patibulo publico, & quidem die ipſâ anniverſariâ, quâ ſacrilegium illud commiſerat, uti ipſemet demum fatebatur, laqueo pænas dedit. Omnia hæc ſunt adhuc in recenti hominum memoria; quæ profectò oſtendunt hujus pij Antiſtitis ſepulchrum etiam Deo ipſi curæ eſſe.

Antonij,

Antonius poſt reſtauratum à Ferd. I. ArchiEpiſcopatum Primus, inſignis facundiæ Præſul, & ſtullus, hâc Sancta Sede dignus, prout multa ab eo præclarè geſta fidem indubitatam faciunt. Erat priùs Ord. Crucigerorum cum rubea ſtella Magiſter Generalis, deinde etiam Epiſcopus Viennenſis & Canonicus Pragenſis. *(k)* Poſtea ad Concilium, quod erat à ſummo Pontifice Pio IV. in Urbem Tridentinam indictum, Cæſareus Orator eſſe meruit.

(k) *Acta Henr. Scribonij Præpoſ. Prag. fol. 84.*

Martini &

Hujus Succeſſor *Martinus*, Doctrinâ quoque, prudentiâ, multarum rerum uſu, & quinque linguarum cognitione inſignis. Pikhartitarum in Bohemia hæreſim egregiè compeſcuit, authorq; fuit, ut per publicum Rudolphi II. Imp. Edictum, templa vel conciliabula potiùs ipſorum omnia occluderentur, neque deinceps ullum ſacrorum exercitium ijs permitteretur. Hic idem etiam effecit apud eundem Imp. & Bohemiæ Regem, ut Calendarium Gregorij XIII. operâ emendatum, in Comitijs Regni 1584. die 7. Januarij à Bohemis reciperetur; latâ lege, ut ab omnibus in ſacris & prophanis, in foro & contractibus, idq; perpetuis futuris temporibus obſervaretur. *Statuta* quoq; Eccleſiæ & Capituli à b Arneſto I. ArchiEp. an. 1350. lata, ad petitionem Capituli, an. 1586. renovavit & confirmavit, quæ hodiéq; obſervantur, ut par eſt, ſanctiſſimè.

Zbygnæi ArchiEpp. præconia.

Zbygnæus Berka non minùs vetuſtate nobiliſſimæ in Bohemia Familiæ, quàm eximiâ virtute, morum elegantiâ, eruditione

ne ac ſapientiâ præſtans, in rebus gerendis magni uſûs & conſilij Vir, ideóque Rudolpho Imp. & Proceribus Regni etiam acatholicis imprimis charus: Doctorum virorum amicus & fautor maximus, Catholicæ Religionis tuendæ promovendæq; Zelotes ſummus. Hic Synodum Provincialem, cujus etiamnum confectæ juxta Tridentini Concilij decreta, extant typis impreſſæ ſanctiſſimæ Leges, Pragæ habuit an. 1605. Titulũ Principis, quo pridem ArchiEpiſcopi & Epiſcopi Pragenſes utebantur, in Comitijs etiam Imperialibus ſeſſione idcirco honorati, ſed injuriâ temporum oblivioni datum, à Rudolpho Imp. novo diplomate eam in rem dato, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis recuperavit.

Joannes ejus nominis III. ArchiEp. Prag. cognomento Lohelius, Abbas antea Monaſterij Strahov. Ordin. Præmonſtrat. Vir tam divinis quàm humanis literis apprimè excultus, & quod ſingulariſſimum, vitæ innocentiâ morúmque ſanctitate conſpicuus. Ad eam ſiquidem vitæ perfectionem perveniſſe viſus eſt, ut etiam ante obitum omnium opinione haberetur Beatus. Extant miracula, quibus in vita, & poſt mortem, Deo famuli ſui ſanctitatem teſtatam faciente, claruit, in Monaſterio Strahow. depicta: libellus etiam illa copioſè explicans. Joan. III. ArchiEp. vitæ ſanctimoniâ inſignis.

Huic rebus humanis exempto, ſucceſſit *Erneſtus* ejus nominis II. S. R. Eccleſiæ Cardinalis, magnum ſanè Illuſtris Familiæ Harachianæ decus. Cujus Viri modeſtiam, pietatem, clementiam, manſuetudinem vitæq; innocentiam: doctrinam, item & eruditionem, in rebus providendis perficiendisq; ſummam prudentiam, in extirpanda hæreſi maximum ſtudium, in converſatione & alloquio comitatem, in adverſis miram patientiam; & alia virtutum ornamenta, quibus toto vitæ ſuæ tempore floruit, nulla profecto ætas conticeſcet. Quamdiu Bohemia Catholicam Religionem profitebitur & colet, memoriam in benedictionibus dulcedinis recolet tanti Præſulis, cujus paternæ ſolicitudini ſe debere fatetur, reſtitutæ Religionis Catholicæ obſervantiam, extirpatam hæreſim, eliminata cum ſuis ſecta- Erneſti II. ArchiEp. elogiũ.

Cta-

ctatoribus peſtifera Wiclefi, Lutheri & Calvini dogmata, expurgata ac purioribus ſacris dicata templa, erecta pro juventute in literis erudienda Collegia & Gymnaſia, ſalutarem populi in religione reformationem, morum emendationem, Cleri abundantem copiam, denique Regni univerſi ſalutem. Obiit Viennæ redux Româ ab Electione Clementis IX. Papæ, an. 1667. die 25. Octobr. ibiq; in crypta Familæ Harachianæ eſt ſepultus.

Hæc de Illuſtrioribus Epiſcopis & ArchiEpiſcopis Pragæ dicta pro inſtituti noſtri ratione paucis. *Uno verbo*, ait Balbinus in Vita Venerabilis Arneſti I. ArchiEpiſc. *neminem ex Epiſcopis & ArchiEp. Prag. malâ morte obijſſe ſcimus; Duo, Albertus Moravus, & Conradus Weſtphalus in numerum non veniunt, pœnæ publicæ, quia ArchiEpiſcopatum, & pene Religionem ob avaritiam vendiderunt, ideoq; ArchiEpiſcopatu ſe ipſos privarunt.*

Aliorum poſt Epiſcopos & ArchiEp. Miniſtrorum Eccleſiæ Prag. laudes.

Jam inferioris Ordinis in eadem Eccleſia Prælatos & Miniſtros, qui haud inferioribus celebrantur laudibus, obſervabimus. Ex quibus non pauci, cùm ſanctimoniâ Vitæ, morumq; integritate, tum Nobilitate generis, eruditione, ſapientiâ, conſilio ac rebus præclarè geſtis: maximè verò conſtantiâ in adverſis admirabili, ac denique morte pulcherrimâ, quam nonnulli pro Chriſto & Catholica Religione haud gravatè ſubierunt, præ cæteris inclaruerunt. Et primi quidem ſub perſequutione Drahomiræ, poſt innocentiſſimam Divi Wenceslai cædem, clam & palam ab infidelibus occiſi; quorum nomina tametſi ignorentur à majoribus notari neglecta, atque ita memoriæ poſterorum ſubtracta, quod idem multis alijs Sanctiſſimis Viris recidit; conſtat tamen impijſſimam Jezabel Drahomiram tunc potiſſimùm ſævijſſe in Sacerdotes; & prout ſupra Radio III. retulimus, aliquos in arce Wiſſehradenſi palam vel interfeci, vel è vicina rupe in ſubjectum flumen præcipitari juſſiſſe; ad eoque non minori crudelitatis exemplo proceſſiſſe cum Pragenſibus, credibile eſt.

Proſtivog è Sacerdotibus Cathedralis D. Viti Eccleſiæ non po-

(*l*) *Balbin. in Vita Arn. I. lib. 3. in Not. ad cap. 1.*

poſtremus: Vir planè Apoſtolicus, cui S. Adalbertus Epiſcopus vicinam D. Mathæi Apoſt. Eccleſiam regendam commiſerat. Hic amore propagandæ doctrinæ Chriſtianæ, ſubinde etiam foras ad pagos Urbi viciniores excurrebat, Chriſti Evangelium prædicans: quod iniquo ferens animo Hrabodog Wrſſovicenſis, præpotens eâ tempeſtate Dynaſta, ſed gentili ſuperſtitioni pertinaciſſimè & totus deditus, ad eum quocunque tandem modo è medio tollendum, animum adjecit. Itaque invitatum ad ſe Ruzinam (pagus eſt Albo monti proximus) ſub ſpecie audiendi ac capiendi aliquid de fidei Chriſtianæ myſterijs, benignè quidem ſuſcepit lautéque habuit; interim ſatellites ſuos, quos habebat ad omne facinus promptiſſimos, ſecretò vocat, & quid fieri velit, eos edocet; nimirum, ut Sacerdotem Pragam redeuntem antecedant, & in aliquo opportuno loco ex improviſo aggrediantur & mactent; atque tacitè id habeant, edicit. Sic ille bonus vir domum proficiſcens, nullúmque ſubeſſe dolum, nullam fraudem, nullas inſidias exiſtimans, in manus ſceleratorum latronum incidit; quem illi ſummâ vi apprehenſum, ac primò omnibus ludibrijs & convitijs proſciſſum, deinde impactâ in frontem ſecuri, multiſque alijs vulneribus crudeliter affectum, trucidârunt, corpore ſub quercu in terram obiter defoſſo. Non potuit tamen hoc ac tantum facinus ita eſſe occultum, quin ad Boleslaum cognomento Lenem, Boleslai ſævi filium, Principem pijſſimum, paulo poſt deferretur: qui corpus Apoſtolici viri inde levari, & in Eccleſia S. Matthæi Apoſtoli, cui ut diximus, per aliquot annos laudabiliter, & cum magno Credentium fructu præfuerat, ſepeliri juſſit. Inſuper locum cædis, ac effuſi tam innocentis ſanguinis, adeò venerari voluit, ut templum ibi honori Beatiſſimæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, & Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani MM. ædificari magnificè & ex lapide, quod tunc rarum erat, curaverit. Stat illud in hodiernum usque diem, non ita pridem ab Excellentiſſimo DD. Bernardo Ignatio Comite de Martinicz fundi illius Domino, quà ſupremo Regni Prorege ſeu Burggravio, gratiosè renovatum.

 Qui

Præpoſitus Eccleſiæ Prag. primus, ejúsq; Succeſſores, promovendæ Chriſtianæ Relig. ſtudioſiſſimi.

Qui primus Collegij Sacerdotum, quod ad Divi Viti Templum, S. Wenceslaus *divinitùs inſtructus canonico more inſtituerat*, *(m)* Præpoſitus extitit, *Gerhardus* nomine fuit, Bavarus quidem origine, ſed linguæ Slavicæ benè peritus, à Bohemis Giraus dictus; quem magno pietatis Zelo, nec minori Chriſtianæ Religionis propagandæ ſtudio viguiſſe, adeóque novellæ Eccleſiæ verbo & opere vitæ multùm profuiſſe, in vetuſtiſſimis Archivi noſtri Capitularis ſcriptis invenio. Erat hic, uti Radio III. oſtendimus, è cætu illorum Sacerdotum, quos Divo Wenceslao regnante, è Bavaria in Bohemiam, haud parvo numero veniſſe memorat Author Vitæ ſeu Paſſionis S. Wenceslai Anonymus, hiſce: *In tempore autem illo, multi Sacerdotes de Provincia Bavarorum & Suevorum audientes famam de eo* (nempe Wenceslao) *confluebant cum Reliquijs Sanctorum & Libris ad eum: quibus omnibus habundè aurum & argentum, cruſinas & mancipia atq; veſtimenta hilariter, prout unicuiq; opus erat, præſtabat.* (n)

Huic in bonitate vitæ morumque integritate haud impares fuiſſe cenſentur Hoſtivod Gerhardi ſucceſſor & *Willico*; cujus Author vitæ S. Adalberti, ſive is ſit Coſmas Decanus, ſive Sylveſter II. Pontifex Maximus hanc mentionem facit. *(o)*

In ſomnis quoq; apparuit ei (nimirum S. Adalberto) Dominus ſuſcitans eum, & de lentò ſopore ſurgere jubens. Inquit ille; *Quis es tu tam imperioſæ auctoritatis, vel cujus rei gratia quietem frangere jubes?* Reſpondit; *Ego ſum JESUS Chriſtus, qui venditus ſum, & ecce iterum vendor Judæis, & tu adhuc ſtertis?* Ille expergefactus ſecum tacito corde pertractat, quidnam hæc viſio vellet. Admonet ſolvendæ quæſtiunculæ ſocium, elegantem virum *Williconem: hic honore Præpoſituræ præerat cæteris.* Hunc vir ſanctiſſimus conſiliorum ſuorum participem fecit; cui cum ſuam viſionem exponeret, reſpondit in propria verba & co-

(m) *Joan. Epiſcop. Litomiſsl. in Vita S. VVenceslai.* (n) *MS. Anon. Libro* [illegible] *dior. in pergamen. de Vita ſeu Paſſion. S. VVencesl. quem ego puto eſſe* [illegible] *zonem Ep. Prag. V.* (o) *MS. Vita S. Adalberti apud Coſm. cap. 10. apud* [illegible] *rium cap. 14. apud Bzowium cap. 17.*

& cogitationes ille mitiſſimus Heros: *quando venduntur Chriſtiani Judæis, hanc venditionem patitur JEſus Chriſtus, cujus nos ſumus Corpus & membra, à quo movemur & ſumus.* Hæc S. Epiſcopus æquâ lance perpendens &c.

Bolchoſt item & *Myslibor* à Boleslao Principe, totius Cleri Populique Bohemici nomine, Romam pro S. Adalberto in Bohemiam reducendo Legati miſſi, *(p) Pokorzinus* Willici ſucceſſor, cui S. Adalbertus anno 995. vel ſequenti, cum Fratre Gaudentio in Poloniam diſcedens, Pragenſem Eccleſiam, & ſupremam ſacrorum adminiſtrationem commendavit (*q*)

Marcus, poſt Jaromirum Wratislai Regis fratrem ad Epiſcopatum promotum, Præpoſitus Pragenſis creatus; Vir cùm nobilitate generis, tum eruditione, ſapientiâ ac rebus in eadem Eccleſia præclarè inſtitutis, longè clariſſimus. De cujus laudibus Scriptorem coævum, & ſub ipſo in eadem Eccleſia Canonicum primò, deinde Decanum Coſmam audiamus: *Qui r)* (nempe Jaromirus, alio nomine Gebhardus) *cùm perveniſſet Pragam, eo die quo juxta morem poſſedit Epiſcopalem Cathedram, dat Marco Capellano ſuo ejusdem Eccleſiæ Præpoſituram: qui ſecundùm hominis genituram, Nobili ortus erat Atavorum proſapiâ, ducens Originem de gente Theutonica* (ſic legitur in impreſſo; in MS. tamen invenio, *Slavonica:* hinc Hagecius, Balbinus, Crugerius, & alij, ſtirpe Comitum de Bſſow, ſeu de Melnik Divæ Ludmillæ, & Hroznatæis, Wrtbæis atque Guttenſteinijs modernis cognata, ortum communiter aſſerunt) *pollens ſapientiâ præ cunctis, quos tunc habuit terra Bohemica. Nam in omnibus liberalibus artibus valdè bonus fuit Scholaſticus, qui potuit dici & eſſe multorum Magiſtrorum didaſcalus. In divina verò pagina interpres mirificus, in Fide Catholica & in lege Eccleſiaſtica Doctor magnificus: quicquid tamen religionis, quicquid regularis inſtitutio*

Marci Præpoſiti laudatiſſimæ qualitates.

Coſmas ad an. 1068.

Aaaa 2 tio.

(p) *Hagek ad an. 977. (ſed debet eſſe 987.)* (q) *Hagek ad an. 995.* (r) *MM SS. Coſmæ & aliorum in Archivo Capitul. Prag. Hagecius ad an. 1066 Balbin. in Originib. Comitum de Guttenſt. cap. 10. ad fin. Crugerius in ſacris Memor.*

tionis, quicquid honoris hac eſt in Eccleſia, hic ſuâ erudivit & ordinavit ſapientiâ. Priùs enim erant irregulares, & nomine tantum Canonici, inculti, indocti, & in habitu laicali in choro ſervientes, velut acephali aut beſtiales Centauri viventes. Quos vir prudens Marcus ſuis verbis & exemplis inſtruens, & è multis meliores, quaſi de prato excerpens flores, ope divinâ cooperante XXV. fratres ordinavit, dans eis religionis habitum, & ſecundùm regulam, æqualem cibi & potus menſuram. Sed cùm ſæpe aut negligentiâ miniſtrorum, aut occaſione aliquâ magiſtrorum, intermitteretur fratrum præbenda, & inde ſæpe eum fratres affligerent ſuâ querimoniâ; volens placere eis per omnia, decimationis illorum quartam partem ſibi aſſcribens, tres inter fratres dividit, ita ut unusquisq; fraternæ annuatim XXX. modios tritici, & totidem avenæ, inſuper & IIII. denarios ad ſeptimanam pro carne, ſine intermiſſione haberet. De cujus Deo placitis actibus plura poterant dici relatu digna: ſed meliùs eſt, ut de his ſileam, quàm videar è multis dixiſſe pauca. Hic beatæ memoriæ Præpoſitus, poſt XXX. annos, quibus hujus Eccleſiæ rexit Præpoſituram, jam cœleſti regno beatam commiſſi talenti recepturus uſuram, XVIII. Calend. Decembris migrat ab his tenebris ad lucis amæna perennis.

Zbutko de Kolowrat Fundator Eccleſiæ B. V. Vetero Boleslau:

Zbutko de Kolowrat Canonicus Prag. & poſtea, Hermanno Præpoſito Boleslavienſi ad Epiſcopatum Prag. promoto, Præpoſitus Boleslav. Vir Nobilitate, prudentiâ & optimis moribus conſpicuus; omnibus benevolus, & omnibus eximiè charus. Benefactor noſtræ Eccleſiæ ſingularis, primúsque templi Beatiſſimæ Virginis Mariæ Vetero Boleslav. extructor & fundator: de quo in vetuſtiſſimo quodam diverſarum litterarũm Eccleſiæ noſtræ Regeſto, hæc notata invenio. *Žbutko Eccleſiæ Boleslav. Præpoſitus, & Eccleſiæ Prag. Canonicus, in Boleslavia ædificavit Eccleſiam S. Mariæ Virginis, & S. Georgij. Hic de Bonis patrimonialibus in Lethman, milliare à Praga, donavit prædium ſuum Eccleſiæ Pragenſi. Item, Slaiinam ſuum patrimonium donavit Eccleſiæ Pragenſi. Item, in Brzezan animatores, & omnem fructum cum prato, Canonicis Eccleſiæ donavit cum excommunicatione terribili. Sigil-*

gillum Brzetislai Ducis Bohemiæ, & Hermanni Epiſcopi Prag. anno 1098.

Henricus Zdik Wratislai I. Regis minimus natu filius Pragenſis Præpoſitus, ac demum Olomuc. Epiſcopus, vir ſanctimoniâ vitæ illuſtris, ita ut paſſim in ſcriptis & tabulis *Beati* nomine honorari mereatur. Propagandæ Fidei Chriſtianæ ſtudioſiſſimus: qui aſſumptâ Cruce (bonâ Innocentij Papæ II. veniâ) collectóque exercitu duxit adverſus Prutenos tum idololatras, & multos partim armis, partim prædicatione ad Fidem convertit. Bis etiam devotionis cauſâ Hieroſolymam peregrinationem ſuſcepit; ſemel anno 1123. dum adhuc Præpoſitus eſſet, cum Dluhomilo, Humprecto & Gilberto Comitibus, & alijs itineris ſocijs; atque iterum, Epiſcopus jam exiſtens, anno 1137. quo toto ibidem manſit, & ſequenti demùm, poſt peracta Hieroſolymis Paſchæ ſolemnia, in Patriam redijt. Henricus Zdik ex Præpoſitus Prag.

Auguſtinus Moravus Præp. Olom. in Cathalogo Epiſcoporum Olom. ſcribit illum *Strahovienſi in Cœnobio Pragæ vitam religioſam profeſſum priùs*, quàm Cathedram Olomucenſem conſcendiſſet: verùm id ſuſtineri nequaquam poteſt. Nam Henricus factus eſt Epiſcopus Olomuc. anno 1126. cœnobium verò Strahovienſe primò conditum eſt anno 1140. à Wladislao Duce, poſtea Rege, aliquo ipſius initio jam antea per Sobieslaum Ducem facto anno præcedenti; idq; ut plurimum hortatu Epiſcopi, de quo loquimur, Henrici paulò ante ex itinere Hieroſolymitano reducis, qui apud utrinque Ducem, hunc germanum fratrem, illum a Wladislao altero fratre nepotem, omnia poterat; & qui Cœnobium hoc, ex ſitu loci, quod aliquam ſimilitudinem Montis Sion, qui Hieroſolymis eſt, haberet, *Montem Sion*; ſicut Cœnobium alterum, quod ſuo quoque hortatu Sobieslaus in vivis adhuc ædificaverat, *Syloe* appellari voluit: exemplo haud dubiè Brzetislai Suatopluci Ducis à Tiſta Wrſlovecio anno 1109. ex inſidijs occiſi, filij, ductus: qui anno 1132. Hieroſolymis redux, templum & Cœnobium quod Litomiſslij, ditionis ſuæ, magnificè extruxerat, Montem Oliveti indigitaverat: de quo Non ex Profeſſo Strahovienſi fit Epiſcop. Olomuc.

ſuo loco egimus copioſè. Nec primi hujus novi Cœnobij Montis Sion erant incolæ Præmonſtratenſes, ſed alij ab Henrico, ex diverſis locis tam religioſi, quàm alij viri probi collecti, & in Cœnobium hoc inducti; quibus ille unum nomine Blaſium, qui præ cæteris videbatur doctrinâ & virtutibus inſignis, præfecit. Jaroslaum, qui tunc vivebat inter Canonicos Pragenſes primò, deinde in Monte Sion religioſam vitam profeſſus, de eo referentem audiamus. (*s*) *In diebus illis, regnante in Regno Romanorum Rege Conrado, & in Bohemia principante Duce Sobieslao, Zdico, qui & Henricus bonæ memoriæ Olomucenſis Epiſcopus, habitum noſtrum quem Hieroſolymis viderat ſuper ſepulchrum Vitæ, ſuſceperat cum multo, ſicut tradunt, imbre lacrymarum: & abdicavit ibi tam eſu carnium, quàm cæteris vitæ blandimentis, reportabat memorato Duci & Bohemis, ſicut novum hominem, ita & novum Ordinem. Quo Duce in brevi defuncto, ſucceſſor ipſius Illuſtris Wladislaus, nec non etiam Uxor ſua nobiliſſima Gertrudis, ſoror prædicti Regis Conradi, ſuccenſi exemplo & hortatione præfati Epiſcopi, novam Eccleſiam novo condunt Ordini, erigentes fabricam venuſtiſſimam in monte Strahow, mutato nomine ipſius, in Monte Sion, anno Domini 1140. Quibus optimè cooperabatur idem Epiſcopus, maximè in ſpiritualibus coadunando undecunq; poſſet religioſos fratres, quibus præfecit imprimis quendam Blaſium. Poſtquam verò liquido comperit de inſtitutione Pramonſtratenſis Eccleſiæ, quod inde eſſet initium Ordinis, & magiſterium vitæ regularis, illicò habitâ deliberatione cum ipſis Fundatoribus, unanimi voto miſerunt, & de Stenfeldenſi domo Conventum poſtularunt.*

Et quidem tunc temporis Ordo noſter, licèt nec dum dilatatus, magno tamen fervebat zelo, tum in Præmonſtrato, tum in omnibus Eccleſijs noſtri Ordinis; & maximè in Stenfeldenſi Eccleſia, quæ nullam habuit, vel habet, in religione ſecundam. Cujus tunc ſuaviſſimo tracti odore Principes terrarum, undecunq; gaudebant Eccleſias fundare novas, & perſonas Ordinis evocare ad illuſtrationem Provinciarum ſuarum. Inter quas & iſti Fundatores, de quibus jam ſermo eſt, porrigentes petitionem ſuam, primùm Capitulo, deinde

Sten-

Stenfeldenſi Eccleſia, quod piè poſtulant, pleno comprehendunt effectu. Nam committitur Stenfeldenſi Præpoſito, ut negotium eorum promoveat, & deſiderata concedat. Porrò Præpoſitus vir Deo plenus, non tardat in his, quæ in mandatis acceperat: ſed aſſumptis ſecum fratribus, & Domino Godeſcalco, qui poſtea Abbas in Syloa factus eſt, proficiſcitur in Bohemiam. Pragam venit, devotè ſuſcipitur; obligat ſe ad ſuſceptionem loci: tandémq; repatrians dimittit ibi memoratum Godeſcalcum à latere ſuo cum fratribus, qui Conventui habitacula præpararent interim lignea. Quibus peractis, iterum poſt anni circulum idem Præpoſitus revertitur, adducens ſecum conventum Clericorum unà cum Abbate, quem elegerant, cui nomen Gezo: qui Dominum Godeſcalcum libenter apud ſe retinuiſſet, ſed Præpoſitus ſuus jubet eum redire in Stenfeld, ad id expectandum, quod ei divinitùs fuerat præordinatum. Alius verò de eodem Henrico Epiſcopo, & de novo habitu ab illo Hieroſolymis ſuſcepto, narrat hoc modo. (t) *Idem Henricus quantæ religionis, quantiq; conſilij fuerit, opera ejus clarè edocent: nam Eccleſiam S. Wenceslai in Olomucz à Principibus inchoatam feliciter conſumavit, ac de licentia Summi Pontificis Domini Innocentij II. ab Eccleſia S. Petri illam tranſtulit, faciens Cathedralem, ac decorans rationali aureo, nec non pretioſiſſimis ornamentis: de ligno etiam S. Crucis de Hieroſolymis apportato tribuit magnam partem. Et dum eſſet Hieroſolymis aſſumpſerat habitum & regulam S. Auguſtini, ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam: Inſuper unà cum Duce Wladislao & ejus conſorte Gertrude, fundavit Monaſterium Ordinis Præmonſtrat. in monte Strabow, quem appellaverat montem Sion.*

(t) *MS. Anonym.*

Manet igitur, Henricum non fuiſſe religioſum profeſſum Strahovienſem Ord. Præmonſtrat. priùs quàm Epiſcopum; ùt perperam vult Auguſtinus, & qui illum ſequuntur, uti Crugerius & alij: ſed Canonicum & Præpoſitum Eccleſiæ Prag. uti nos ex fide dignis ſcriptoribus, licèt non dum in lucem editis, liquidò oſtendere poſſumus.

Sed major circa annum fundationis Monaſterij prætacti Mon-

Montis Sion controverſia eſt. Author relatus ſupra, & coævus quidem, habet annum 1140. alij communiter annum 1143. Ego coævo ſubſcribo; *pluris námq; facit apud me oculatus teſtis unus, quàm auriti decem!* id tamen admitto; poſtquàm primi illi fratres religioſi ab Henrico congregati, aliquamdiu unà vixiſſent Deo ſervientes, ſuperveniſſe deinde an. 1143. Præmonſtratenſes, ab eodem Henrico & Wladislao Duce invitatos, & locum occupâſſe, ac fortaſſe etiam primos illos loci incolas ad ſui inſtituti regulas perduxiſſe; atque ita conciliare poſſumus utrumque. Non pridem è Bibliotheca Capitulari mihi venit ad manus grande MS. volumen, continens diverſi generis Epiſtolas Ivonis Epiſcopi Carnotenſis; inter quas ultimo pene loco, ſub num. CXCII. inveni etiam literas Capituli generalis Præmonſtratenſis, hac ipſa de cauſa, cujus modò mentionem fecimus, ad Henricum datas; quas cùm ad commendationem ejuſdem Henrici quondam Præpoſiti noſtri plurimùm faciant, meritò hìc apponendas cenſui. Sic autem habent.

Dei Diſpoſitione Moravienſis Eccleſiæ merito Sanctitatis Reverendiſſimo Epiſcopo, humilis Conventus in nomine Domini in Præmonſtratenſi colloquio congregatus, ſuas & omnium ſuorum Fratrum orationes. Juſtæ ac religioſæ petitioni veſtræ à Deo, ut credimus, inſpiratæ, devotus aſſenſus præbendus eſt, adeóq; quod petitis, nullatenus denegandum. Et quoniam Deo annuente, juxta Veſtrum deſiderium, Conventum Vobis mittere diſponimus, precamur Veſtram Sanctitatem, de quâ ſupra abundanter confidimus, quatenus eundem Conventum manuteneatis, diligatis, confoveatis. Tunc verò, quia præſentiam Veſtram noſtræ humilitatis colloquio repræſentare quandoq; deſideratis, Deum totius Boni amatorem exoratum habere praoptamus, ut id ipſum adimplere opportunè valeatis. Nos autem ſperabimus in adventu tali, tanti Pontificis atq; tam religioſi, Spiritûs Sancti chariſmatibus affluenter condonari. Et vos, & ea quæ diligitis in Chriſto, Valeatis. Annus non eſt appoſitus, nec dies: quod doleo.

Obijt Henricus anno 1150. vel ut quidam notaverunt & inlîûit,

lius, 1151. die 1. Julij. *plenus*, ait Pulkava, *bonis operibus, & in ſenectute bona*; in Eccleſia Montis Sion Pragæ ſepultus. Jam ad alios transeamus.

Henrici ſucceſſor *Hermannus Baro de Wartmberg*, Beneſſij hujus nominis & Familiæ I. filius, ex Magdalena Kolowratea genitus, Vir nobilitate præſtans, & pro ſeculi iſtius modo egregiè doctus: quæ duo, Nobilitatem nempe generis & doctrinam, exornabat quoque plurimùm ſingularis in Deum pietas, rerum agendarum magnus uſus, placida erga omnes benevolentia, & mores per omnia incorruptiſſimi. Wladislao I. & Sobieslao I. Ducibus ſummè acceptus.

Henrici ſucceſſores viri quoq; Illuſtres & Spectatiſſimi.

Ulricus Præpoſitus, Vir ab illuſtri Nobilitate, eruditæque virtutis nomine clariſſimus, Bivogij Comitis & Kaſſæ ſororis Libuſſæ atnepos, Familiæ quondam celeberrimæ de Hazmburg dictæ: cujus Majores cum Czecho & Lecho in Bohemiam è Croatia veniſſe conſtat.

Ulricus item II. & III. Præpoſiti quoque Prag. ille Hazmburgeæ, hic Czerninianæ gentis: uterque propter morum elegantiam, pietatem, literarúmque cognitionem inſignis. Sed ille præcipuè propter Zelum honoris Dei, & Eccleſiaſticæ libertatis, quam adverſùs Ottocarum I. fortiter defendit, commendandus.

Hroznata Præpoſitus, Marci ſupra memorati cognatus, ex eadem ſc. nobiliſſima Familia Comitum à Bſſow & Melnik, ex qua fuerat D. Ludmilla, ortus: ſed & pietate ac religione præſtans, Ordinis Præmonſtrat. tunc in Bohemia exurgentis præſertim monaſterij Montis Oliveti Litomiſslenſis ſingularis amator & promotor.

Coſmas, de quo jam ſæpiùs diximus, ejus nominis II. Eccleſiæ Pragenſis Decanus, antiquiſſimus & primus (quantum ſcio) Bohemicæ Hiſtoriæ conditor; cujus Opera hodiéque extant typis edita; omnium verò exactiſſimè in Archivo Capitulari, in vetuſtiſſimo quodam Volumine manuſcripto, quod facilè trium ſæculorum ætatem ſuſtinet. Vir latinis literis, uti appa-

ret ex ejus ſcriptis, & alijs humanioribus æquè ac ſublimioribus ſcientijs, apprimè excultus.

Henricus Baro de Lippa Decanus (*u*) ac poſtmodùm Præpoſitus, Cathedralis Eccleſiæ poſt miſerabile incendium 1142. reſtaurator, vir prudens, doctus, liberalis ac eloquens & corpore præſtans. *Reda* Capellanus regius, & Altaris Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ in Cœlos Aſſumptæ in Eccleſia Prag. Miniſter, ſive, ut nunc vocamus, Altariſta, octogenarius ſenex: cui dum ſacra faceret, poſt Elevationem Dominici Corporis & Sanguinis, Beatiſſima Virgo apparuit, eúmque, finito Miſſæ Sacrificio, Wladislaum conjugémque ejus Gertrudem, pijſſimos utique Principes, & erga Sacra liberaliſſimos accedere, ac ipſis in certa Gilovienſi fodina, quam exactiſſimè ipſamet deſcripſerat, magnam auri copiam revelare juſſit. Repertiq; ſunt auri puriſſimi quatuor & viginti centenarij, (*x*)

Beatiſſima V. revelat aurum Gilovienſe in copia.

Albertus ſive etiam *Adalbertus* Wladislai Regis filius, ex Gertrude, filia S. Leopoldi Auſtriæ Marchionis genitus, Canonicus Prag. ac ſimul Præpoſitus Melnicenſis, poſtea an. 1168. etiam ArchiEpiſcopus Salisburgenſis, qui propter eximiam vitæ ſanctitatem à ſcriptoribus paſſim titulo *Beati* decoratur. Sedis Apoſtolicæ propugnator acerrimus, in quo laus ipſius eſt memorabilis, quod ſpretis Friderici Imper. minis, & Bohemorum animatus exemplo, Victorem Pſeudopapam deteſtatus, in Alexandro colendo immotam conſtantiam tenuit; inſuper edicto cavit, ne quis ex ſibi ſubjectis alium, quàm Alexandrum III. Pontificem agnoſceret: multis propterea ab Imperato Schismatico vexatus injurijs, & ultimò etiam exilio multatus. Poſtea tamen redditâ Eccleſiæ pace, Sedi ſuæ eſt cum honore reſtitutus. Obijt anno 1200. 7. Idus April. Salisburgi ſepultus.

Florianus Præpoſitus, & *Zdulaus Decanus*, eximiâ virtute, eruditione & in rebus gerendis ſingulari dexteritate prædití, ideóque Friderico Principi, ejúſque ſucceſſoribus Brzetislao-Henrico, & Przemislo ſummè grati & accepti.

Arnol-

(*u*) *Coſma Paralipom. ad an. 1142. Paprocius in Familia Baronum de Lippæ.*
(*x*) *Hagek ad an. 1145. Pontan. in Boh. Pia lib. 1.*

Arnoldus Decanus propter inſignem prudentiam, eruditionem ac rerum experientiam, eidem Przemyslo jam Regi, primùm valdè charus; ſed ubi Eccleſiæ privilegia & Sacerdotalis libertatis jura tueri, pro eo ac debebat, incepiſſet, adeò exoſus, atque tam gravibus injurijs expoſitus, ut cum Epiſcopo Andrea ſolum vertere cogeretur. Brevì tamen à Rege pænitentiâ malefactorum tacto, ab exilio revocatus, priſtinum gratiæ locum recepit, & Eccleſiæ ſuæ bona multùm promovit.

Legitur in Vita S. Guilhelmi ArchiEpiſcopi Bituricenſis, quòd eidem Decano Pragenſi anno 1218. Romæ cum Epiſcopo tunc agenti, idem S. Guilhelmus apparuerit, eúmque admonuerit; velit Pſalm. *Judica Domine nocentes me*, cum addita Oratione commemorationis ſuæ, diligenter orare, ſore ut brevì conſolationem ſentiat, & melióra omnia, ipſúmq; optatum in patriam reditum experiatur. Id alij Andreæ Epiſcopo accidiſſe volunt, ſed Vita S. Guilhelmi expreſſè habet: *anno 1218. Venerabilis Vir Decanus de Boëmia &c.** Audiamus, quod Joannes Bollandus Soc. Jesu hiſtoriæ Sanctorum excolendæ natus, ejúsque ſcientiſſimus Vir, de hoc refert, ex quodam vetuſtiſſimo MS. Codice, qui Vitam ejusdem S. Guilhelmi continet, & qui in Bibliotheca Patrum Soc. Jesu in Domo Profeſſa Antverpiæ ſervatur, ubi ſic habet.

*Vita S. Guilhelmi apud Bolland. Tom. I. ad d. 10. Jan.

Præſentibus ergo ibi (nempe Romæ) bonæ memoriæ Giraudo Archiepiſcopo, Cantore, & pluribus alijs Canonicis Bituricenſibus, & pro canonizatione Viri ſancti Willelmi vehementer inſtantibus, cùm usq; adeò fuiſſet in negotio illo proceſſum, ut ſententia proferri deberet infra diem præfixam, ad hoc judicium humanum, quod aliquando titubat, in divinis hujusmodi virtus declarata miraculi confirmavit. Eo tempore præſens erat ibidem Venerabilis Vir Decanus de Boëmiâ, vir honeſtus & timens Deum, qui de remotis valdè partibus veniens pro quodam arduo Eccleſiæ ſuæ negotio, ſub grandi ejusdem negotij diſcrimine laborabat. Quodam ſero, poſt diuturnum laborem oratione completâ in Eccleſia B. Petri Apoſtolorum Principis, cui ſui curam negotij commendârat, rediens ad

Res mira, quæ accidit Arnoldo Decano Prag. dum eſſet Romæ.

hoſpitium obdormivit. Et ecce vir facie reſplendens, & veſte nitidus, in ſomnis illi apparuit, eum ſuo nomine vocans ita: Decane, quid turbaris de tuo negotio? Acquieſce conſilio meo, & expedietur in brevi. Dic ſæpè & ſæpiùs Pſalmum illum: Judica Domine nocentes me &c. (*) *uſq; in finem Pſalmi, & in memoriam B.*
* *Pſalm. 34.* *Willelmi Bituricenſis ArchiEpiſcopi, ſubjunge orationem illam:* Exaudi Domine preces noſtras, quas in Sancti Willelmi &c. *Cui taliter viſus eſt reſpondere: Domine neſcio, quis ſit ille Willelmus, nec nomen illius Civitatis agnovi. At ille eadem exhortans, ut diceret, id adjecit, ſcilicet quòd ille erat Sanctus, qui per Apoſtolicum infra breve tempus canonizari debebat. Expergefactus Decanus, & aliquantulum de viſione turbatus, Archidiaconum Eccleſiæ ſuæ, qui ſui negotij particeps & ſocius venerat, dormientem ſecum in eodem thalamo excitavit, admonens, ut ad Matutinas conſurgeret decantandas. Sed advertens Archidiaconus, quod nec dum tempeſtiva hora venerat ad ſurgendum, & intelligens eum ex aliquo accidenti eſſe turbatum; cauſam ſomnij præter ſolitum interrupti ſciſcitatur ab eo. At ille ſemplenè reſpondens; viſum eſt, inquit, mihi, quòd quidam mihi apparens in candido habitu loquebatur, ſed quæ mihi dixerit, vereor enarrare. Cui Archidiaconus: Dormite Domine mi, & requieſcite, nec enim de talibus viſionibus eſt curandum. Cùmq; Decanus iterum obdormiſſet, ecce præfatus Vir, ſicut in primo viſu, apparuit, & omnia quæ priùs dixerat replicans, hortatus eſt diligenter, ut omnia retineret & diceret, ſi ſuum vellet negotium expediri; & etiam minas adjecit ad ultimum, quòd illi malè accideret, ſi circa hæc ageret negligenter. Surgens ergo quàm citiùs, & horis matutinalibus decantatis, adijt quendam virum honeſtum pariter & maturum, Pragenſem Epiſcopum, qui & ei notus erat, & ſecretæ vinculo familiaritatis adſtrictus. Cui vocato ſeorſum, quæ viderat ſecretiùs revelavit, ea volens ſub confeſſionis clave clauſula ſervari, donec ea neceſſitas exigeret revelari.*

Deliberaverat interim præfatus Papa cum Fratribus de negotio B. Willelmi, & de Fratrum conſilio, univerſos Archiepiſcopos,

& Epiſcopos, qui tunc erant præſentes, ad tractatum hujus negotij præceperat evocari. Quibus præſentibus, dum in principio tractatus illius Willelmi miracula legerentur, Pragenſis Epiſcopus recordatus viſionis illius, quæ ipſi à Decano fuerat revelata, & intelligens non eſſe tacendum, ſurrexit in medio, & perſonâ Decani commendatâ decenter, ſicut de vitâ ejus & moribus ſibi notis fuerat commendanda, ea quæ ab ipſo audierat, coram omnibus ſatîs compendiosè narravit. Sed ut ex ore ipſius Decani veritas gratiùs audiretur, vocatus eſt ipſe Decanus, & in medium introductus, adjuratus à Domino Papâ, ut plenam & planam diceret veritatem, ea quæ ſibi apparuerant ſemel atq; ſecundò, ſicut priùs Epiſcopus dixerat, retulit ſeriatim. Omnes verò commoti ad lacrymas, Deum benedicere, ac laudando Deum glorificare cæperunt, qui Sanctum ſuum ita mirificare per aperta indicia dignabatur. Cúmq; Summus Pontifex aliquantulo monitionum ſermone præhabito conſilium requiſiſſet, omnis unanimiter multitudo conſenſit ut ad Sanctitatem B. Viri ſollemniter declarandum, quam Dominus tot & tantis indicijs manifeſtiùs oſtendebat, ſententia proferetur. Exeuntibus univerſis ad publicum, & in publico Conſiſtorio, ceteris conſveto more diſpoſitis, miſſæ ab examinatoribus litteræ ac miracula ſolemniter publicantur. Quibus diſtinctè perlectis, Summus Pontifex ſurgens in medio, Willelmum Bituricenſem ArchiEpiſcopum ſententialiter, & cum debita ſolemnitate pronuntians Sanctorum catalogo adſcribendum, in die depoſitionis ipſius feſtivitatem præcepit ſolemnem de cætero celebrari. Ipſe verò debitis ex more laudibus celebratis, illam eandem orationem, quam B. Willelmus dicendam Decano revelaverat ante dicto, videlicet : Exaudi Domine preces noſtras, quas in S. Willelmi &c. *non ſine multis lacrymis profluentibus ex devotione ſubjunxit.*

Tobias Arnoldi ſucceſſor, & poſtea Præpoſitus hujus nominis I. ſanctimoniæ famâ, & alijs virtutibus illuſtris, poſt multa præclarè geſta in Eccleſia Prag. vitæ perfectioris amplectendæ cupidus, religionem D. Franciſci ingreſſus eſt, in qua reliquum vitæ ſanctiſſimè traduxit. De hoc Coſmæ Continuator & Cano-

nonicus coævus habet ſequentia : *Eodem anno, nempe 1259, Dominus Tobias Præpoſitus Pragenſis Eccleſiæ, de proprijs bonis inſtituit & dotavit unam perpetuam Vicariam in Choro Pragenſi. Eberhardus de* Draſskowicz Canonicus, vir cùm nobilitate generis, tum pietate & ſcientijs illuſtris, qui in Eccleſia Pragenſi Bonifantes numero duodecim, de quibus infra, inſtituit. Obijt autem anno 1259. Nonis Aug. *

* *MS. Coſmæ Cont. ad an. 1259.*

Viti Decani inſigne præconium.

Vitus annorum facilè triginta in Eccleſia noſtra Decanus, vir Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantiſſimus, & cùm pietate, tum eximiâ erga pauperes charitate, beneficentiâ ac liberalitate, potiſſimùm verò erga Pragenſem Eccleſiam ſuam, cujus decorem toto cordis affectu dilexerat, amore inclytus; atque etiamnum, apud ſeram licèt poſteritatem, ſemper cum præfatione honoris maximi memorandus, ut qui viſus ſit hactenus neminem ſibi habuiſſe parem, nec facilè habiturus ſequentem. Juvat coævum Scriptorem, & tunc etiam in eadem Eccleſia Canonicum audire, de ipſius memoriâ æternâ dignis laudibus copiosè referentem hiſce : (*y*)

Anno M. CC. LXXI. obijt Vitus Decanus Prag. Calend. Maj. Hic verbum vitæ prædicando & docendo inter fideles Chriſti, ſalutarem diſſeminavit ſcientiam, ſpe uberioris fructûs pro meritis & laboribus, cæleſtia pro terrenis comparando. Illuminabat enim mentes hominum, utpote lucerna lucens, & confluebant ad Eccleſiam Prag. occaſione ſermocinationis ipſius, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, Nobiles terræ, & Burgenſes, cæteri etiam artifices & operarij, ut poſſint in arcella memoriæ ſuæ, ad laudem & honorem Dei, & profectum ipſorum, verbum Salutis conſervare. Contulerat enim ſibi Dominus gratiam non modicam Eloquentiæ proponendi verbi ſui ; Spiritu Sapientiæ repleverat eum & intellectûs, & ipſi tanquam imbres miſit eloquia ſapientiæ ſuæ, per quos arida corda hominum irrigabat. Iſte vir totum expoſuit ſe ad opus Eccleſiæ, & ſua pro nomine JESU Chriſti. Compillavit Lectionarium, quod ma-

(y) *MS. Coſmæ contin. ad an. 1271.*

Matutinale appellatur, cum magnis laboribus & vigilijs: nam antea ſinguli libri, quibus Eccleſia utitur per circulum anni, in voluminibus ſigillatim conſcripti exhibebantur ad matutinas, juxta diſtinctionem temporum & determinationem: videlicet, Iſaias in Adventu Domini; poſt Octavas Epiphaniæ, Epiſtolæ Pauli; Tempore Quadrageſimali, Homiliæ ſive Geneſis: in Paſſione Domini, Jeremias; & ſic de ſingulis. Per quam mutationem, diſpendium & error circa minùs officiatos generabatur. Procuravit etiam libros plures muſicos ad officium Divini cultûs pertinentes, ſuis proprijs ſumptibus; invigilans, ne quid obmitteretur, adijciens Epiſtolas & Evangelia, quæ in ſolemnibus feſtivitatibus cantantur. Erant enim libri antiqui, uſuales & ſimplices, quidam etiam jam vetuſtate conſumpti, inutiles, nullum fructum proferentes, per quos error & confuſio frequens in officio Divino accidebat. Sunt autem hi libri, qui conſcripti ſunt Viti Decani pretio & expenſis: Miſſalia, Gradualia, Antiphonaria, Muſica, Pſalteria, Hymnaria, Collectaria, Baptiſteria, Breviaria; & alij plures ſermonum libri: per quos illuminavit Pragenſem Eccleſiam in Officio Divino.

Multæ etiam & aliæ Eccleſiæ Conventuales & Parochiales, emendatæ ſunt in Officio Divino, per tranſcriptionem librorum Pragenſium & illuminatæ; quod Domino Vito Decano auctori hujus operis meritorium, & etiam & animæ ipſius proficuum eſſe non haſitamus. Ampliavit etiam Pragenſem Eccleſiam, conſtruendo Altaria: erexit enim pulpitum facultatibus proprijs teſtudinatum, & locavit altare Sanctorum Evangeliſtarum, ad latus chori S. Mariæ à ſiniſtris. Erexit etiam & aliud pulpitum, ubi ſolent Vicarij cantare in Cœna Domini: Domine miſerere; in matutinis Paraſceve, & vigilia Paſchæ: & conſtruxit Altare S. Matthiæ, proviſione competenti miniſtris deputatâ. Per ipſum etiam conſumatum eſt opus clauſtri, in longa via verſus Aquilonem, in columnis ſculptis & teſtudinibus, & picturâ totius clauſtri. Capellam S. Michaelis, in qua veſtiuntur miniſtri ad Miſſas celebrandas, amplificavit, ſubtus cameris teſtudinatis & ſupra, & locavit altare S. Michaelis, quod etiam depingi procuravit; competentiq; proviſione dotavit, aſſignans terram

nam in villa Hornetiez, & aliam in Przziebog; quas propriâ pecuniâ comparavit. Inſtituit etiam Vicarium perpetuum Decaniæ Pragenſis, aſſignans terram in Villa Bykoſs, de qua idem Vicarius poſſit commodè ſuſtentari. Induxit etiam idem D. Decanus Czieczonem Judicem Regni Bohemiæ, ad conſtruendam Eccleſiam Omnium Sanctorum, quæ ſita eſt in exitu clauſtri, verſus curiam Regalem; quæ Eccleſia ædificata eſt, procurante & conducente lapicidas, & alios operarios, eodem Decano, usq; ad perfectionem operis prænotati; in qua inſtituti ſunt duo Presbyteri ad officiandum. Quibus etiam proviſum eſt in agriculturis, & in dote mobili & immobili, & hominibus cenſualibus in duabus villis, videlicet Drebkow & Wiſſin.

Iſte vir Vitus affectu pio, & largitate prodigâ fervebat in eleemoſynis erogandis: ſtabilita enim erant bona ipſius in Domino, & eleemoſynas ipſius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. Colligebat enim ad menſam ſuam ſingulis diebus tres pauperes ſcolares, aliquando quatuor; quibus abundè præcipiebat miniſtrari. Dividebat etiam denarios pauperibus laicis, viris & fœminis, in ſequeſtro & in angulis Eccleſiæ, in obſcuriori loco, viſitando Altaria pro veneratione Reliquiarum; memor verbi Evangelici: Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua. Non quærebat laudes humanas, juxta illud Philoſophicum: Virtutis fructum ſapiens in conſcientia ponit, minùs perfectus, in gloria; nam ſapiens contentus conſcientiæ præmio gloriam non quærit. Hic vir non tantum ſcolaribus Pragenſis Eccleſiæ deſervientibus ſubveniebat, verùm etiam in generali ſtudio exiſtentibus, pro poſſibilitate ſuarum facultatum affectuosè, ut in plurimis patuit, providebat. Cognatos & Conſanguineos, & quoslibet propinquos ſpeciali dilectione amplectebatur, defectibus & neceſſitatibus ipſorum competenter ſubveniendo, non immemor auctoritatis: cum te divitiæ ſuperant, in fine ſenectus munificus eſto, vivas non parcus amicis. Hic ſui memores alios fecit eſſe merendo: Ætas quippe ſibi matura inerat & vicina ſenio, & competebat ſibi illud Sapientiæ: Senectus venerabilis eſt non diuturna, neq; numero annorum computata, cani ſunt enim ſenſus ejus, & ætas ſenectutis, vita immaculata. Iſte vir multa pia officia per-

peregit in Domo Domini, ad laudem ejus perferens pondera diei & æſtûs; & non incongruè comparatur Prophetæ Samueli, qui poſtquàm ablactatus fuit, oblatus etiam in domum Domini, cum tribus modijs farinæ, & amphora vini, ad ſerviendum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ.

Iſte etiam à pueritia ſua nullo cogente, (quia coacta ſervitia execratur Dominus) ſed proprij motûs voluntate obtulit ſe in templum Domini, videlicet Pragen. Eccleſia ad ſerviendum indefeſſâ mente, virili & conſtanti animoſitate, præſentiâ continuâ ad ſerviendum, ad laudem & gloriam JESU Chriſti & Beatorum Martyrum Viri, Wenceslai atq; Adalberti, omnibus diebus vitæ ſuæ, & ad finem uſq; complevit. Unde de Samuel dictum eſt: Cognoverunt omnes à Dan uſq; Berſabeæ, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Viro verò de iſto, gratia virtutum quæ micabat in ipſo, divulgavit nomen ejus occaſione excitationis operum ipſius, in laudem Domus Dei, per totam Prag. Diœceſim, & in omnibus finibus ejus, cunctisq; terminis totius Regni Bohemiæ: effulſit enim in templo Dei, velut lucerna, non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita. Conſurgebat etiam mediâ nocte de ſtrato ſuo, ante tempus matutinarum, luſtrans omnia altaria, pro veneratione Reliquiarum, cum venijs & orationibus. Aliquando etiam perlegebat tertiam partem Pſalterij, quam nos quinquagenam vocamus; ſi tantæ prolixitatis tempus ante pulſationem matutinarum ſe offerret. Deinde ſuſcitabat campanarios ad pulſandas matutinas, & infra pulſationem campanarum egreſſus de Eccleſia, gradiebat circumquaq; pulſando ad cameras Clericorum, excitando ipſos ad matutinarum officium. Poſtmodùm intrans Eccleſiam veniebat ad chorum, & ſi hebdomadarium Sacerdotem cernebat, annuebat eidem, ut inciperet matutinas; abſente verò hebdomadario, officia ipſius perſonaliter perficere non denegabat. Delectabatur enim in officio Divino, omnem defectum Eccleſiæ per miniſtros neglectum, perſonaliter ſupportare.

Hic Vir nunquam audiebat judicia ſecularia ſuorum ſubditorum, ſed alijs committebat audienda, culpas verò horum, qui per

determinationem judicum damnabantur ad pænam ſolvendam, nunquam exegit, verùm oblatam recepit, ſed paternâ pietate tanquam filios corripuit; quandóq; etiam aſperioribus verbis, ne ſimilia committant acriùs increpavit. Attendebat enim illud Evangelicum: Nolite judicare, ut non judicemini &c. Secularibus negotijs, ne ſe immiſceret, omnibus modis evitabat. In villa, quæ vulgariter dicitur Welka-Wes, in qua Eberhardus felicis memoriæ Canonicus Pragenſis, comparavit quædam bona, pro remedio animæ ſuæ, & aſſignavit Eccleſiæ Pragenſi, pro enutriendis & veſtiendis duodecim Scholaribus, qui Bonifanti ſive boni pueri appellantur; qui continuè tenentur in Eccleſia memorata deſervire in Cantu, legenda & pſalmodia; idem Vitus Decanus erexit in altum Eccleſiam in honorem S. Laurentij, in qua & turrim exſtruxit decori operis, proprijs ſumptibus & expenſis. Obtinuit etiam ab Epiſcopo Joanne, indulgentiam quadraginta dierum, fidelibus Chriſti advenientibus in Dedicatione Eccleſiæ, & alijs ſummis feſtivitatibus largiendam. Erexit & aliam Eccleſiam in Kogeticz Villa ſuis ſumptibus, in honorem S. Viti. in parietibus lapideis & tectura, & turrim exſtruxit in altum in Villa Slubach; fama volante intellexit, quod eſſet Eccleſia totaliter dirruta & deſolata, ita quod nec oſtia remanſerant, adeoq; porci, lupi, canes frequentem ingreſſum & patulum habebant in ipſam: hanc D. Vitus Decanus a fundamento readificavit, de nobiliſſimi operis ſtructura, proprijs facultatibus, & turrim pulcherrimam exſtruxit in ea, ob venerationem S. Adalberti Martyris. Conſtruxit & altare in Eccleſia Strbovienſi ſub turri, in honorem S. Matthiæ Apoſtoli. Idem Decanus melioravit dimidiam præbendam in Strachkow villa, comparando pecunia propria curiam & hæreditatem cujusdam militis, per quem multa mala inferebantur eidem dimidiæ præbendæ.

Multa dicenda eſſent de virtutibus ipſius, quæ digna ſunt relatione, de caſtitate, de continentia, de abſtinentia jejuniorum, de ſobrietate fidelitate ac pietate, de compaſſibilitate proximorum, de divinorum mandatorum obſervatione, veritatis & juſtitiæ imitatione; ſed ne videar ſingularum virtutum ipſi divinitùs collatarum ple-

plenius facta perſequendo, notam adulationis incurrere, ſtylo amoto, malui poſteris relinquere: quia ſunt nonnulli, quorum memoriæ ipſius facta impreſſa ſunt multo meliora; omnia quippe dona virtutum confluxerant in ipſum omnipotenti Deo largitore, nec inde gloriabatur. Erat enim ei mundus mortuus, & ipſe mundo; nam mundus dicitur ei mortuus, quem ſuis illecebris non aſtringit; & ille dicitur mundo mortuus, qui nihil mundi concupiſcit. Non inhiabat vaniloquijs, non ſpectaculis, non hyſtrionibus. Epitaphium ipſius: da Deus atheros Vito conſcendere Cælos, Aſtrigerúmq; ſacro ſub nomine noſcere cælum, Perpetuóq; frui ſine mortis legibus avo, Amen.

Hoc etiam Epitaphium lapidi ipſius tumbæ ſuperpoſito ſcriptũ erat: Hominem ſortitus fuit à vita verè Vitus: cujus erat vita morum fidei redimita. (z) Huc usque de Vito Decano ſcriptor coævus veriùs, quàm elegantiùs.

Godefridus Præpoſitus, & M. Gregorius Decanus fortitudine animi, & ſapientiâ in adverſis ſanè memorabiles. Quanta enim ſuſtinuerant calamitoſiſſimo illo tempore, quo poſt funeſtum Ottocari glorioſiſſimi Regis in prælio occiſi, anno 1278. interitum, Patria tota duriſſimo ſub jugo, vel tyrannide potiùs, Ottonis Brandeburgici, hominis avari & ſordidi, & rei etiam ex iniquo, imò ſacrilegio faciendæ ad inſaniam cupidi, per annos ſex gemuit, præmemoratus Scriptor, oculatus horum omnium teſtis, narrat talibus: *(a)* Godefridus Præpoſ. & Gregorius Decanus difficilia experti tempora.

Eodem anno (nempe 1281.) *Pragæ in ſummo Templo cœperunt omnes campanæ pulſari, in Nonis Januarij, quæ infra biennium non pulſabantur, multis de cauſis; cùm nec cuſtodes, nec campanarij Eccleſiæ Pragenſis intromitterentur in caſtrum, ad peragendum in Eccleſia officium ſuum; imò quod magis eſt, nec Vicarijs, nec etiam ipſis Canonicis Pragenſibus, volentibus Deo debitum officium perſolvere introitus caſtri præbebatur, exceptis paucis: videlicet Andrea ſolo Sacriſta & Canonico Pragenſi, Chwalecio Cantore* Miſerrimus tunc Eccleſiæ Prag. ſtatus deſcribitur.

 Geor-

(z) *MS. Continuator Coſmæ ad an. 1271.* (a) *Idem ad an. 1281. & ſeq.*

Georgio ſub Sacriſta, Patre miniſtro altaris S. Mariæ, & Vicario; Magiſtro Gregorio, licèt Decanus ejusdem Eccleſiæ extitiſſet, tamen frequenter fuit ſibi introitus denegatus.

Anno Domini 1282. Otto Marchio Brandeburgenſis, Tutor Wenceslai Ducis filij Ottakari Sereniſſimi Regis Bohemorum, & totius Regni, VII. Idus Januarij, miſit aliquot Canonicos Pragenſes Capellanos ſuos, pro inquirendis quibusdam privilegijs Regis Ottakari; miſit etiam ſtimulo cupiditatis & avaritiæ tactus milites, & plures Teutonicos, ſub fraude & dolo, immemor Salutis æternæ, injungens eis occultè, quatenus requirant & experiantur, ubi depoſita ſit pecunia Proſinconis gratiarij Regis Ottakari, & aliorum plurium; adhuc enim terra Bohemiæ eo tempore in malo ſtatu erat, turbabatur ſpolijs, rapinis, incendijs; ideóq; multi ſæculares, & Clerici compertaverant res ſuas, & depoſuerant in armario Pragenſi, in auro & argento, in ſcyphis & annulis, monilibus & alijs quibuslibet veſtibus pretioſis; quia melior & firmior, tutiorq; recurſus non inveniebatur, quam Sanctuarium Pragenſis Eccleſiæ ad conſervationem rerum depoſitarum. Intrantes itáq; Sanctuarium Jeſu Chriſti, & Beatorum Martyrum, conculcàrunt ornamenta ſacerdotalia, & Reliquias Sanctorum contaminàrunt & everterunt, attrectantes manibus impijs, quærentes pecuniæ theſauros, putantes licere, quod eis propter loci ſanctitatem non licuit; rapuerunt ſcrinia ponderantes ciſtas graviores, quas ſecuri & aſciâ confregerunt. Videntes itáq; Canonici Prag. & alij miniſtri Eccleſiæ, perpetrari tam grave nefas, & profanari ita inhumaniter Sancta cum Sanctuario Filij Dei, nimio dolore tacti cum genuflexionibus & gemitu dixerunt: Domine Jeſu Chriſte, ſancta tua conculcata ſunt & contaminata, Sacerdotes tui in luctu & humilitate jacent, & ecce nationes congregatæ ſunt, ut nos diſperdant! At illi ſaxis rigidiores, ſicuti eſt ſæviſſima natura Teutonicorum, calore iracundiæ ſuccenſi, proclivo curſu ad malum prompti, dehoneſtaverunt miniſtros Eccleſiæ, timore Dei poſtpoſito, probris & contumelioſis verbis, & verberibus, trudentes pugno ſub barbam, alios percutientes & incompoſitè trahentes ejecerunt, & à Sacriſta violenter

cla-

clavibus Sacriſtæ receptis, clauſis obſeratisq́; oſtijs, poſitis cuſtodibus exiverunt. Deinde intrantes Capellam S. Wenceslai, irruerunt ad ſepulchrum ejus, perſpicientes & palpantes ab omni parte ſuperiùs & infra, quærentes pecuniam, cùm vix vel nunquam poſſit inveniri, ubi non ponitur. Unus tum ex ipſis Tevtonicis miniſtris, diaboli inſtinctu, ſubtraxerat furtim thuribulum argenteum in Capella S. Wenceslai; ſed Divinâ gratiâ favente, & Beatorum Martyrum auxilio, nimio timore perculſus, iterum incolume miniſtris Eccleſiæ repræſentavit. Deinde tanquam canes indagatores, intrantes cryptam Sanctorum Cozmæ & Damiani, currunt per angulos huc atq; illuc, & non invenientes numerârant ſcrinia, quæ ibi depoſita erant, ponderantes per elevationem ponderoſiora, ſignantes ſtudioſè ne mutarentur, & leviora locarentur; habitâ deliberatione pro clavibus, utrum deberent tolli claves & præſentari Marchioni, aut penes Sacriſtam relinqui. Ad ultimum receptis clavibus à Sacriſta per vim cryptæ & Capellæ, poſitis cuſtodibus infra & extra Eccleſiam ex omni parte, injungentes eis, quatenus diligenter & ſtudioſè cuſtodiant, ſicut diligunt lumina capitum ſuorum ſervare, receſſerunt. Et ita nec libri, nec candelæ, nec aliquis apparatus, qui ad cultum Divini officij pertinebat, infra biduum & noctem, poterat ab eis obtineri. In craſtino námq; à radice turpis propoſiti non digreſſi, juxta mandatum eis injunctum, aperientes oſtia intrant Sanctuarium Beatorum Martyrum, rapiunt infinitam pecuniæ quantitatem, & eam illicò ſuo Domino repræſentant. Nec erat eis horrendum tale facinus perpetrare, quia jam traxerant in uſum in multis Monaſterijs, & alijs Eccleſijs ſimilia faciendo

Et infra.

Poſt paucos verò dies Otto Marchio Brandeburg. Epiſcopum ſuum Bramburg. toti Regno præficiens, & dans ſibi omnem auctoritatem & poteſtatem, tanquam vero patrono, ut regat, protegat & defendat, malefactores puniat, in Saxoniam, dicens ſe arduiſſimis neceſſitatibus præpeditum, profectus eſt. Epiſcopus itaq; Bramburgenſis poſitus ad curam aliorum, qui tenebatur ex officio poteſtatis ſibi traditæ à rapinis, à ſpolijs, ab inquietationibus omnium oppreſ-

ſorum, cum cæteris qui ſecum ad hoc deputati erant, per pœnas, quæ legibus Seculi ſtatutæ ſunt, hujuſmodi transgreſſores punire, debitas ultiones ſontibus infligendo, ſurda aure, & oculo cæco tranſiens, conſenſit operibus maleficorum, qui per opera manuum ſuarum & ſceleratiſſimorum actuum, inferno ſine omni hæſitatione ſunt deputati, non attendens decreta Sanctorum Patrum, qui dicunt: Conſentire convincitur, qui cùm poſſit, perverſis negligit obviare. Eo tempore ſpoliata ſunt omnia Clauſtra Monachorum: Ciſtercienſium, Griſeorum, Nigrorum, Cruciferorum, Sanctimonialium & Canonicorum, cæterorúmq; Clericorum per totum Regnum Bohemiæ; pauperum etiam ruſticorum poſſeſſiones non ſemel ſed pluries, imò innumerabiliter in equis, in pecoribus & omnibus rebus, quæ inveniri poterant, uſq; ad favillam igne ſunt conſumptæ; nec pertranſivit dies, ſine ſpolio. Interea D. Gregorius Pragenſis Decanus acceſſit, cum cæteris Canonicis, quorum copiam poterat habere, ad præſentiam Epiſcopi Bramburg. petens humiliter, ne Præpoſituræ Prag. Bona ſpoliarentur; quia eo tempore fere tota poſſeſſio Præpoſituræ Prag. ſpoliata eſt: in civitate Prag in Curia Præpoſituræ, ultra trecentas regales frumenti in diverſo grano ſunt ablatæ, in villis ſimiliter equi & pecora diverſi generis, omnéq; frumentum, pleriſq; locis in favillam redactis; in quibuſdam verò ædificijs l abductis univerſis pecoribus & altilibus, nec pilus, nec penna poterat inveniri. Epiſcopus verò Bramburg. precibus Magiſtri Gregorij Decani Prag. & aliorum Canonicorum petibilibus, & tam humilibus non conſentiens, nec miſertus jacturæ & damno Eccleſiæ, furore nimio ſuccenſus, ſicuti mos eſt Teutonicorum zelo nimio ſævire in Bohemos, verbum horribile protulit, ita quod quicunq; audivit, tinnierunt aures ejus: erat autem verbum ejuſmodi. Non tantum bona Gotfridi Præpoſiti ſpoliabuntur, ſed & cæterorum Canonicorum, maximè autem eorum qui Dominam Reginam C. ſequuntur, & capellanizant: adjiciemus etiam & Antiſtitis bona, non ſolùm in rebus, ſed & in perſona, ubicunq; perſequi poterimus faciemus, &c. Hæc & plura ſimilia refert coævus ſcriptor, teſtis oculatus.

Pe-

Petrus Baro de Lomnicz, Henricus Berka Baro de Duba, Præpoſiti Pragenſes, Viri cùm nobilitate Familiæ, tum omni eruditionis genere excellentes: poſtea ob virtutum ſuarum merita, ad Cathedram Olomuc. hic anno 1326. ille an. 1312. Uterque Pragæ mortuus, & in Eccleſia Cathedrali ſepultus. De Henrico iſtud lego in vetuſtiſſimo MS. codice: *Eodem anno* (nempe 1334.) *Hynko Olom. Ep. moritur, & in Eccleſia Prag. ſepelitur, qui erexit & dotavit altare in honorem S. Materni, cum Bonis ſuis patrimonialibus.*

Uldricus Baro de Hazmburg, Decanus, Guilhelmi magni illius ſub Joanne Rege bellatoris filius, à juventute liberalibus diſciplinis inſtructus, Pariſijs Magiſter Philoſophiæ, & Juris Licentiatus, creatus. In MS. (b) quædam de illo hæc invenio: *Vir ſumma prudentiæ & longo rerum uſu valens, qui apud Joannem Regem omnia potuit. In pauperes benignus & liberalis, doctorum hominum verus Mæcenas, erga Templa Dei & Cænobia Religioſorum munificus.* Et alibi. (c) *Anno 1326. obijt Venerabilis Dominus Ulricus de Hazmburg Decanus Eccleſiæ Pragenſis, filius Domini Wilhelmi, qui dedit Conventui Corpus S. Benignæ, & Archam cum Reliquijs.*

Drslaus Præpoſitus ex illuſtri ac regia Familia Henriciana, nunc Czerniniana dicta, Wladislai Regis atnepos, vir cùm Nobilitate excellentiſſimi generis, tum doctrinâ & pietate præſtans, quem celeberrimæ illius *Confraternitatis Miniſtrorum Altaris Aſſumptionis B. V. Virginis & SS. Patronorum, ac Fidelium omnium Defunctorum* in Eccleſia Pragenſi, authorem primarium fuiſſe conſtat. Cùm nuper Antiquam Bibliothecam noſtram Capitularem, quæ duo millia librorum, & ultra, (pleroſque manuſcriptos) continet, excuterem, eo non tantùm fine, ut illam à pulveribus, quibus penè obruta erat vindicarem, & libros meliori, quàm fuiſſent ordine collocarem, verum

(b) *MS Regiſtr. Diſtrib Eccl Prag.* (c) *Annal. Monaſt. Inſulani. Ord. Eremit. S. Auguſt. Paprot de Stat. Baron. in Bohem. pag. 69. Cruzerius ad d. 12. February.*

rùm etiam ut hâc occaſione, quidnam in ea lateret, explorarem, inter alios libros lectiſſimos nunquam hactenus editos, luce tamen publicâ digniſſimos, unum quoque pervetuſtum membraneum Codicem inveni, ſub titulo: *Liber Fraternitatis.* Atque hic ille eſt, qui ſupra jam memoratæ Confraternitatis à Drslao Præpoſito inſtitutæ Erectionem, ſtatuta, leges, fundationes, donationes, annuos proventus, & his ſimilia continet. Longum eſſet hìc omnia pro majori ipſius Drslai encomio recenſere: Erectionem tantum hic referam, ex qua clariùs pateat tum Drslai, tum aliorum ipſius hoc in ſancto inſtituto Collegarum, in promovendo cultu divino zelus & pietas.

Erectio & Statuta Confraternitatis Miniſtrorum Altaris Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis &c. in Eccleſia Pragenſi.

(*) Nos Dyrslaus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis, Thobias Scholaſticus VViſſegradenſis Eccleſiæ, & dictæ Pragen. Eccleſiæ Canonicus, Onſo Archidiaconus Bielinenſis, Urbanus medius præbendarius, Lupus Sacriſta, Joannes Cantor, Simon Vicarius dicti Domini Præpoſiti, VVenceslaus Vicarius Domini Decani dictæ Pragen. Eccleſiæ, Joannes Sovinec Vicarius Domini Scholaſtici præfatæ Pragen. Eccleſiæ, Nicolaus Donati Sepulchri S. Adalberti Cuſtos, M. Hermannus Miniſter Capellæ S. Trinitatis in ambitu dictæ Eccleſiæ poſitæ, Rudlinus Vicarius & Altariſta S. Eliſabethæ, VVelislaus Vicarius & Altariſta S. Margarethæ, Gallus Vicarius & Altariſta SS. Evangeliſtarum. Noſſe cupimus univerſos, quod ad ſempiternam rei memoriam fraternitatem Spiritualem, quæ dilectionem Dei & proximi in ſe continet cum perfecta caritate, pro Salute animarum noſtrarum, ac eorum, qui noſtram fraternitatem ac Miniſtrorum aſſumpſerint: ac in quantum providere nobis licitum eſt, & dare occaſionem & materiam Succeſſoribus noſtris eadem & ſimilia faciendi in Chriſti nomine, ſine omni fraude & abſque omni dolo, uno voto, unâ fide, unâ charitate & inviolabili contrahimus, unimúsque & facimus, & ordinamus ad decorem & honorem Dei, ac Matris ſuæ glorioſæ Virginis Mariæ, nec non Beatorum Patronorum Eccleſiæ Pragenſis, in quorum ipſa Eccleſia nomine conſtructa ac dedicata exiſtit, & in qua Corpora ipſorum requieſcunt & habentur, in augmentúmque Divini cultus, quem augeri noſtris temporibus affectamus, quia Zelus dictorum Sanctorum & dictæ Eccleſiæ nos comedit. Conſiderantéſque, quòd inter cætera Deo oblata ſervitia acceptabilis eſt libamen Sacerdotum, quia poteſtate ipſi ſui Officij Corpus illud verum ſuis manibus pertractant, quod Angeli non poſſunt nec valent quod in ara Crucis pro totius mundi Salute extitit immolatum, ipſi etiam popu-

(*) *Ex MS. Codice membran. cujus titulus:* Liber Fraternitatis: *fol. 21. & ſeq.*

populi peccata comedunt, ſuis ea orationibus abluendo. Volumus igitur & ordinamus de unanimi omnium noſtrum conſenſu, quòd quantum neceſſe fuerit numerus Sacerdotum, in noſtra Fraternitate ſit in Eccleſia prædicta nunc & in ævum, nempe numerus Fratrum quatuordecim: & ſi quem ex fratribus vel plures contigerit mori, tunc de eadem Eccleſia per reliquos, qui remanſerunt loco illorum idonei præsbiteri aſſumantur, ſi de Eccleſia haberi non poterint, tunc de alijs Eccleſijs recipiantur ad ea facienda, quæ infra exprimuntur. Uno etiam de nobis impedito, per alterum de nobis vel per alium poterit impleri officium, quod ei incumbit faciendum. Duæ igitur Miſſæ per duos noſtrum & noſtros Succeſſores ſingulis diebus dicentur, diebus illis quibus Miſſæ dici in Eccleſia prædicta conſueverunt, una de S. Maria tempori congruens in altario fraternitatis, & alia Defunctorum, Dominicis diebus & Feſtis novem Lectionum per Eccleſiam ſolemnizatis tunc tamen exceptis; & dicentur in altario fraternitatis, vel in Capella ſi commodosè fieri poterit, vel circa quodcunque altare, ubi cuilibet placuerit in Eccleſia prædicta legentur iſtæ Miſſæ, & non alibi, niſi eſſet gverra, quod non poſſent venire ad Caſtrum, tunc dicant Miſſas ubi poterint, ante primam, vel infra primam horam diei quando pulſatur vel cantatur. Sequenti die per alios duos de nobis dicentur modo ſimili duæ Miſſæ; & ſic de reliquis quinque diebus illius Septimanæ, ita quod primi duo inchoante aliâ ſeptimanâ reincipient Miſſas ſuas, & alij continuabunt easdem nunc & ſemper. In Miſſa autem S. Mariæ tres collectæ dicentur absque ommiſſione; Una ipſius B. Virginis, alia Patronorum, tertia pro nobis. Et pro his qui ſe noſtræ commendàrunt fraternitati, plures etiam adjungi poterunt ad libitum officiantis. In Miſſa autem Defunctorum ſimiliter absq; prætermiſſione tres dicentur, Prima pro Sacerdotibus fraternitatis noſtræ: *Concede quæſumus*. Secunda pro Parentibus noſtris: Deus *qui nos & nobis recommendatos:* Tertia pro omnibus defunctis. Et iſtæ Miſſæ in feſtis Dominicis, & in feſtis B. Virginis Mariæ & in Patronorum Eccleſiæ non legentur, ſed ſequenti die complebuntur per illos, cujus dies fuerint præcedentis feſtivitatis. Is autem, vel hi qui fuerint ad iſtam noſtram fraternitatem aſſumendi, jurant ante omnia his qui ipſos recipient, ut præſentem noſtram ordinationem in omnibus ſervare debeant & adimplere usque ad exitûs ſui diem, & quamdiu in locum defuncti perſona non invenietur, ſupplebitur per eos qui fuerint juxta ordinem prædictum, & ipſorum ordinationem quæ dicentur per illum, qui loco mortui ponetur. Et non ſuſcipiantur multi in fraternitatem niſi quantum neceſſe fuerit. Sicut prædicimus, ut fraternitas non confundatur, quia ſecundum dictum prudentis: *ubi multitudo, ibi confuſio*. Quod ſi aliquis ex fratribus noſtris velit amicum ſuum promovere Presbyterum, Diaconum vel Subdiaconum, ita quod omnes ex Presbyteris Diaconibus vel Subdiaconibus, vel qualescunque aliæ perſo-

perſonæ iſtam ordinationem teneant. Volumus etiam & ordinamus in virtute obedientiæ, quod quandocunque aliquis ex fratribus noſtris moritur, tunc quilibet ex fratribus dicet Vigilias & Miſſam Defunctorum pro anima illius, & congregabuntur omnes ad funus conducendum ad ſepulchrum ſub pœna unius groſſi pro cera; ad fraternitatem porrò poſſunt benè ſuſcipere quemcunque vellent laicum vel Clericum ſexus utriuſque. Volumus etiam quod unus ſit ſemper procurator electus per nos & ſucceſſores noſtros de fraternitate, qui alios habeat fratres convocare ſuper his quæ occurrent facienda; qui onus iſtud propter Deum portabit, ad cujus vocationem virtute obedientiæ quilibet de noſtra fraternitate venire teneatur, dummodo non ſit legitimè impeditus, quod conſcientiæ ſuæ dimiſimus relinquendum. Si quem autem ex noſtra fraternitate graviter infirmari contingat, procurator prædictus debebit cùm primum hoc ſciverit, aliquos fratres de fraternitate vocare, & venire, & ire cum eis qui potuerunt commodè ad fratrem infirmum, & procurare eum in omnibus Sacramentis, & cuſtodem ſibi ponent usque ad convaleſcentiam ipſius vel extinctionem. Circa mortem autem fratris, qui poterint debent adeſſe ad nunciationem illius cuſtodis, ut Conductum ſibi peragant, dummodo in tali loco ſit infirmus, quod hæc commodè poſſint facere fratres. Mortuo autem fratre, ornent corpus illius ſicut meliùs poterunt, & deportari ipſum faciant ad Eccleſiam Pragenſem, & ſuperpelliciati funus conducant, & Vigilias ei decantent, quas volent. In craſtino autem omnes conveniant, & unusquiſque ipſorum dicat Miſſam Defunctorum pro anima ipſius, per ſe ſi poſſint, vel per ſe vel per alios procurent; ante ſepulturam Miſſa Defunctorum decenter cantetur, & omnes vadant ad offertorium. Poſt Miſſam autem ſtolis collo impoſitis, omnes portent proprijs manibus corpus ad locum ſepulturæ, dicendo & legendo ea quæ dici conſueverunt. Si quis autem fratrum alibi ſepulturam elegerit, ſi commodè poteſt fieri, ſemper antè in Eccleſiam Pragenſem deportetur, & ibi Vigiliæ & Miſſa ei decantentur, & aliæ Miſſæ dicantur, ut ſuperiùs eſt prædictum: & his peractis, ad locum per amicos ſuos ſepulturæ deferatur: ſi quis autem de fraternitate velint ſeſe aſſociare, id cujuslibet relinquimus voluntati. Si quem autem fratrem noſtrum alibi mori contingat, ita quòd ad Eccleſiam Pragenſem deferri non poſſit, quàm cito hoc de vero fratres ſciverint, Vigilias & Miſſam ei decantent, & alij omnes, qui ſunt de fraternitate, dicant Vigilias & Miſſas defunctorum pro anima ipſius, prout ſuperiùs eſt prædictum. Volumus etiam, quod in quolibet anniverſario noſtro, & fratrum noſtrorum præſentium & futurorum per omnes dicantur Miſſæ defunctorum pro anima illa, eo die vel præcedenti, ſi feſtum fuerit aliquod de ſuperioribus nominatis. Excepto illo, qui Miſſam de B. Virgine debebit dicere; quia Miſſa de B. Virgine hoc caſu non debet impediri. Sequentur autem

om-

die Miſſa Defunctorum dicatur per illum, cujus dies præceſſit. Si autem ipſas per ſe dicere non poſſent, procurent ut per alios dicantur. Omnésq; fratres vivos & mortuos, & parentes eorum recommendatos ſemper debemus in Canone memorari, & ſi non in ſpecie, ſaltem in genere de ipſis faciendo mentionem. Et ſi aliquis fratrum vel recommendatorum nobis aliquid dederit, illud non dividatur, ſed reſervetur pro utilitate communi, circa procuratorem noſtrum iu loco ſecuro, cum teſtimonio duorum fratrum ad hæc per omnes deputatorum, pro relevatione paupertatis fratrum noſtrorum, & in Exequijs eorum, & in cultûs Divini augmentum, de conſenſu omnium fratrum & in eleemoſynis alijs expendendum. Si autem tanta pecunia ſimul data fuerit, vel ſucceſſivè congregata, quod inde redditus poſſint emi, tot ut omni die duo groſſi dicentibus Miſſas duas poſſent derivari, emantur redditus, qui in Miſſis prædictis expendantur; & ut una candela ardeat in choro B. Virginis die noctuque ante altare ejus per circulum anni in perpetuum; & dicta Bona teneantur per unum fratrem, qui communiter per alios electus fuerit, in quem ſi concordare non poſſint, majori parti eorum ſtetur, & unam ſexagenam groſſ. de toto quod excreverit, pro labore ſuo idem procurator mercedem reportet? Et ſi ſuperveniat major pecunia ultra obedientiam illam, nihil ullo modo ematur, niſi pro ornatu & candelis, & eleemoſynis pro pauperibus, & conſolationibus fratribus largiendis ac alijs faciendis, quæ videbuntur fratribus ſalubria & meritoria, & pro conſervatione fraternitatis in perpetuum valitura; per quæ debebunt ſuccurrere paupertati fratrum & ſepulturæ ipſorum, & alijs neceſſitatibus, quæ occurrent, maximè quæ cedant ad laudem & gloriam Dei, & Matris ſuæ, ac Patronorum noſtrorum, & ad augmentum meriti noſtri, & corroborationem Fidei, Spei & Charitatis. Etiam volumus, quód quandocunque ex fratribus quis morietur, vel anniverſarius alicujus fratris peragetur, debebit procurator fratrum de communi pecunia, ſi quæ erit, pro illa anima plures Miſſas comparare, & panem vel denarios pauperibus Clericis, & alijs pauperibus ante fores Eccleſiæ diſtribuere, quantum poterit; & hoc committimus conſcientiæ ſuæ, ut fideliter faciat & non obmittat. Volumus etiam, ut ſuper his omnibus faciendis, tenendis & explendis quilibet fratrum modernorum, in futuróque ſuccedentium ſyncero fidei Sacramento ſe aſtringat fideliter & vinculo. Nec ulli fratrum poſtquàm ſemel aſſumptus fuerit ad fraternitatem, ex quacunque cauſa vel motu, puta iracundiæ, vel odij, vel mutatione ſtatûs, vel rixæ, vel diſcordiæ à fraternitatis prædictæ concordia de cætero liceat reſilire, cùm ſuper charitate maxima ſit fundata, à qua recedere labem peccati incurrere eſt mortalis. Volumus etiam, quando aliquem ex fraternitate noſtra mori contiriget, ut fratres procurent triginta Miſſas ſine intermiſſione pro anima ipſius dicere per meliorem Sacerdotem, qui extra fraternitatem haberi poterit, idq;

de pecunia mortui; quæ ſi haberi non poterit, tunc de [illegible] detur ſibi ſolarium pro labore, ſecundum quod cum [illegible] & ſi communis pecunia non fuerit, tunc hi qui procuratores [illegible] fuerint, imponant cuilibet ex fraternitate certam ſummam [illegible] dum ſtatum & conditionem cujuslibet, quod conſcientiæ [illegible] quimus: ita ut ſemper pecunia detur pro expletione [illegible] prædictarum. Et quia ſcriptum eſt: *Ecce quam bonum, &* [illegible] *tare fratres in unum:* debemus eſſe unanimes in omni[illegible] one, concordia, perſeverantia, puro zelo, puro corde, ſine [illegible] ter alterum ſicut ſe ipſum diligendo, in nullo ſe invicem o[illegible] verbo, nec opere; ſed promovendo in licitis & honeſtis ub[illegible] rimus, ut legem Chriſti impleamus; quâ impleta, cre[illegible] ſperemus nos cum ipſo regnaturos, quod ipſe præſtare di[illegible] gnum permanet in ſæcula ſæculorum. amen. Volumus e[illegible] pargameno hat, in quo hæc ordinatio de verbo ad verbum tra[illegible] ut in eo nomina noſtrûm omnium, præſentium & futurorum [illegible] primò ponantur in receptione cujuslibet; ſc[illegible]batur etiam in [illegible] gium, in quo nomina omnium noſtrûm qui morientur, quo [illegible] tuus, ponantur, ut ſciatur dies anniverſarij cujuslibet p[illegible] hæc ſalubris ordinatio robur & firmitatem obtineat perpet[illegible] ter ſupplicavimus Dominis Prælatis & Canonicis dictæ Prag[illegible] ut aſſenſum ſuum præberent huic Sanctæ & utili noſtræ ordinatio[illegible] thoritatem quam hâc vice habent ex adminiſtratione eis per Sede[illegible] ſtolicam Epiſcopatus recommiſſa; dent & præſtent. In teſt mo[illegible] turorum præſentes fieri, & ſigillorum Adminiſtrationis ac Capituli [illegible] juslibet noſtrum munimine procuravimus roborari. Actum & [illegible] pud Prag Eccleſiam, A. D. 1328.

Hoc pium & laudabile ſanè inſtitutum, vel ex hoc quoque [illegible] gnum commemoratione hic exiſtimavi, quòd niſi hâc occaſione [illegible] ferretur, cùm ipſum autographum ſolum duntaxat extet, nec [illegible] am uſpiam alibi reperire liceat, facilè memoria ipſius amitti & [illegible] ſet. Cæterùm Confraternitas hæc ſubſequentibus annis etiam à J[illegible] Epiſcopo Prag. ſicuti etiam ab Arneſto I. Joanne I. & Joan. II. A[illegible] ſcopis confirmata, brevi in florentiſſimam aſſurrexit, ita ut p[illegible] Prælatis & Canonicis ei ſua nomina darent. VVolframus porrò [illegible] piſcopus Joannis II. cognatus & ſucceſſor an. 1398 quinimò & [illegible] ceslaus Imp. & Bohemiæ Rex an. 1400. ampliſſimis [illegible] munitatibus eam decorârunt: quæ omnia in dicto MS. Codice [illegible] ſine conſignata leguntur. Inter prima Confraternitatis [illegible] erat etiam *Lupus Sacriſta.* Vir hic denuò nobis eſt cum præ[illegible] nominandus: ob id cumprimis, quòd Miſſam de B. Virgine Maria [illegible]

ſub aurora decantandam in Eccleſia D. Viti, fundavit, aſſignando certos redditus pro Miniſtris in Villa Pticz in ſedecim curijs ruſticorum ibidem ſitis agris, cenſibus, &c.

Ad Drslaum redeo, de quo iſtud adhuc paucis commemorandum habui: fuiſſe virum, qui apud Joan. Regem plurimùm gratiâ & authoritate pollebat, & cujus conſilijs idem Rex multùm tribuere erat ſolitus. Unde operâ ipſius factum, quòd ſua Familia per Przemyslum Ottocarum Regem, circa an. 1212. (incertum, qua de cauſa) ad imum penè depreſſa, & Bonis ſpoliatus omnibus, inter quæ erat ditio Merklinenſis per id tempus ampliſſima in diſtrictu Plſnenſi, exuta, nec niſi ſub VVenceslao II. Rege Bohemorum Sexto, aliquantùm meliori fortunæ reſtituta, (quo tempore primùm *Henricum IV.* qui erat Drslai parens, & *Bohuslaum* fratrem ejus, *VVenceslaum* item & *Nicolaum* agnatos illorum, *Czerninos de Chudenicz* nominari cœperunt) denuo aſſurgere cœperit. Poſtea *Joannes, VVilhelmus & Henricus V.* Drslai à fratre Brzetislao III. nepotes, quòd Carolo IV. Imp. ob virtutum ſuarum merita, multaque domi & foris præclarè geſta, ſingulariter chari atque accepti eſſent effecerunt, ut magis adhuc refloreſceret priſtinum Nobiliſſimæ Familiæ decus. Hæc in gratiam Czerninorum paucis ſuperaddere placuit: quam præſtantiſſimam Familiam in Patria perennare, ac ſemper florere, & bonis omnibus affluere ex corde cupio. Jam ad noſtra.

Idem Drslaus Præp. Familiæ ſuæ, nempe Czerninianæ, inſigne decus.

Zdislaus à Sternberg Archid. poſtea Præpoſitus, Canonicus VViſſehrad. Boleslav. & S. Ægidij Pragæ, tam genere nobilis, & quidem vetuſtiſſimæ in Bohemia, ac prius in Croatia originis, quàm doctrinâ, virtute, ingenio, rerumque gerendarum peritiâ inſignis: Fundator altaris S. Marthæ in Eccleſia Prag. quod pago ſuo *Martinoves* propè Budinam dotavit.

Nicolaus Caroli IV. frater, Præpoſitus, poſtea Patriarcha Aquilegienſis, ſingulari ſapientiâ & manſuetudine præditus.

Udalricus Worzeczizky de Pabienicz Scholaſticus, Vir cùm Nobilitate vetuſtiſſimæ in Bohemia ſtirpis, tum Doctrinâ & pietate præſtans qui, ùt paulo ante meminimus, fundationem Miſſæ quotidie in aurora peragi ſolitæ, in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, à Lupo Sachriſtiano inſtitutam, (*Maturam*, quod maturè inchoari ſoleat, commûniter vocamus) quò diligentiùs tunc & futuris omnibus temporibus perſolveretur, plurimùm de ſuo auxit.

Franciſcus Præpoſitus, nominatiſſimus apud Lupacium, Weleslavinum, Crugerium, Balbinum & alios, Hiſtoricus, qui res ſub Joan. Rege, & Carolo IV. Cæſare geſtas fideliter deſcripſit.

Plichta, de Illuſtri Familia progenitus, *Decanus*, Conradi à Mſſen, & Catharinæ de Zerotin filius: prout ipſemet fatetur in literis Fundat. Altaris S. Urbani in Eccleſia Prag. ſuis impenſis factæ, & pago Dorin prope Launam dotatæ, an. 1362. d. 15. Julij (*) *Vir prudens, gravis, modeſtus & hoſpitalis*; quas & alias virtutes condiebat inſigni comitate, ob idq; omnibus ſummis & infimis Carolo IV. imprimis valde gratus. Moriens domum ſuam in Arce Prag, quæ modò eſt vicina Monaſterio S. Georgii, & quam communiter Præfecti ſive Capitanei Arcenſes inhabitare ſolent, Eccleſiæ ſuæ & Capitulo in perpetuum tranſcripſit, quod demum etiam Carolus Imp. pro poteſtate ſua regia confirmavit. Domus hæc pro Canonicis eſt commodiſſima & opportuniſſima, quia in Arce, & Templo vicina: injuriâ prætéritorum temporum devenit, ſicut alia plurima, in ſecularium manus; nunc in poteſtate eſt Regiæ Maj. Rediret utinam! ad *Dominum, prout erat antè ſuum*.

(*) *lib. 1. Erect.*

Prælati & Canonici Prag. ſub Joan. I. & II. VVolframo, Nicolao & Zbinkone, ArchiEpp. præ aliis nominatiores.

Bohuslaus Krnowsky, Juris Pontificij Doctor, Decanus & Concionator admodùm eruditꝰ & facundus, *Petrus de Janowic* Præpoſ. *Sezyma de Auſti* Præpoſitus Tynenſis ad Wltawam, *Laurentius de Augezdecz* Scholaſticus Prag. & Præpoſitus Colleg. S. Crucis Wratislav. *M. Adalbertus* S. Theologiæ Profeſſor, *Bohuslaus* Archid. Kaurzim. *Beneſſius de Krawarz, Joannes de Litomiſſl* Decanus S. Apollinar. *Theobaldus de Rizmburg, aliàs de Sſ...*, *Andreas de Duba* Scholaſt. ac demum Epiſcopus Mersburg. *Joannes de Nova Domo, Beneſſius Krabicze de Weitmille, Joannes Krabicze* frater ejus, *Joannes de Landſtein* Præpoſitus Melnic. *Matthias de Skramnik, Joannes de Janowicz & Burchardus de Kolowrat* Præpoſiti Boleslav. *Zdislaus Chrt* Præpoſ. Om. SS. *Jaroslaus de Klinſtein, Tymo de Koldicz* poſtea Epiſcopus Miſnenſis, *Wenceslaus de Hazmburg, Wilhelmus de Hazmburg, Nicolaus de Potnſtein, Puta de Czaſtolovicz, Slavata de Chlum* Decanus Boleslav. *Ulricus de Sulczpach* Decanus Om. SS. *Jacobus de Pabewicz, Nicolaus de Bavorow, Wenceslaus de Genſtein* Præpoſitus primò Colleg. Eccl. S. Chryſtophori Tynæ ad Wltavam, deinde S. Apol-

pollinaris in Nova Civit. Prag. *Czenko de Lippa* Præpoſ. Kremſirienſis, *Kunſſo de Trzebowel*, *Witko de Czernczicz* Decanus, ac demum Præpoſitus Colleg. Eccleſiæ S. Egidij Pragæ, *Joannes Kbel*, *Joannes de Praga* Præpoſitus Eccl. S Apollin. Pragæ, (aliqui etiam Wiſſchradenſem Præpoſ. fuiſſe volunt) deinde Epiſcopus Litomiſsl Olomuc. Adminiſtrator ArchiEp. Prag. ac tandem Cardinalis: *Fridmannus de Praga* Profeſſor Sacræ Paginæ, *Jaroslaus de Porzeſſin*, *Adamus de Nczeticz*, *Georgius de Bor*, *Joannes de Miſa*, *Joannes de Maleſſicz*, *Joannes de Niemczicz*, *Witko junior de Czernczicz* Decanus S. Apollinaris, & Succeſſor ejus *Wenceslaus de Radecz*, *Hermanus de Mirow* Officialis Litomiſsl. *Petrus de Wſſerub* Bonifacij IX. Secretarius, & plures alij *Canonici Pragenſes*, præmemorati Bohuslai Decani tempore, viri ùt excellentiâ ac ſplendore generis aliqui, ita cæteri eruditione, divini humaníque Juris peritiâ, longo rerum uſu, prudentiæ & experientiæ opinione clariſſimi; quidam ArchiEpiſcoporum Joannis II. Wolframi, Nicolai, Zbynkonis, Vicarij in Spiritualibus generales; & nonnulli è poſtremis, qui hîc recenſentur, adversùs exorientem hæreſim, pro fide & publica piorum ſalute fortiter certantes, athletæ præſtantiſſimi, ob idq; memoriâ in benedictionibus æternâ digniſſimi.

Minùs verò prætereundum mihi eſt, Nobiliſſimum illud Eccleſiæ Metrop. Pragenſis Sydus, B. Joannes Nepomucenus Canonicus, Joannæ Reginæ à Confeſſionibus & eleemoſynis: quem Wenceslaus Rex barbaro crudelitatis exemplo in Wltavam præcipitari ac ſubmergi juſſit, ob unicam hanc cauſam, quòd Reginæ Confeſſionem revelare, profeſſionis ſuæ ſanctè memor, noluiſſet. Joannes Nepomuc. Canonicus Prag. Martyr.

Pontanum Præpoſitum quondam noſtrum de illo ſingularia quædam narrantem audiamus: *S. Joannes Eleemoſynarius, Martyr, qui ex Nepomuk hujus terræ opido oriundus, hujúsq; S. Metropol. Eccleſiæ Canonicus, cùm Wenceslao IV. Regi, ad inſtantiam ſuam, ante & in tormentis, Confeſſionem peccatorum Conjugis ſuæ, ſibi ſacramentaliter factam (ſic enim ille liberiùs in eandem*

Con-

Conjugem ſuam piè eum transgreſſionum ſuarum ſæpius monentem ſævire voluit) nollet patefacere, de ponte in Moldavam fluvium præcipitatus eſt, & luminibus noctu ſupra aquam, ubi corpus ſuum latuit coruſcantibus, certiſſimis innocentiæ Sanctitatisque ſuæ cœlitus manifeſtatus, in Eccleſiam S. Metrop. ſolenniter ab omni Clero & populo translatus; ubi etiam hodie, qui ſepulchrum temerè dehoneſtat, publicæ ignominiæ protinus ſubjicitur. Hic vere admirabile & inauditum perpetuúmq; inviolati S. Confeſſionis ſigilli, & Confeſſionis tam faciendæ quàm audiendæ, monumentum hoc ipſo reliquit.

cujus innocentiſſima, ſed apud Deum pretioſa mors

Idem memorat Daubravius Epiſcopus Olom. hiſce: *A paulo poſt ira adhuc flagrante Rex, accerſit Joannem Sacerdotem audire Reginam ſolitum, quoties delicta fidelibus auribus committeret. Quæ quidem delicta Rex abeo, dum authoritate, minis, terrere, fruſtra explorat, victus iracundia Joannem Canonicum Pragen. de ponte Prag. dejici ac ſubmergi jubet. Quàm vero Sanctus & innocens Sacerdos ille fuerit, ipſe fluvius oſtendit, ita derepente arefactus, ut corpus nudaret ſubmerſi, in ſtatúq; illo triduum permanens, donec ſubmerſus ad S. Vitum ſepeliretur, ubi in hunc diem quicunq; ſepulchro temerè inſultaverit, immanis ab infamia non evadit.*

prodigijs illuſtratur.

Idem Hagecius. Eodèm anno, nempe 1384. Wenceslaus variis vitæ illecebris, luſibus & ſaltationibus deditus vitam Rege indignam duxit. Conjux ejus, uti proba ac virtutibus ornatiſſima Regina, ſæpe illum ſecretò tamen corrigebat, & Parentis Caroli veſtigia repræſentando, ut ijs inhærere vitamque in melius commutare vellet, amanter hortabatur: ſed admonitionibus hujusmodi nil aliud effecit, niſi quòd in ſe odium hujus Regis provocaverit, qui omnibus modis & ſtudijs quærebat eam per occaſionem vitâ privare. Die S. Sigismundi vocavit ad ſe ejus Confeſſarium Joannem Nepomucenum, Univerſitatis Prag. Magiſtrum, & ibidem in Arce Prag. ad S. Vitum Canonicum

Canoni-

(*) *Pontan. in Bohem. Pia lib. 4. Daubrav. in hiſt. Bohem. lib. [illegible]*

nonicum, Virum timentem Deum; & interrogavit diligentiſſimè, urgebatq; ut ſibi aperiret, quæ peccata ipſi Regina confeſſa fuiſſet: ad quæ Sacerdos reſpondens ait; Sereniſſime Rex ac Domine, hæc meâ memoriâ ampliùs non teneo, & ſi tenerem, tamen mihi minimè conveniret, ea revelare, multò minus decet Majeſtatem Veſtram hæc interrogare. Rex irâ ſuccenſus, in teterrimum carcerem eum detrudi juſſit; & cùm ex eo nil reſcire poſſet, miſſo pro carnifice, quem ſuum compatrem vocabat, illum torturæ ſubjecit. Quia verò neq; hâc viâ ab ipſo quidquam extorquere potuit, mandavit illum nocturno tempore deduci ad Pontem Prag. & ligatum manibus in aquam præcipitari. Quo facto, ſupra corpus ſubmerſi, eâdem nocte & ſequenti multa lumina ardentia viſa ſunt: quibus cognitis Rex Pragâ in Zebrak diſceſſit. Prælati autem Metropol. Eccleſiæ corpus ex aqua tulerunt, & illud in dicta Eccleſia, ante Altare Beatiſſimæ Virginis Mariæ, magna cum devotione ſepeliverunt: ad cujus poſtea ſepulchrum multa & varia acciderunt miracula, ita ut idcirco ab omnibus paſſim pro Martyre & Sancto Dei haberetur. Ut verò à quopiam ejus ſanctitas impetita, & Crux inciſa in lapide ſepulchrali temerariè calcata fuit, is idem eodem die opprobrium & ignominiam evitare non potuit. Quapropter Prælati iſtud ſepulchrum cratibus ferreis circumdari fecerunt. Ita Hagecius.

Id porrò, quod ultionem divinam non evitent, qui locum ſepulturæ ejus, temerè & per contemptum calcant, pluribus exemplis recentioribus juxta ac vetuſtis, & quidem tot, ut facilè juſtum volumen efficerent, oſtendere poſſem; ſed propoſitæ brevitatis memor, cujus limites jam antea me hìc non ſemel exceſſiſſe fateri oportet; alterius Operi, ut ſupra aliquoties jam monui, ſtylo uberiori, & ex conſtituto deſcribenda relinquo. Quædã etiam Radio ſequenti commodiùs memorabuntur.

(*) *Hagek ad an. 1383: Crüger: ad d. 2. Maij. Tanner in vita P. Chanowsky cap. 1. MS. Pauli Zidek in Chron. min. Paprocius in Cathalog. Epp. & Archi-Ep. Prag.*

Parem ſortem ſubijt *Doctor Johannek*, Suffraganeus & Officialis Joan. II. ArchiEp. Prag. ejusdem Regis juſſu decennio poſt, 19. April. manibus pedibúsq; ligatis ad profluentem Wltavæ de ponte deturbatus. Datum crimini, quòd F. Albertum ſine conſenſu regio, in Abbatem Cladrubienſis Cœnobij confirmâſſet. Sequuta pòſt, magna per totum Regnum aquarum exundatio, ita ut per forum Antiquæ Vrbis Prag. navigijs tranſire potuerint: *quam plerīq; cenſebant* (verba ſunt Procopij Lupacij, tametſi acatholici [a]) *eſſe hujus Johannecy necis inſontis, Dei permiſſu, vindicem, &c.*

Suffraganeus & Officialis Prag ob defenſionem jurium Eccl. in flumen præcipitatur.

Huc pertinent etiam illi duo Metrop. Eccleſiæ Canonici, *Jaroslaus Miczan Baro de Klinſtein*, & alter, cujus non ſuppetit nomen; qui ab ArchiEpiſcopo ad Regem miſſi, ut ſciſcitarentur ab eo, cur tam indignâ morte Suffraganeum ſuum, hominem in ſacris, & quidem Epiſcopali dignitate conſtitutum tolli juſſiſſet? in teterrimum carcerem idcirco conjecti ſunt, edocendi paulo eſt, ut pari maleficio è medio tollerentur, niſi amici quidam Jaroslai, in Aula Regis nonnihil potentes, maturè interveniſſent. Dum igitur poſt quadraginta captivitatis ſuæ horas, carcere dimitterentur, Jaroslaus uti erat vir cordatus, & oris rotundi, & tunc etiam, uti apparet prophetico repletus ſpiritu, videns Regem ſupernè in pergula pallatij ſtantem, auſus erat his illum alloqui: habemus Rex tibi gratias, quòd nos tanquàm inſontes carcere dimittas: verumtamen ſcias, quòd ſicut nos duos injuſtè carceri mancipâſti, ita viciſſim bis tu ſimilem violentiam experieris; & quia nos quadraginta horis anguſtiâ carceris macerâſti, totidem etiam ſeptimanis tu incarceratus maceraberis: quæ eventus demum comprobavit (b)

Neque omittendus hic nobis eſt Presbyter ille, nomine Martinus Cynk S. Metrop. Prag. Eccleſiæ miniſter, vir uti de ipſo referunt, *à pietate & virtutibus notiſſimus*, origine Pra-

(a) *Procopy Lupac. in Ephemer. ad d. 19. April.* (b) *Hagek ad an. 1393. Tanner in Notis Veſtig. Bob. Pia ad cap. 5.*

Pragenſis: qui cùm hæreditatem ſuam, quam defuncto Patre in Curia antiquæ Urbis repoſitam habebat, à Senatu repeteret, ingreſſusque Curiam ſuum jus inſtanter proſequeretur, offendit idcirco præcipuos quosdam, qui (ut plerumque fit cum hæreditatibus pupillorum: ſcio hic exempla non pauca, & recentiora aliqua) pecuniam ſub ſpecie mutui inter ſe diſtraxerant, usque adeò, ut illum mox in carcerem conjicere mandarent. Neque hic ſolùm ſtetit impietas ſacrilegorum hominum, ſed ut ſcelus ſceleri adderent, noctu ſacco veluti culeo inſutum ad pontem ferri, & in profluentem Moldavæ, nullo penitus reſpectu Sacerdotij habito, præcipitari juſſerunt. Non tulit hoc impune Divina Nemeſis, ſed innocentiſſimi viri tam indignam mortem haud ſerò vindicavit: nam quotquot fuêre mortis hujus authores, non multo poſt tempore, omnes diverſis ac repentinis morborum generibus, divinitùs ut creditur immiſſis, accelerato vitæ exitu interiêre.

Vetero-Pragenſis Magiſtratûs impietas & ſacrilegium.

Beneſſium oculatum horum omnium teſtem audiamus (c) *Accidit*, inquit, *ut Judex & Jurati majoris Civitatis Pragenſis facerent inſaccari, & ſubmergi publicè quendam Presbyterum nomine Martinum, miniſtrum Eccleſiæ Pragenſis. Quod factum cùm fuiſſet perlatum ad audientiam Domini Imperatoris, moleſtè tulit, & fecit deſtitui ab officijs Judicem & Juratos, & omnes illius nefarij facti conſcios; nec priùs voluit civitatem Pragenſem ingredi, niſi illi omnes de civitate recederent. Qui inter hæc miſerunt ad Sedem Apoſtolicam, & impetrârunt literam abſolutionis ad Dominum Arneſtum ArchiEp. Prag. qui abſolvens eos, injunxit eis pro pœnitentia, ut diſtribuerent in eleemoſynam pauperibus ſeptem millia ſtrichonum ſiliginis, & procurarent duas lampades perpetuas in Eccleſia Pragenſi, pro tanto exceſſu; quod & fecerunt:* & in brevi omnes poſtea mortui ſunt.

(c) *Beneſſ. de VVeitmil. Can. Prag. in Chron. Prag. lib. 4. ad an. 1361. Hagek ad an. eund. Pontan. Balbin. Cruger. ad d. 3. April. VVeleslav. in Calend. ad d. eand. April.*

Præſati & Canonici nominatiores.

Hæreſi deinde invaleſcente, & ipſo etiam ArchiEpiſcopo Conrado Weſtphalo in eam per ſummum ſcelus prolapſo, quanta enituit virtus Joannis Oſtrowecz de Kralowicz Decani, Nicolai de Praga Archidiaconi, Wenceslai Gurim Scholaſtici, Andreæ de Broda, Stephani de Stankow, Stephani Palecz nominatiſſimorum apud Cochlæum, *(d)* Jaroslai celeberrimi in Eccleſia Prag. concionatoris, de quo Hagecius (*e*) Nicolai de Znogma, Simonis de Tiſsnow, Kunſſonis de Zwole, poſtea Epiſcopi Olomuc. Raczkonis de Bierkow, & aliorum Canonicorum Metrop. Prag. Eccleſiæ, ſupra Radio III. oſtendimus. Hos ſequuti, Joannes de Duba Decanus, poſtea ſimul Wiſſeherad. *Præpoſitus* Alberti II. Imp. & Bohemiæ Regis Cancellarius, ac tandem, ut vult *P.* Crugerius, Eichſtadienſis Epiſcopus, & à *Pio* II. nominatus Cardinalis. De quo in Cathalogo Epiſcoporum Eichſtadienſ. hoc inſigne encomium lego. *Joannes III. Doctor Sacrarum Scripturarum ac Pontificiarum legum, vir eloquens ac ſapientiſſimus. Præfuit laudabiliter ac utiliſſimè 8. annis, & tribus menſibus. Fuit Alberti II. Imp. Cancellarius, non ipſi tantùm charissimus, ſed & omnibus alijs Principibus: imprimis verò Pontifici Max. Pio II. qui audiens eum ex hac mortali vita emigraſſe, dixit Romæ in publico omnium Cardinalium conſeſſu: Eccleſiæ meritò deplorandam eſſe mortem hujus Epiſcopi, quæ verè jam amiſiſſet auream ſui corporis columnam in Germanis. Fuit acerrimus Cleri reformator: pauperum verò pater longè humaniſſimus. Obijt, an. 1464.* Item Simon de Nimburga, Franciſcus de Beneſſov Præpoſ. Boleslav. Joannes Papauſſek, poſtea Præpoſitus Litomeric. Procopius de Kladrub, Jodocus de Roſenberg, Grandis Prior Melitenſis ac tandem Epiſcopus Wratislav. Jaxo de Nimburga, Martinus de Straſſecy, Georgius de Praga, Nicolaus de Auſti, Wenceslaus de Krumlow, Nicolaus de Krumlow &c. Præpoſiti, Decani & Canonici Prag. Viri unde quaque clariſsimi, & de Religione Catholica, quòd non fuerit ab hæreſi

(d) *Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 1. & ſequ.* (e) *Hagec. ad an. 1413.*

reſi oppreſſa & extincta in Regno tota, vel ex hoc capite, benè meriti.

Sequuti horum veſtigia, Hilarius de Litomerzicz, Wenceslaus de Krzizanow, Joannes de Rabſtein Præpoſitus Wiſſehrad. Hanuſſius de Kolowrat, Beneſſius de Waldſtein Præpoſitus Litomeric. & Olomuc. ac demum Epiſcopus Caminenſis, Joannes de Krumlow Procopius Budovecz, Henricus Præpoſitus Melnicenſis, Joannes de Horzicz, Stanislaus de Welwar, Nicolaus de Horzepnik, Petrus de Wlaſſim, Wenceslaus Bartlik, Joannes de Kaplicz, Joannes Roaicz, Joannes de Utery, Wenceslaus de Plana, Ambroſius de Plſna, Paulus Pauczek, Joannes à Wartmberg, Blaſius de Plana & alij.

Item, *Joannes Zak*, Præpoſ. Litomeric. *Wenceslaus de Wilbarticz* J. U. Doctor, Wladislao Regi à ſecretis Præpoſitus Olomuc. & Brunenſis, *Erneſtus Baro de Schleinicz* Præpoſ. Prag. & Miſnenſis, *Joannes Fabri* Archidiaconus, poſtea Epiſcopus Viennenſis, *Joannes Andreæ* Decan. *Simon Chrt*, *Nicolaus Hauska de Wratiſſow*, *Ioannes Hrobcziczsky*, *Wenceslaus à Wolfenberg*, *Joannes de Puchow*, *Valentinus Han*, *Simon Willaticus*, *Thomas Baworowsky*, *Ioannes Przeſſticzky*, *Henricus Scribonius*, *Wenceslaus Fremberg*, *Henricus de Blatna*, *Ioannes Maſſtowsky*, *Sigismundus de Boleslavia*, *Petrus de Linda*, & complures alij, ad usque reſtauratum, beneficio Ferdinandi I. ArchiEpiſcopatum: quorum incorrupta in Deum, & Apoſtolicam Sedem fides, tot inſignibus documentis probata (nullis ſiquidem vitæ periculis, nullis beneficiorum, aut quarumcunque fortunarum diſpendijs, etiam cùm ab aris fuiſſent proſcripti, exuti Sacerdotijs, in exilium acti, adduci potuêre, ut vel in minimo à Sacroſanctis Eccleſiæ Romanæ placitis deficerent) ardénsque Catholicæ Religionis defendendæ ſtudium, nullis profectò laudibus poteſt ſufficienter æquari. Hinc non immeritò Ferd. I. glorioſæ memoriæ Imp. & Bohemiæ Rex, illos, ut ſupra meminimus, *Catholicæ Religionis in Regno ſuo Bohemiæ columnas appellavit.* (f) Atq; ite-

Capituli in tuenda Religione Catholica ſtudium laudatur à Ferd. I. & alijs.

(f) *In Diplom. Ratisbonæ dato an. 1545. 18. Auguſt. In litt. ad Paulum IV. Pragæ an. 1558. die 15. Novemb.*

Capituli in tuenda Religione Catholica ſtudium laudatur à Ferd, I. & alijs.

iterum: *Viros in retinenda ac defendenda Religione Catholica ſumma integritatis & conſtantia; pérq; illos ſtetiſſe, quòd Catholica Religio, & Romana Sedis obſervantia, non fuerit in Regno oppreſſa & extincta penitus.* Huc facit & iſtud Cochlæi Decani Wratislavienſis Scriptoris eximij, de Eccleſia & Capitulo Metrop. Prag. (g) *Ea enim Eccleſia ſemper in Catholica fide permanſit: cujus ſanè Prælati & Canonici, pro teſtamento Dei, multas ab hæreticis tribulationes, damna & exilia perpeſſi ſunt.* Viri utique fortes, & omni laude digniſſimi, *quorum genua non ſunt incurvata ante Baal; neq; os adoravit oſculans manum ejus.* (h)

Prælati & Canonici ſub Antonio, Martino & Zbygneo ArchiEpp. famoſiores recenſentur.

Poſt reſtauratam ArchiEpiſcopatûs Sedem, qui ex Prælatis & Canonicis, ſeu pietate & tuendæ propagandæq; Catholicæ Religionis zelo, ſeu doctrinâ & eruditione, rerum maximarum experientiâ, prudentiâ, conſilio, morum gravitate, aut aliâ virtute excelluerunt, fuerunt, Petrus de Linda & Bartholdus Pontanus, uterque Decanus & Præpoſitus, viri ſingularis prudentiæ & eruditionis, benéque de omnibus merendi ſtudioſi; & quod tunc rarum erat, apud Maximilianum II. & Rudolphum II. Cæſares ac Bohemiæ Reges, apudq; omnes, etiam acatholicos Regni Proceres, magnæ auctoritatis. Utrumque res pro bono Eccleſiæ & Capituli feliciter juxta ac utiliter geſtæ, & Bartholdum quidem etiam opera eruditâ manu conſcripta, & in lucem typis edita, quibus nomen ejus apud doctos hodieque eſt celebre, ſummè commendant.

Horum coævi, & in eadem Eccleſia cooperatores fideliſſimi; erant, *Thomas Albinus de Helffenburg* Canonicus & Officialis, poſtea an. 1574. Epiſcopus Olomuc. *Valentinus Cykan* Concionator in Eccleſia Metrop. præſtantiſſimus, ultimò Præpoſitus; *Petrus Pießin* Præpoſitus Boleſl. *Felix à Linda* Archidiac. Prag. & Præpoſitus Wiſſehrad. *Beneßius de Chiß* & Spiczberg Canon. Senior Prag. Præpoſitus Wiſſehrad. & Decanus Omnium SS. *Bartholomæus Flaxius* Archid. Item *Wolffgangus Chanowſ-*

ky

(g) *Joan. Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 11. pag. 403.* (h) *3. Reg. cap. 19. 8.c.*

ky de Longavilla Canonicus, & Adamus de Winorze Archidiaconus, ambo Nobilitate Familiæ, ſed magis doctrinâ & pietate illuſtres. Hic egregiâ oris facundiâ præditus, officium prædicatoris per annos complures cum laude geſſit, in cultu & ſenſu ſuo humilis, acceſſu facilis, alloquio blandus, moribus ſuavis, omnibus denique gratus. Ille Doctorali Bononiæ utriusque Juris laureâ donatus, Decanus primò Carlſteinenſis, deinde etiam Canonicus Pragen. audijt. *Quo in munere* (ait Tanner in Vita P. Alberti Chanowsky cap. I.) *ita virtutes dotésq; ſuas reliquas probavit omnibus, ut communibus paſſim vocibus ArchiEpiſcopi Pragenſis ſublimem dignitatem ei ominarentur: Sed mors invida annorum triginta & unius florentem ætate abripuit, anno à partu Virginis 1586.* Sepultus in Eccleſia Prag. in ambitu Chori penes Capellam Divi Thomæ Apoſt. quam aliàs Sternbergicam dicimus, lapide ibi ſepulchrali teſte cum hac inſcriptione: *Anno 1586. decimâ Maij, obijt R. Nobilis D. Wolffgangus Chanowsky à Dlaubawes, Iuris utriusq; Doctor, Canonicus Metrop. Eccleſiæ Prag. & Decanus Carlſteinenſis, hic ſepultus eſt.*

Simon Broſius ab Horſtein, Canonicus, Decanus, ac tandem Præpoſitus, ArchiEpiſcopus Trapezuntinus, Erneſti ArchiEp. & Cardinalis Suffraganeus, Sac. Cæſ: Majeſtatis Conſiliarius & Comes Palatinus, Vir prudentiæ & gravitatis eximiæ, priſciq; & integri moris.

Caſparus Arſenius de Radbuſa Decanus & Præpoſitus Wiſſehrad. Ioannis III. & Arneſti II. ArchiEpiſcoporum Officialis, qui horribili illâ ſeditionis Bohemicæ tempeſtate anno 1618. & ſequ. tantâ vigilantiâ & fidelitate munus ſuum geſſit & adimplevit, ut non videam, ut ab ullo melius fieri potuiſſet. Huic Eccleſia Metropolitana SS. Reliquias & aliam ſacram ſupellectilem, Capitulum verò Bibliothecam, Archivium ac vetuſtiſſima quæque monumenta, ab omni adverſariorum vi & injuria conſervata, debent.

Ioannes Tyburtius Kotwa, Concionator eximius, & à dicendi gravitate & copiâ Cicero Bohemicus dictus; & *Ioannes Er-*

Erneſtus Plateys Canonici, uterque non minoris pietatis quàm eruditionis. Hic deinde Olomucenſis, ille LitomericenſisPræpoſitus; hic ibidem etiam Epiſcopus electus: ſed ante Conſecrationem acceleratâ undeunde morte,defunctus: ille proGitczinenſi nova in Bohemia Cathedra, ab Alberto de *W*aldſtein Fridlandiæ Duce, cui ſingulariter charus erat deſignatus. Extat de Erneſto Plateyſio apud Carolum Carafam in Aula Ferd. II. quondam Nuncium Apoſtolicum, in ipſius Commentarijs hoc inſigne elogium. *Ibidem Cæſar jam dudum conceptum Votum de reſtaurationeCatholicæReligionis in Regno Bohemiæ,& provincijs Auſtriæ, Moraviæ, alijsq́; hæreditarijs innovavit: quod ut quantociùs, meliori modo, & ordine executioni demandaretur; ego ipſe inſtiti. Et quia Pragæ, Patribus Societatis JESU, & paucis Canonicis exceptis,vix erant Eccleſiaſtici (Religioſis alijsq́; Presbyteris aliò evocatis) Regno providi, novumq́; mihi ipſi in Regno Bohemiæ conſtitui Vicarium, Erneſtum Platiſium, Canonicum Pragenſem & Olomucenſem, virum integerrimum, probatæq́; virtutis, propter ea, quæ perpeſſus fuerat ab hæreticis ob Religionem Catholicam; cùm præter alia, deperditis omnibus ſuis bonis, ab eisdem per multos menſes detentus fuiſſet in carcere; ut per illumCatholica Religio promoveretur, & neceſſaria ad illius promotionem indiès denunciarentur. ArchiEpiſcopus enim, quamvis charitate accenſus, nihilominùs ſenio confectus, infirmus, & in extrema neceſſitate conſtitutus, omnibus jam fortunis exutus, magnisq́; periculis exantlatus, non poterat exequi, quæ cupiebat. &c. (i)*

Ioſephus Macarius de Marſelicz,poſt Arſenij deceſſum Decanus & Officialis, Vir integri nominis, & in ſacris litteris apprimè eruditus.

Andreas Kokr Decanus quoque & Officialis, magnitudine animi, ac dicendi libertate ante alios inſignis, habens Zelum ſecundùm ſcientiam, ac potens exhortari in doctrina ſacra, & eos qui contradicunt, arguere. Hic reſtitutâ Bohemiæ diu op-

(i) *Carol. Caraſa in Commentar. de Germania ſacra reſtaurat. part. 1. pag. 123.*

optatâ pace, nihil priùs habuit, quàm ut reſiduos peſtiferorum dogmatum caudices, in Regno ſtirpitùs evelleret, ac imprimis Cleri mores reformaret, & animabus ad Eccleſiæ gremium reductis de idoneis Paſtoribus proſpiceret. Verùm dum his toto animo & viribus incumbit, meritorum inEccleſiamMetrop. & dierum quoque plenus, extinguitur. Hujus & anteceſſorum Macarij, Arſenij & Pontani, præter alia merita, etiam à Fundationibus erectis non paucis in Eccleſia Metropol. memoria in benedictionibus, eſt frequens & peculiaris.

DanielVitusNaſtaupil àSchiffenberg, PatritiusPrag.SS.Theologiæ Doctor, Canonicus Eccleſiæ *Prag.Præpoſitus* Vetero-Boleslav. ac tandem anno 1665. Suffraganeus Prag. vir ingenio, doctrinâ, morum gravitate, alijsque *Præſulum* virtutibus inſignis, qui eodemSuffraganeatus ſui anno, ultimâ Dominicâ poſt *Pentecoſten* piè in Domino obijt, apud *Patres* Societatis IESU ad S. Clementem ſepultus.

Joannes Franciſcus Raſch ab Aſchenfeldt Præpoſitus &Officialis, Vir ſacrarum Litterarum Iuriſque Canonici admodùm peritus, & à multo rerum uſu, innatáque prudentia, & omni conſilio exactè circumſpectus & cautus, Iurium Capituli ſtrenuus defenſor, ac verè alterum Cleri, & totius HierarchiæEccleſiaſticæ in Regno Bohemiæ quondam lumen & Caput.

Sebaſtianus Zbraslawsky de Suattova Decanus & Officialis, hoc in utroque ampliſſimo munere prædeceſſor meus, pietati & orationibus deditiſſimus, conſcientiæ tenax, decorem Domûs Dei ſummè diligens, & officijs in ea devotè perſolvendis ſedulò invigilans, pauperumReligioſorum verùs pater. Moriens teſtamento condito, Bona ſua in tres partes diviſit: unam Eccleſiæ Metrop. alteram pauperibus Religioſis, tertiam amicis legavit.

Hæc paucis, & aliquorum tantùm, laudum præconia attigiſſe ſufficiat. Encomium porrò iſtorum non debet cenſeri aliorum, qui hic tacentur, vituperium; manet & illos ſua laus, uberiori diſertioríque ſtylo ſuo tempore explicanda. Interim,

Ffff vel

vel id ſolùm pro commendatione omnium abundè faciet: ius corrupta in Deum, Eccleſiam, Sedem Apoſtolicam, ac legitimos ſuos *Principes* Fides, in retinenda ac defendenda Catholica Religione integritas & conſtantia, pluribus documentis, ut oſtendimus Radio III. comprobata, ita ut ne unus quidem ex omnibus nominari poſſit, Fidei Catholicæ deſertor ac proditor. Quod de alijs ſive Sęcularium, ſive Regularium Collegijs dici nequit.

Prælati & Canonici Prag. etiamnum ſuperſtites; eorumque Elogia.

Sua quoquè gloria & laus manet *Prælatos* & Canonicos, per Dei gratiam hodiéque ſuperſtites:

Maximilianum Rudolphum ex Baronibus de Schleinicz, (inclytâ pervetuſtáque Roſenſium *Procerum* Familiâ) hæreditarijs olim Pincernis Regni Bohemiæ, Dominis de Tollenſtein & Schluknow, *Proto* Epiſcopum Litomerzicenſem, ſpectatæ eruditionis, prudentiæ, magnanimitatis, clementiæ & authoritatis Antiſtitem; Eccleſiæ ſuæ lumen, Cleri decus, gemmam Sacerdotum. Hunc Litomerzicenſis Cathedra, ob multa præclarè ac ſapienter facta, & ea imprimis, quæ ad ſtabilimentum ſui poſcebat neceſſitas, rectè ordinata, quaſi alterum Fundatorem agnoſcit: Baſilica D. Stephani à fundamentis ipſius proprijs impenſis extructa, & multiplici apparatu, uti ſacris veſtibus, calicibus, imaginibus, aliáque id genus ſupellectili abundè proviſa, ſuum Zorobabelem in benedictione ſancta recolit. Capitulum verò, quia novis Canonicalibus *Præbendis* ab eo pia liberalitate erectis, ſicuti etiam novis Capitularibus Ædibus conſtructis gaudet, præter alia indulgentiæ, clementiæ, munificentiæ ac liberalitatis ipſius exempla, quæ quotidie experitur, ùt Patrem benigniſſimum veneratur, orátque unà mecum, *diu ut Vivat!*

Wenceslaum Cæleſtinum à Blumenberg Præpoſitum, experientiâ rerum, beneficentiâ ac liberalitate, ſed præcipuè hoſpitalitate, modeſtiâ & lenitate inſignem.

Bennonem Comitem de Martinicz Archidiaconum, Exemptæ Collegiatæ Wiſſchrad. *Præpoſitum*, & Metropolitanæ Sa-

lis-

lisburgenſis Canonicum, pietate, doctrinâ, conſilio, gravitate morum, alijsq; optimo quoque Præſule dignis virtutibus ornatiſſimum.

Michaelem Adalbertum Cruſium vice Archidiaconum, virum, inſigni facundiâ præditum, doctrinâ quoque & in rebus gerendis ſingulari dexteritate præſtantem.

Chriſtianum Auguſtinum Phalcz ab Oſtrzicz Scholaſticum, quem Sacrarum literarum doctrina, & exinde doctiſſima in Fidei Controverſijs ipſius Scripta typis edita: morum præterea gravitas, conſiliorum maturitas, vitæq; integritas, eximiè commendant:

Joannem Ignatium Dlauhovesky de Longa Villa, Equeſtri & antiquiſſima in Bohemia Familia progenitum, à pietate, doctrina, & Divini cultûs promovendi zelo nominatiſſimum; & alijs quoque præclaris virtutibus, elegantiâ morum, humilitate, manſuetudine, lenitate atque affabilitate ſermonis, potiſſimùm verò innocentiâ vitæ, maximè conſpicuum, ſummis imisque juxtà amabilem & acceptum.

Joannem Fridericum Baronem de Talmberg, Metrop. noſtræ & Cathedralis Olomuc. Canonicum, Collegiatarum Omnium SS. in Caſtro Prag. Præpoſitum, & Exemptæ Wiſſehrad. Canonicum, ùt vetuſtate Nobiliſſimæ, & de Patria ſemper optimè meritæ Familiæ, ita præclariſſimis ingenij ac corporis dotibus, Divini cumprimis humanique Juris ſcientiâ, ac omnigenæ eruditionis ſplendore Illuſtrem.

Wenceslaum Bilek à Bilenberg, & Wenceslaum Macarium, SS. Theologiæ Doctores, nuper electos, & in Feſto S. Adalberti Patroni Regni, conſueto ritu, ùt dicimus, inſtallatos.

Verùm de his nunc ſatis.

Seriem hic Epiſcoporum & ArchiEpiſcoporum apponimus; cui ſi alteram, à nemine adhuc, quod ſciam, factam, & ne quidem tentatam, Præpoſitorum & Decanorum, tanquam primariorum in eadem Eccleſia, poſt ArchiEpp. Prælatorum, quam hactenus obſervare potuimus, adjecerimus, rem non ingratam Lectoribus nos facturos confidimus.

Epiſcopi Pragenſes.

I. *Dithmarus* SaxoSlavus, Ord. S. Benedicti Magdeburgi in Monaſterio SS. Petri Ap. & Mauritij M. prof. primus in Bohemia ſacrorum Antiſtes, creatus circa an. 971. Obijt an. 979. die 2. Januarij.

II. *VVoytiechus ſive Adalbertus* Slavvnici Comitis Libicenſis, quem ex ſorore Henrici I. Imp. genitum eſſe ferunt, & Strzezislavæ Boleslai I. filiæ, filius; electus an. 979. (Decennio poſteriùs, quàm velint Hagecius & alij) & ſequenti ab Ottone II. Imp. Veronæ, cùm in Italiam contra Græcos & Saracenos Apuliam infeſtantes proficiſceretur, Pontificalibus donatus, ibidémque à VVillegiſo Arch Ep. Moguntino, qui an. 978. factus eſt ArchiEpiſcopus, & poſtea circa an. 998. primus Elector, conſecratus. Martyrio coronatur in Pruſſia an. 997. die 23. April. Feria VI.

Error Annorum, circa cōſecrationem S. Adalberti, oſtenditur & corrigitur.

Hìc ſubſiſtere parum, & facere τὸ πάρεργον neceſſe habeo, ut dem paucis rationem annorum, quibus S. Adalbertum Dithmaro defunctoEpiſcopum electum & conſecratum eſſe affirmo. Hagecius cæterà præclarus Hiſtoricus, & ex Scriptoribus Patriæ facilè primus, ſi tantúm Chronologiæ ordinem ſervâſſet meliorem; item Weleslavinus, Kutenus, & nuperus Vitæ S. Adalberti ſcriptor, alijque qui Hagecium ſequuntur, (quos inter & ego ipſe olim eram, dum Prodromum Moravographiæ ſcribebam) pertinaciter aſſeverant: Dithmarum cùm uno tantùm anno Eccleſiæ Pragenſi præfuiſſet, mortuum anno Chriſti 969. die 2. Januarij, eodémque anno S. Adalbertum die 19. Feb. electum, ab Ottone I. Imp. Veronæ in Italia confirmatum (ut tunc moris erat Epiſcopos electos ab Imperatoribus per traditionem annuli & baculi paſtoralis confirmari) & à Willegiſo Moguntino ArchiEp. conſecratum die XI. Junij. Sed ſuſtineri id nequaquam poteſt. Nam conſtat Willegiſum, ante annum 977. quo Rupertus ipſius anteceſſor immediatus obierat, ut coævi ſcriptores teſtantur, MoguntinumAntiſtitem creatum non fuiſſe, ſed primùm illo vel ſequenti anno, nempe 978. quomodo igitur S. Adalbertum anno 969. Veronæ conſecrare poterat, quâ Metropolitanus ipſius, qui non dum talis fuerat? CoſmæDe-

cani authoritatem, ſi objicias, quòd ille eundem annum 969. mortis Dithmari, & electionis conſecrationisq; S. Adalberti ponat, Scriptor vetuſtiſſimus & illis temporibus proximus? reſpondeo, mendum certò irrepſiſſe in Codicem ipſius, & vel maximè in numeros, & manu alicujus imperiti ex anno DCCCC. LXXIX. ommiſſo uno X. annum DCCCC. LXIX. factum: prout idem ſuperiùs oſtendimus, ubi de martyrio S. *Wenceslai* egimus, ubi ſimiliter decennio erratum deprehendimus. Et in notandis numeris errare quàm facile eſt. Stat verò authoritas Coſmæ potiùs pro me; quia expreſſè habet non ab Ottone I. qui anno 973. mortuus eſt, ſed filio ejus Ottone II. idq; ſub belli Saracenici tempeſtate, quod cum Græcis & Saracenis Siculis in Apulia variâ fortunâ geſſit, (pallida mors Saracenorum dictus, quod ultimò Saracenos ingenti clade profligâſſet) anno 980 inchoatum, S. Adalbertum per traditionem annuli & virgæ paſtoralis inveſtitum Veronæ, & à Willegiſo Moguntino conſecratum. Audiamus narrationem ipſius. *Eadem tempeſtate Saracenici belli, adijt Veronam Urbem præcellentiſſimus Imperator Otto ſecundus, pacis amator, juſtitiæ cultor, glorioſiſſimo patre primo Ottone glorioſior, qui in prælijs extitit victorioſiſſimus. Ad quem munifica manus Bohemiæ cum electo pergit Epiſcopo, ferens ex parte Ducis legationem, & totius Cleri atq; populi petitionem, quò imperiali nutu eorum communem confirmaret electionem. Igitur Sereniſſimus Imperator condeſcendens eorum digne petitioni III. Non. Junij, dat ei annulum & paſtoralem virgam, & cujus Suffraganeus erat, Willegiſus Moguntinus Archipræſul, qui ibi fortè aderat, juſſu Imperatoris, conſecrat eum in Epiſcopum, nomine Adalbertum. Nam Archipræſul Adalbertus Magdeburgenſis Eccleſiæ olim confirmans Chriſmate, hoc proprio ſuo vocitârat eum nomine. Conſecratus autem III. Idus Iunij cum ſuis ſequentibus equitat in ſuam dulcem Patriam, & ut pervenit ad civitatem Pragam nudo pede & humili corde &c.*

Confirmant noſtram ſententiam alij æquè vetuſti & probati Scriptores, Dithmarus, Hermannus Contractus, Lambertus

 Schaff-

Schaffnab. Sigebertus, Albertus Stadenſis: ſicut etiam recentiores, Cæſar Baronius Cardinalis, Spondanus, Cuſpinianus, Krantzius, Fabritius, Spangenberg, Calviſius, Nauclerus, Peucerus, alijq; facilè ſex & ſexaginta, quos recenſere non poſſet non eſſe tædioſum: qui unanimiter aſſerunt, Ottonem II. rebus domi expeditis, & controverſiâ quam habebat cum Gallis Lotharingiæ causâ, ad votum compoſitâ, anno 980. Italicam expeditionem magno apparatu ſuſcepiſſe, contra Græcos & Saracenos Apuliam omnem & Calabriam hoſtiliter devaſtantes; & ex itinere depulſis ex Iſtria & Foro Julij Græcorum, vel potiùs eorum confæderatorum Dalmatarum præſidijs, Veronæ tantiſper, donec omnes copiæ ex partibus Germaniæ convenirent, ſubſtitiſſe. Et Spondanus de S. Adalberti confirmatione tunc Veronæ peracta, disertè iſta ſcribit: *Anno 980. Imperator in Italiam venit; & cùm Veronæ eſſet, S. Adalberto viro nobilitate, divitijs, ſcientiâ & probis moribus inſigni, electo in Bohemia Pragenſi Epiſcopo, per Virgam paſtoralem tradidit ejus Eccleſiæ poſſeſſionem, quam vocant, inveſtituram.* Quid volumus plus? Nec tolerari debet, quòd Dithmarum unum tantùm annum in Epiſcopatu vixiſſe narrant: tot enim templa hortatu ipſius a fidelibus erecta, & ab ipſo conſecrata, tantáque multitudo gentilium ad Chriſti Fidem ipſius prædicatione converſa, prout ipſimet Hageciani memorant, non unum, ſed plures annos requirunt.

Iſtud verò penitus admitti non poteſt, quod Hagecius refert, dum ait S. Adalbertum, ſub Dithmari Epiſcopi obitum an. 969. rediſſe domum ex Italia, quo ſtudiorum causâ ante decennium, (verba ipſius ſunt) diſceſſerat, jam tum ſacro Ordine Diaconatûs initiatum: & paulo poſt in ſequenti pagina ſcribit, eundem cùm Veronam pro inveſtitura ad Cæſarem eodem an. 969. veniſſet, primò ab Adalberto Magdeburg. Archi-Epiſcopo tunc quoque Veronæ præſente Confirmationis ſacramentum accepiſſe (quod tamen Coſmas, ut jam legimus, pridem factum meminit.) & certum etiam eſt, hoc ſacramentum

con-

conferri priùs quàm ſacros Ordines, etiam minores, ipſámque primam, ut vocant, Tonſuram) deinde verò à Metropolitano ſuo Villegiſo conſecratum eſſe. Sed in viam.

III. *Deodatus ſeu Bohdal* Saxo-Slavus, Ord. S. Benedicti Novæ Corbejæ profeſſus, *artis medicæ peritus, quem Boleslaus* III. Dux Bohemiæ paralyſi laborans ex Monaſterio Pragam evocavit, ejusque operâ feliciter uſus eſt. (*a*) Obijt an. 1017 die 11. Junij.

IV. *Helicardus* Moravus ex Præpoſito Eccleſiæ Pragenſis O. an. 1013. 8. Auguſti.

V. *Iſo* vel *Hyzo* Baro Bohemus cognomento VVeprzek ex Præpóſ. Prag. O. an. 1030. die 30. Januarij.

VI. *Severus, de Familia* Equeſtri Berzkovvskyana, ex Præpoſ. Prag. O. an: 1067. die 9. Decembr.

VII. *Jaromirus ſive Gebhardus* VVratislai Regis frater, Præpoſ. Prag. obijt an. 1090. die 26. Junij.

VIII. *Coſmas* Prag. Eccleſiæ Decanus I. obijt 1098. juxta alios 1097. 10. Decembr.

IX. *Hermannus* Prag. Eccleſiæ Canonicus & Præpoſ. Boleslavienſis, obijt an. 1122. die 17. Septembr.

X. *Meinhardus*, inſignis Eccleſiæ Prag. Benefactor: obijt an. 1134. die 2. Julij.

XI. *Joannes* Præpoſ. VViſſehradenſis: obijt anno 1139. die 8. Auguſti.

XII. *Otto de Schvabenicz*, Præpoſ. Eccleſiæ Pragen. obijt an. 1148. die 9. Julij.

XIII. *Daniel* Baro de Lippa, Canonicus Eccleſiæ Prag. obijt an. 1167. die 9. Auguſti ante Romam in caſtris Friderici Barbaroſſæ Imp.

XIV. *Fridericus*, Gitkæ Reginæ cognatus, Saxo, obijt an. 1179. die 31. Januarij.

XV. *Valentinus*, Gitkæ Reginæ Capellanus, Saxo, obijt 1182. die 6. Febr.

XVI. *Brzetislaus-Henricus*, RegijSanguinis Princeps, & Bohemiæ Dux ſive Interrex. Henrici I. (Regis VVladislai ejus nominis quoque I. fratris) filius, & Henrici II. (à quo Familia Czerniniana) atque Conradi ejus nom. III. Marchionis Moraviæ, ac tandem etiam Interregis Bohem. germanus frater, Præpoſitus antea VViſſehrad. & CanonicusPragenſis, obijt an. 1196. die 14. Junij.

XVII. *Daniel* ejus nominis II. cognomento Milyk, VVladislai Ducis Capellanus: obijt an. 1214. die 15. Martij.

XVIII. B. *Andreas* Præpoſ. Prag. obijt in exilio. an. 1224. die 30. Julij.

XIX. *Peregrinus* Canon. Prag. reſignavit Epiſcopatum an. 1225.

XX. *Budivogus alys Budislaus* de Schvabenicz Canon. Prag. obiit an. 1227. die 9. Julij, ut refert Codex MS. Anniverſ.

XXI *Joannes II.* Scholaſticus Eccleſiæ Prag. obijt 1236. 16. Auguſti, vel, ut alij volunt 22. ejusd.

XXII. *Burchardus ſeu Bernardus* à Suleyvicz Scholaſticus EccleſiæPrag. obijt an. 1239, IdibusSeptembr.

XXIII.

(a) *Ditmar. Ep. Mersburg. lib. 7. Meibom. in Chron. Corbej.*

XXIII. *Nicolaus*, alijs *Henricus* Baro de Roſis CanonicusPrag. obijt an. 1258. die 17. Januar.

XXIV. *Joannes III.* Baro à Drazicz Scholaſticus Prag. obijt an. 1278. die 21. Octobris.

XV. *Tobias à Bechina* Odrovanziæ gentis, quæ erat Kravarzis, Mraczkijs, Dubæis, Bavoribus de Strakonicz cognata, Præpoſitus antea Eccleſiæ Prag. XVII. Calend. Decembris(ùt refert Scriptor coævus & CanonicusPrag.ſed anonymus) ſeu quod idem eſt die 15.Novemb. electus, & ſequenti Dominicâ II. Quadrageſimæ à Brunone Epiſcopo Olom. (Moguntini Metropolitani permiſſu) aſſiſtentibus Baſilienſi & Seckovienſi Epiſcopis rite conſecratus. obijt an. 1296. 19. Februar. Lupacius habet 24 Febr.

XXVI. *M. Gregorius* Decanus Eccleſiæ Prag. obijt an. 1301. die 6. juxta alios 13. Septembris.

XXVII. *Joannes IV.* Baro à Drazicz Joannis III cognatus,Canon.Prag. obijt an. 1343. die 5. Januar.

Huic ſucceſſit *Arneſtus de Pardubicz*, Decanus Eccleſiæ Prag. electus in Epiſcopum eodem anno &menſe,. die 14. Poſtea an. ſequenti factus

I. ArchiEpiſcopus Prag. obijt anno 1364. die 30. Junij.

II. *Joannes Oczko* Baro de VVlaſſim Epiſcop. Olomuc. & antea Præpoſitus Omnium SS.in CaſtroPragenſi, poſtulatus eodem anno in Vigilia S. Margarethæ. Primus Legatus Natus, ac poſtea an.1378. die 17. Septembr. Baſilicæ XII. Apoſtol. Presbyter Cardinalis, ab Urbano VI. creatus. obijt anno 1380. die 14 Januarij.

III. *Joannes Baro* à Genſtein, vel de Genſtein, qui erat Frater germanus,defuncti Joannis ArchiEp. & Cardinalis, Epiſcopus Miſnenſis; reſignavit ArchiEpiſcopatum VVolframo ſororio ſuo cum conſenſu Capituli an. 1396. initio Aprilis, & Romam abijt, creatus ibi Patriarcha Alexandrinus, ibiq; mortuus eſt anno 1400. die 17. Junij. (b)

IV. *VVolframus* Baro de Skvvorecz, Præpoſitus Eccleſiæ Colleg. S. Apollynaris Pragæ, & Joannis Marchionis Luſatiæ, qui erat germanus Frater VVenceslai & Sigiſmundi Impp. Cancellarius, obijt an. 1402. die 1. vel 2. Maij.

V. *Nicolaus Puchnik* Canonicus Pragenſis, & trium ArchiEpiſcoporum anteceſſorum ſuorum Officialis: obijt eodem anno 1402. die 19. Septembris, veneno extinctus.

De hoc refert MS.Codex. *VVolframo defuncto Nicolaus Puchnik tunc Vicarius in Spiritualibus, electus concorditer per Capitulum Pragenſis Eccleſiæ. Confirmatus per Papam Bonifacium IX. ſed ante Conſecrationem, priusquàm introductus fuiſſet in poſſeſſionem ArchiEpiſcopatûs, migravit ad Dominum in Caſtro Podiebuſs Domini deRyſenberg,* (arx eſt modò deſerta, & tota in ruderibus, prope Netolicium, in ſylvis) *& ſepultus in Caſtro Prag. an. 1402.*

VI. *Zbynko Baro de Hazmburg* electus an. 1403. obijt an. 1411. die 28. Sept.

(b) *MS. Liber Anniverſarior. Defunct. in Eccl. Prag. ad XV.Cal. Julij.*

28. Octobr. inſtinctu hæreticorum veneno ſublatus.

VII. *Albicus Medicus*, authoritate VVenceslai Regis & Eximperatoris illegitimè intruſus, homo ſordidus & avarus. *Hic*, inquit MS. Codex, *regnabit ArchiEpiſcopatum anno 1413. Conrado de Beſtphalia pro tunc Epiſcopo Olomucenſi, qui antea fuit ſub camerarius Regni Bohemiæ, & Magiſter Monetæ in Montibus Kuttnu, & Præpoſitus Meſnicenſis. Et præfatus Albicus acceptat Præpoſituram VViſſehradenſem, loco ArchiEpiſcopatûs Prag. quam Præpoſituram tunc tenuit Dominus Joannes Patriarcha Antiochenus, qui loco hujus Præpoſituræ acceptavit Epiſcopatum Olomucenſem: mirabile cambium, utinam ſine ſimonia!* Hæreſi demum prævalente in Bohemia, VViſſehradum deſeruit, & in Moraviam, ac inde in Hungariam majoris ſecuritatis cautâ ſeceſſit, opéque Sigismundi Imp. titulum Cæſarienſis ArchiEpiſcopi à Romano Pontifice ſibi impetravit. Mortuus ibidem an. 1427. die 23 Julij. (c) Itaque

VIII. In Ordine ArchiEp. fuit *Conradus*, die feſto S. Alexij in Eccleſiam Metrop. inductus; homo nauci, ac peſtis ArchiEpiſcopatûs, quem poſt diſſipationem Bonorum ArchiEpiſcopalium, ultimò etiam Huſſitarum dogma ſequi, & damnatis quatuor Pragenſium articulis ſubſcribere, nequaquam puduit, à Capitulo idcirco, & quidem jure meritò, exautoratus: uti memoravimus fuſius ſupra Radio III. ac demum etiam à Martino V. latâ ſententiâ damnatus, poteſtate datâ vicinis ArchiEpiſcopis, & Epiſcopis, illum per quemcunque aut quomodocunque captivandi, ac ſolenniter degradandi, &c. (d)

Exautarato Conrado vacavit ArchiEpiſcopalis Sedes per annos facilè centum & quadraginta: nempe ad annum usque 1561. quo Ferd. I. Imp. & Rex Bohemiæ Pragenſem ArchiEpiſcopatum reſtauravit, de quo ſuperiùs. Sedes ArchiEpiſcop. Prag. ceſſat.

Interea ſuprema Sacrorum Catholicæ Religionis cura, ſeu Adminiſtratio erat penes Capitulum Metropolitanum Pragenſe. Hoc ſiquidem ſolùm, deficiente ad hæreſim ArchiEpiſcopo, & vacillantibus, imò & ruentibus alijs penè cunctis Religionis Orthodoxæ in Bohemia columnis, inconcuſſum ſemper ſtetit, ac conſtans tam in Religione Catholica, ac debita Sanctæ Sedi Apoſtolicæ obſervantia, quàm in ſuorum Fide integra Regum atque Cæſarum; neque toto illo hæreſeos tempore, nominari poteſt vel unicus, qui datæ ſemel Chriſto, ejusque Sponſæ Eccleſiæ fidei immemor, ad hæreticos tranſijſſet: ut non mirum videri debeat, quod tot gratijs à Sede Apoſtolica cumulatum ſit; & quod planè ſingulariſſimum eſt,

 ne-

(c) *Cruger. ad d. 23. Julij.* (d) *Dat. Romæ apud SS. Apoſt. IV. Non. Jan. anno Pontif. 9. apud Odoric. Raynald. in Annal. Eccl. Tom. XVIII. ad an. 1426. n. 11. & ſequ.*

neque alijs Capitulis commune, mitrâ & baculo alijsque Pontificalibus Inſignijs, quibus inter Miſſarum & aliorum Divinorum Officiorum ſolennia, omnibus & ſingulis de ejusdem gremio uti licet: & quidem primis quatuor Prælatis ubique per Diœceſim, reliquis in propria duntaxat Eccleſia: primò ab Urbano VI. deinde à Bonifacio IX. ac tandem plenius à Sixto IV. decoratum. Sed de his jam alibi.

Porrò, ſeries Adminiſtratorum ArchiEpiſcopatûs Prag. vacante Sede, nominatiorum hæc eſt.

Poſt exauctorationem Conradi à Capitulo factam, & initio Maij publicatam.

Adminiſtratores Archiep. Prag. vacante Sede.

I. *Joannes de Praga* Epiſcopus Olomuc. & Litomiſsl. Canonicus Prag. ac poſtea etiam S. Rom. Eccleſiæ, titulo S. Cyriaci Presbyter Cardinalis, Adminiſtrator ArchiEpiſcopatûs Prag. à Capitulo electus, anno 1421. initio Julij, & à Sede Apoſtol. approbatus, anno ſequenti. Extant litteræ Sophiæ Reginæ ad illum Poſonij datæ an. 1422. die 16. April. ſub titulo. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Joanni Epiſcopo Olomuc. & Litomiſsl. Commiſſario & Adminiſtratori ſeu Gubernatori ArchiEpiſcopatus Eccleſiæ Prag. Principi &c.* Ejus Vicarij Generales, Joannes Kralovvicz Decanus, & Joannes de Duba Canonicus Eccleſiæ Prag. obijt an. 1430. die 9. Octobr.

II. *Conradus ſeu* [illegible] le Moravus, Epiſcop. [illegible] Adminiſtrator ArchiEpiſcopatus Prag. Ejus Vicarij Simon de Nimburga Archid. Boleslav. & Joannes de Duba, Canonici Eccleſiæ Prag. obijt an. 1434. in Julio.

III. *Joannes de Duba* Decanus Prag. & Præpoſitus Eccleſiæ S. Apollinaris, & *Simon de Nimburga* Canonicus Eccleſiæ Prag. Adminiſtratores ArchiEpiſcopatus Prag. Sede vacante, *per Venerabile Capitulum Pragenſe* (ſic eorum [illegible] in Libris Erectionum & A[illegible] leguntur) *conſtituti*, an. [illegible] & ſequ.

IV. Simon de Nimburga Præpoſitus Eccleſiæ S. Apollinaris, & [illegible]gius de Praga Eccleſiæ Omnium SS. in Caſtro Prag. Decanus, Canonici Eccleſiæ Prag. an. 1444. 1448.

V. *Procopius de Kladrub* Decanus Eccleſiæ Pragenſis an. 1449.

VI. *VVenceslaus de Krumlow* Decanus Eccleſiæ Pragenſis anno [illegible] obijt an. 1460. die 13. Decembr. de quo in Actis ipſius hæc [illegible] appoſita legimus. (e) *Anno Domini M.CCCC.LX. in* [illegible] *obyt intoxicatus Reverendus Pater Dominus VVenceslaus de Krumlow Decanus Eccleſiæ Prag. & Adminiſtrator ArchiEpiſcopatus Pragenſis qui præcedentia Acta ſua propria manu conſcripſit, & plurima bona Eccleſiæ & Diœceſi Pragenſi in ſuo officio fecit. Orate Deum pro eo.*

VII.

(e) *MS. Liber in Archivo Capit. ſub tit. Acta VVenceslai de Krumlow Decani & Adminiſtrat.*

VII. *Nicolaus de Krumlow* Decanus Prag. an. 1461.

VIII. *Hilarius de Litomerzicz* Decanus, & Joannes de Krumlovv Canonic. Eccleſiæ Prag. an. 1461. & 1462.

IX. *Hilarius* Decanus ab an. 1462. ſolus ad an. usque 1467. Deinde VVenceslaus de Krzizanovv, Præpoſitus Omnium SS. & Canonicus Eccleſiæ Prag. 1467.

X. *Hanuſſius Baro à Kolowrat* Præpoſitus Eccleſiæ Prag. & cum illo Joannes de Krumlovv Decanus: poſtea VVenceslaus de Plana Archid. Eccleſiæ Prag. an. 1468. & ſequ. usque ad 1483.

XI. *VVenceslaus de Plana* Archidiacon. Eccleſiæ Pragenſis, ab anno 1481. & ſequ.

XII. *Paulus Pauczek* Pragenſis & Zderaſienſis Eccleſiarum Præpoſitus, anno 1486. & ſequ.

XIII. *Ambroſius Chrt de Plſna* Decanus Prag. cum *Blaſio de Plana* Canonico an. 1497. & ſequ.

XIV. *Joannes Baro à VVartmberg* Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis & Litomericenſis, cum *Ambroſio* Decano an. 1502. & ſequ.

XV. *Arneſtus Baro de Schleinicz* Eccleſiarum Prag. & Miſnenſis Præpoſitus, & *Joannes Zak* Canonicus Eccl. Prag & Præpoſitus Litomericz. ab an. 1511. & ſequ. ad usque 1525. quo Zak reſignavit, qui demum obijt an. 1531. in Vigil. Pentecoſt.

XVI. *Nicolaus Hawka* Eccleſ. Prag. Scholaſticus, & Capellæ Omnium SS. Decanus, collega Erneſti an. 1524. aliquamdiu cum D. Zak, abſente Erneſto, deinde cum *Joanne Fabri* Canonico & Archidiacono; qui poſtea anno 1531. factus eſt Epiſcopus Viennenſis.

XVII. *Erneſtus* ſolus ab anno 1531. usque ad anno 1542. quo reſignavit Adminiſtrationem.

XVIII. *Valentinus Scholaſticus* Eccl. Prag. & *Joannes à Puchow* Canonicus ac Melnicenſis Præpoſitus, an. 1542. & ſequ. usque ad an. 1553.

XIX. *Henricus Scribonius* Præp. Eccl. Pragenſis an. 1555. & ſequ. usq; ad an. 1561. quo reſtauratâ Sede ArchiEpiſcopali,

Antonius Mombus Mohelnicenſis, Epiſcopus Viennenſis, & Crucigerorum cum rubea ſtella Magiſter Generalis, jam tunc etiam Canonicus Prag. factus eſt, in Ordine IX. ArchiEpiſcopus Prag. obijt anno 1580. die 28. Auguſt. Sedes ArchiEpiſcopalis reſtauratur.

X. *Martinus Antonÿ* popularis cognomento Medek, initio an. 1581. die 8. Jan. obijt an. 1590. die 2. Feb.

XI. *Zbynko Baro* Berka de Duba & Lippa, Canonicus Prag. & VViſſehrad. Olomuc. Litomericenſis Præpoſitus, & Ratisbonenſis Epiſcopatûs Adminiſtrator, obijt an. 1606. die 6. Martij.

XII. *Carolus Baro* de Lamberg. obijt an. 1612. die 18. Septembr.

XIII. *Joannes Lobelius* Abbas Strahovv. Ord. Præmonſtratenſis. ob. anno 1622. die 2. Novembr. cui anno ſequenti ſucceſſit

XIV. *Arneſtus Comes* ab Harrach, creatus paulo poſt, nempe 1626. 3. Id. Jan. S.R.I. Cardinalis; ac tandem

Gggg 2 etiam

etiam anno 1665. Epiſcopus Tridentinus, obijt an. 1667. Viennæ, die 25. Octobr.

XV. *Joannes Guilhelmus* Comes de Kolovvrat, Scholaſticus Olomucenſis, de quo illud ferè vaticinantis Poëtæ: *Oſtendent terris hunc tantùm fata, neq; ultra eſſe ſinent.* obijt Brunæ an. 1668. die ultimâ Maij.

XVI. *Matthæus Ferdinandus à Bilenberg,* ProtoEp. Regino Hrad. & antea Abbas S: Nicolai Pragæ Ord. S. Benedicti. Anno 1669. die 4. Maij Pragam ad capiendam ArchiEpiſcopatûs poſſeſſionem venit, à cunctis Ordinibus, qui obviam illi, & primarij quidem etiam extra Urbem proceſſerant, honorificentiſſimè exceptus: móxque die ſequenti, qui erat poſt Paſcha Dominicus II. maximo totius Triurbis accurſu, ac omnibus unanimiter applaudentibus, in Metropolitanam Eccleſiam eſt introductus. Sede hâc dignus, & ſedes illo. Hic dum iſta ſcribo, partem Templi Metrop poſteriorem quam communitèr Navim vocamus, à fundamentis inſtaurandam ſuſcipit: magni ſanè molitionis Opus, quod Divina Majeſtas ſua ſanctâ Benedictione ſecundare dignetur, & Zorobabeli huic noſtro dare optatum conatibus ſuis ſucceſſum, longum regimen, vitam ſoſpitem & diuturnam, omnemque denique felicitatem & Benedictionem in ſecula.

Series Præpoſitorum Pragenſium.

Cathalogus Præpoſitorum Eccleſiæ Prag

Hæc à me primo non parvo labore concinnata eſt: quam tamen, ſicuti etiam Decanorum, integram & numeris ſuis omnibus abſolutam aſſerere non auſim; ideoque hoc tantùm ordine ponendam exiſtimavi interim, donec ab aliquo alio, aut fortaſſe à me ipſo, ubi totum Capituli noſtri Archivum perluſtravero (neque enim mihi otium fuit hactenus, omnes faſces membranarum & aliarum chartarum excutere) perfectior inveniatur.

Primum lego fuiſſe *Gerhardum* Bavarum Ratisbon. à D. VVenceslao præpoſitum in Collegio Sacerdotum, quod ille in eodem Templo recens conſtructo, *ad Dei officium nocte dieque peragendum diſfinitè inſtructis, Canonico more* (ut inquit Auctor Vitæ [illegible] Joannes Epiſcopus Litomiſl.) *primus inſtituerat.* Illum ſequuntur.

Hoſtivod, ſub quo Eccleſia D. Viti à Joanne XIII. Pont. Max. in Cathedralem erecta fuit, [illegible]

VVillico, ſub S. Adalberto.

Pte-

Pokorzinus, cui S. Adalbertus Romam ſecundò abiens, ac demum in Poloniam, Pragenſem Eccleſiam commendaſſe legitur, an. 995.

Helikardus Moravus Olomucenſis, (*f*) diſertiſſimus ad populum concionator, poſtea Epiſcopus Prag.

Izo Baro Bohemus, à Bivvogio Comite ex Kaſſa Croci Ducis filia & ſorore Libuſſæ, legitimis deſcendens natalibus: poſtea Helikardi in Epiſcopatu ſucceſſor.

Severus ſeu Schebirz à Berzkovv, poſtea Epiſcopus.

Jaromirus ſeu Gebhardus VVratislai Regis frater natu minor, anno 1068. VI. Non. Julij à Sigifrido Moguntino ArchiEp. in Epiſcopum Prag. ordinatus.

Marcus Comes Melnicenſis Jaromiri in Præpoſitura ſucceſſor; obijt an. 1098. die 14. Nov.

VVitoslaw circa an. 1111.

Henricus Zdik regij ſanguinis Princeps, ad an. usque 1116. quo Epiſcopus Olomuc. eſt creatus.

Hermannus Baro de Ralsko ſeu de VVartmberg, quem obijſſe invenio die 20. Jan. 1133.

Otto Comes de Sſwabenicz poſtea Epiſcopus Prag. creatus an. 1140.

Cunradus, à Capitulo cum PetroDecano, de quo infra, præſente Cardinali Guidone Legato Pontificis, exauctoratus an. 1143.

Henricus Baro de Lippa D. Zdislai filius, ab an. 1144.

Hroznata Comes, qui Monaſterio montis Oliveti in Litomiſl Ord. Præmonſtrat. dederat villam Olſſany. Obijt an. 1151. die 6. April.

Ulricus I. Baro de VValdek ad an. 1161. & 1167. & ſequ.

Martinus Gervaſij Præpoſiti VViſſehrad. (ut vult Crugerius) germanus frater, de quo in Privilegijs VViſſehrad. ad an. 1175. & ſequ.

Hermannus II. ſub Henrico Epiſcopo Prag. nondumDuce ſive Interrege Bohem. circa an. 1184.

Florianus Baro de Familia Nymphex gerulorum, prout ex ſigillo ipſius apparet, Henrici Ducis & Epiſcopi Bohem. Cancellarius: de quo ad an. 1197. In MS. Codice Anniverſariorum in Eccleſia Prag. fit ipſius mentio ad VIII. Cal. Maij.

Chriſtianus Regis Przemysli Cancellarius, ſub Daniele II. Epiſcopo Prag. an. 1206. & ſequ.

Andreas Zvvyeſti Comitis germanus frater ab an. 1109. poſtea an. 1215. Epiſcopus Prag. Romæ conſecratus in feſto S. Cæciliæ V. & M.

Eppo I. Regalis AulæCancellarius; de quo in privilegijs Monaſt. Plaſſenſis Ord. Ciſterc ad an. 1216. & in VViſſehrad. ad an. 1221.

Ulricus II. Baro de VValdek ſeu de Hazmburg: de quo in donatione villæ Bikoſs, à Coſta filio VVogislai Camerarij quondam Regis VVladislai facta an. 1229. ultimò ſic legitur: *Hujus autem rei teſtes ſunt: Ulricus Prag. Eccleſiæ Præpoſitus, Paulus Decanus, Domatianus Archid. Prag. Detlebus Archid. in Bechin, Hieronymus Præpoſitus Melnicenſis, Peregrinus, Paulus, Albertus Præpoſitus in Saczka, Florianus Notarius Regis, Vincentius, Slawon, Gerbaſius VViſſehrad. Præpoſitus,* Ca-

Gggg 3

(f) *Cruger. ad d. 8. Aug.*

Canonici Prag. &c. Obijt an. 1230. die 6. Febr. de quo illud celebre in libro Anniverſar. legitur: *hic dedit hæreditates ſuas Eccleſiæ noſtræ.*

Eppo II. cognomento Lekno Floriani Præpoſiti cognatus, circa annum 1231. & 1237.

Tobias I. Baro de Dube, de quo in diverſis literis ad an. 1239. usque an. 1259.

Jacobus de Familia Kaplirziorum ab an. 1260. obijt an. 1267. die 6. Nov.

Tobias II. Baro de Bechine, de quo invenio ab an. 1268. usque ad 1278. quo Epiſcopus Prag. eſt electus, & ſequenti conſecratus.

Thomas paulo poſt mortuus, de quo in Anniverſ. ad XIII. Cal. Octob.

Godefridus an. 1279. electus, de quo in cit. Anniverſar. ad XIII. Cal. Julij.

Ulricus III. Czernin ab an. 1285. ad 1298. quo mentio ipſius fit, ſicut etiam VVelislai Decani, in donatione pagi Maslovicze, quem Eccleſiæ donavit Albertus de Podiehuſs.

Petrus Baro de Lomnicz ab an. 1298. poſtea Epiſcopus Olomuc: an. 1311. retinuit Præpoſituram ad mortem usque, nempe ad 1316.

Tobias Baro II. de Beneſſow, Decanus antè, poſtea Ordinem S. Franciſci ingreſſus, & Beneſſovij mortuus.

Henricus aliàs *Hynko Berka Baro*, filius quondam Haymonis de Duba, an. 1327. electus Epiſc. Olom.

Drslaus Czernin, Henrici Czernin ejus nominis IV. filius, Ulrici III. ſupra nominati Præpoſiti nepos, (patruum námque ſuum Ulricum idem Drslaus in quibusdam literis nominat) ab an. 1327. usque 1338.

Przedborius Raczin de Raczin[illegible], Decanus antè; obijt an. 134[illegible] de quo in Codice Anniverſ. ad Non. Septembr.

Henricus III. Baro de Lippa, Præpoſitus antea Melnicenſis. Hunc invenio Electioni Arneſti Decani in Epiſcop. Prag. an. 1343. potenter reſtitiſſe, ſed cum paucis, & irrito conatu. Ad an. 1342. lego eundem *Henricum Præpoſitum, Predborium Decanum, Zdenkonem Scholaſticum, Hoſtulaum Canonicum, Decretor. Doct. & Officialem &c.*

Protiba filius Theobaldi de S[illegible] & Rizmberg, Regij ſanguinis Princeps, an. 1348. poſtea Epiſcopus Segnienſis: de quo ſupra Radio IV. pag. 456.

Nicolaus Caroli IV. Frater, Decanus antea Olomuc. poſtea Patriarcha Aquilegenſ. de quo ibid.

Przemyslaus Baro de Zerotin an. 13[illegible].

Zdislaus Baro à Sternberg, quem Præpoſitum fuiſſe certo conſtat, ſed quoad tempus & annum ita [illegible] obſcurè, ut neſciam, an [illegible] Przemyslao anteponere vel poſtponere debeam.

Franciſcus Hiſtoricus, qui obijt [illegible]genario major, an. 14[illegible] die 7. Martij.

Nicolaus II. Cancellarius Romanæ, & Bohemiæ Regis, factus an. 13[illegible] Epiſcopus Litomiſl. poſt Joannem II. ad Cathedram Olom.

pro-

promotum: ſed priusquàm realem poſſeſſionem Epiſcopatûs ſuſcepiſſet, mitram cum vita poſuit, eod. anno, die 6. Auguſti.

Succeſſit illi in Præpoſitura, Urbano V. ita volente,

Guido de Montefurt S. R. Eccleſiæ tit. S. Cæciliæ Cardinalis, qui ſimul erat etiam Præpoſitus S. Apollinaris in Nova Civit. Prag. (g) Breví tamen, Carolo IV. inſtante, reſignavit utrumq;.

Hynko Baro de Hazmburg, poſtea an. 1371. Epiſcopus Ladomirenſis, Joannis I. ArchiEp. Suffraganeus.

Petrus II. Baro de Janowicz, circa an. 1383. de quo invenio oppignoraſſe cuidam Civi Pragenſi duo prædia in Dehnicz prope Pragam an. 1398.

Georgius Baro quoque *de Janowicz* (ſubinde Gregorium lego) circa an. 1406.

Paulus Baro de Miliczin aliàs *de Talmberg*, creatus poſtea Epiſcopus Olom. an. 1436. *Præpoſituram* reſignavit primò an. 1439.

VVilhelmo Baroni de Hazmburg Scholaſtico Prag. cui eodem anno, die 27. Septembr. (h) mortuo, quis nam immediatè ſucceſſerit, non invenio; illud lego, anno 1446. electum fuiſſe à Capitulo

Joannem Archidiac. Bechinenſem & Canonicum Prag Krumlovienſem tunc Plebanum. Poſt illum erat

Jodocus Baro de Roſmberg, ſimul etiam Grandis Prior Crucigerorum S. Joan. Hieroſol. [illegible] *Melitenſi*um: ac demum Epiſcopus VVratislav. Obijt 1467. die 15 Decemb. cui ſucceſſit

Hanuſs Baro de Kolowrat jam tunc Canonicus Prag. & VViſſehrad. cujus virtutes, & ſuſcepti pro Catholica Relig. in Bohemia conſervanda labores videantur ſuprà, Rad. III. pag. 278. & ſequ. Obijt 1483. die 23. Sept.

Paulus Pauczek Præpoſitus [illegible]Zderazenſis. Obijt anno 1498. die 8. Sept.

Joannes Baro de VVartmberg. Obijt an. 1508. die 8. Jan.

Erneſtus Baro de Schleinicz Præpoſitus ſimul Miſnenſis. Obijt an. 1548 die 6. Febr.

Henricus Piſſek ſeu *Scribo*[illegible] *a* [illegible]*ſow*, Juris Utriusque Doctor, Caroli Archiducis, & antea VVilhelmi à Roſmberg poſtea Supremi Burggravij Regni, Præceptor; à Capitulo electus an. [illegible] die 15. Jan. Obijt an. 158[illegible] die 13. Jan.

Petrus II. de Linda, electus an. 1586 die Converſ. S. Pauli. Obijt ſeptuagenario major an. 1592, die feſto S. Ludmillæ horâ 3. ante auroram.

Valentinus Czykan à Rotſtein, Concionator eximius, Capitulo mox à deceſſu Petri Præp. in feſto S. Lidmillæ horâ 8. celebrato, electus eſt omnium Vo[illegible]s. Cu[illegible]jam tunc valetudinario, & anno ſequ. Sabbatho poſt *Reminiſcere* (prout lapis

(g) *MS. Liber continens nomina omnium Beneficiator. in Urbe Prag. ſub VVratiſlogio Decano Prag.* (h) *MS. Codex Anniverſarior. in Eccl. Prag. ad V Cal. Octobr.*

lapis ipſius ſepulchri in Eccleſia hodiéque oſtendit) piè in Domino defunɛto, ſucceſſit

Georgius Bartholdus Pontanus de Breitemberg, ab ijsdem Capitularibus, conſueto canonico ritu, ac præſente etiam Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principe DD. Archi Ep. Zbyncone Berkâ, à Capitulo pro hoc actu ſpecialiter requiſito, tanquàm Canonico quondam & commebro ſuo, electus eſt, Feriâ II. poſt Dom. *Eſto mihi*. an. 1594. Obijt an. 1614 die 20. Febr.

Simon Broſius ab Horſtein, Suffraganeus poſtea & ArchiEp. Trapezuntinus. Ob. an 1642 die 13. Jan.

Elias Colbius. Obijt an. 1646. die 4. Maij.

Joannes Raſch ab Aſchenfeldt. Obijt an. 1666. die 12. Jan.

VVenceslaus Cæleſtinus à Blumenberg, electus anno 1666. die 17. Martij hodiéque ſuperſtes. Vivat!

Series Decanorum.

Dignitas hæc quandónam in Eccleſia D. Viti inceperit, certò non conſtat: aliqui ſimul cum Epiſcopali inſtitutam putant; quod nos, veluti non ſatis compertum, in medio relinquimus.

Cathalogus Decanorum Eccleſiæ Prag.

Primus ſub Decani nomine invenitur *Coſmas*, poſtea Jaromiri in Epiſcopatu ſucceſſor, an. 1090. Poſt illum

Coſmas II. primus Hiſtoriæ Bohemicæ conditor, qui obijt an. 1125. die 21. Octob. Ætatis ſuæ an. 81.

Bohuwil, de quo in MS. libro Anniverſ. ad IV. Non. Maij. obijt anno 1134.

Henricus, quando arſit templum D. Viti, an. 1142.

Petrus, antea Archid. de quo in Epiſtolis Ivonis Epiſcopi Carnotenſ. num. CLXXXXVI. ad an. 1143. quo fuerat ob certas cauſas, unà cum Cunrado Præpoſito, de quo ſuprà, à Capitulo exauctoratus, præſente & hoc ipſum approbante Guidone Cardinali, Legato Innoc. II. Pontificis.

Miroslaus Dlugomili Comitis filius, cùm eligeretur Daniel I. Epiſcop. Prag. an. 1148.

Andreas, qui obijt an. 1166. die 14 Febr.

Paulus I. de quo in lit. donationis Villæ Rokiczanenſis factæ an. 1177. à Sobieslao II. Obijt die 8. Nov. an. 1180.

Przibislaus I. de quo lego ad an. 1181.

Budislaus Baro de VValdek, de cujus obitu lego anno 1192. ad VII. Id. Febr.

Zdislaus, de quo legitur ad an. 1194. 1197. & ſequ.

Arnoldus, de quo ab an. 1212. uſque ad an. 1229.

Pau-

Paulus II. de quo ſuprà in Serie Præpoſitorum ad an. 1229. obijt die 9. Nov. de anno non conſtat.
Tobias I. ad an. 1236. & ſequ.
Vitus à præclariſſimis in Eccleſiam meritis nominatiſſimus, ab anno 1241. Obijt 1271. die 1. Maij.
M. Gregorius, ab an. 1272. ad 1306.
VVelislaus, ab an. 1296. & ſequ. mortuum invenio die 18. April. de anno non conſtat.
Joannes I. de quo lego ad an. 1302. & in Libro XI. Erection, anno 1310. Mentio ipſius fit alicubi, quod à VVenceslao II. Rege Sexto impetraverit pro Decanatu ſuo Curiam juxta Baſilicam Omnium SS. (i)
Tobias II. Baro de Beneſſow; circa an. 1314. & ſequ. Erat Zdislai à *Sternberg* cognatus, cui caſtrumKonopiſſtie,& civitatem Beneſſovv cum alijs appertinentijs an. 1311. donavit: cenſibus tantùm quibusdam pro Eccleſia Prag. & monaſterio Beneſſov. exceptis; quod Joan. Bohemiæ Rex confirmavit.
Gregorius II. de quo in lit. Hoſpitalis Cruciger. cum Rubea ſtella Pragæ, ad an. 1320.
VVogulaus de quo in lit. quibusdam Lætæ Curiæ jura concernentibus, ad an. 1324. Obijt an. 1326. die 13. Martij.
Uldricus Baro de Hazmburg, qui corpus S. Benignæ V. in monaſterium Inſulanum Ordin. Eremit. S. Aug. intulit. Obijt eod. anno 22. Nov.
Henricus II. ad an. 1316. usque ad an. 1333. quo obijt, die 19. Octob.

(i) *Cod. Anniverſ. ad XI. Cal. Jul.*

Nicolaus; exſtat conventio quædam facta inter Drslaum Præp. Thomam Archid. PrzedboriumScholaſticum & cæteros Capitulares ex parte una, & Nicolaum Decanum parte ex altera, an. 1337. die 24. Nov.
Przedborius ex Scholaſtico Decanus initio anni 1338. promotus deinde anno eod. ad Præpoſituram. Extat alia rurſum conventio inter Drslaum Præp. Przedborium Decanum, Thomam Archid. & Capitulum Prag. ex una, & Nicolaum Abbatem, Petrum Priorem & Conventum Sedlecenſem Ord. Ciſterc. ex altera partibus, an 1338. Idib. Junij. Promoto ad Præpoſituram Przedborio
Arneſtus Baro de Pardubicz ſucceſſit, poſtea anno 1341. in Epiſcopum Prag. electus.
Tobias III. de Uſtupenicz, qui obijt an. 1346. die 15. Maij.
Przedbogius vel *Przedvogius* (in lit. Fundationis Collegij Carlſt. anno 1357. Priſcus legitur) Mentio ipſius fit an. 1347. Item, in Inventario SS. Reliqu. an. 1355. In lib. 1. Erect. an. 1357. 1358.
Plichta Baro de Myſſen (Familiæ Hazmburg.) obijt an. 1361. die 21. Aug. de quo in MS. Anniverſ. ad XI. Kalend. Septembr.
VVratiſlaus, alio nomine apud Beneſſium noſtrum & Hagecium *VVratibor*: Obijt anno 1372. XIV. Cal. Aug.
Hynko de Mukow, aliàs dictus *Klug*, de quo legitur ad an. 1373. & ſequ. frequenter. Anno 1380. die penul-

 timâ

timâ Junij exauctoratus, eò quòd adhæſiſſet Antipapæ Gebenenſi, contra legitimum Papam. Succeſſit illi canonice electus

Przibyk ſeu *Przibuslaus*, Marquardi de Porzeſſin, qui erat VVenceslai Imp. Marſchalcus, filius: reſignavit anno 1386. cui ſucceſſit

Bohuslaus de Krnoẞia eod. anno, die 9. Nov. Hic anno 1415. reſignavit Decanatum, propter ſenium & imbecillitatem, cui ſuffectus eſt

Joannes II. de Kralowicz, aliàs dictus *Oſtrowecz*, antea jam Vice Decanus à Capitulo conſtitutus: de quo ſicuti etiam de alijs tunc viventibus Prælatis & Canonicis Prag. ad an. 1414. ita notatum invenio. *Nos Joannes de Kralowicz Vice Decanus & Archid Prag. VVenceslaus Gurim Scholaſticus, Franciſcus Boleslaẞienſis & Conſtantinus Melnic. Præpoſiti, VVitko junior de Czernizicz* (erat hic Viti Præpoſiti S. Ægidij à fratre Guilhelmo nepos, de Familia Nymphex gerulorum) *Decanus S. Apollinaris, Beneſſius de Kobyli, VVenceslaus de Daubraẞicz, Zdenko de Chraſt, Jaxo Ginocb de noẞa Plſna, VVeluslaus de Bor, Stephanus de Stankow Decanus Om. SS. M. Joannes de Moraẞan, Matthias de Biela, Ulricus de Straſſicz, Nicolaus Hanzlik, Matthias de Bilina, Jacobus de Duba, Sigmundus de Budiegowicz, VVenceslaus Johankonis, Chwal de Smilkow, Joan. Lapaczek &c. Canonici Pragenſes, in generali Capitulo noſtro congregati, &c.* Dat poſt *Feſtum S. Hieronymi, an. 1414.* Obijt in exilio Zitaviæ an. 1430.

VVenceslaus, de quo in lib. XIII. Erect. an. 1433.

Joannes III. vulgò *Johanek de Duba*, de quo in eod. lib, Erect. an. 1434.

Procopius de Kladrub electus die ultimâ April 1442. quem vixiſſe invenio adhuc an. 1453

VVenceslaus de Krumlow, Æneæ Sylvio, poſtea Pio II. Papæ ſingulariter charus: prout apparet ex Epiſtola ipſius 158. & ex 158. quæ Radio III. pag. 236. & ſequ. memoravimus. Obijt an. 1460. die 13. Dec. ab hæreticis veneno ſublatus.

Nicolaus II. de Krumlow, qui intra annum obijt

Hilarius de Litomerzicz, electus an. 1461. initio Febr. Obijt an. 1467. die 31. Dec. Succeſſit

Joannes IV. de Krumlow, quem vixiſſe invenio adhuc an. 1486 quo Georgium Nicolai de Mſſeno à Capitulo pro Altari B. Virginis Viſitant. & S. Dionyſij in Eccleſia Prag. præſentatum die Ultimâ Jan. conſueto ritu inveſtivit & confirmavit. Imò etiam an. 1487. Quo demum anno obiit, nondum invenire potui.

Alexius Ioannis ſucceſſor.

Ambroſius Chrt de Plſna, de quo ab an. 1491. usque ad an. 1511.

Joannes V. Andreæ de TynHorſſoẞia, ab an 1512. usque 1513.

Simon Chrt de Plſna, ab an. 1514.

VVenceslaus à VVolffenburg, ab anno 1530. ad 1548.

Valentinus Han, ab an. 1549. ad an. 1555. quo reſignavit Decanatum. Obijt 1562 die 4. Nov.

Thomas I. Baborowsky ad an. usque 1561.

Pe-


Stella Maria
est meus An
mea est, meus
chora Christus

Petrus de Linda electus circa finem anni 1561. poſtea 1586. Præpoſitus.

Georgius Bartholdus Pontanus, poſtea an. 1594. Præpoſitus.

Martinus Pheiffer. Obijt an. 1604. die 18. Martij.

Simon Broſius ab Horſtein, electus an. 1604. die 22. Martij. poſtea anno 1614. Præpoſitus

Caſparus Arſenius de Radbuza. Obijt an. 1629. die 13. Sept.

Joſephus Macarius de Marſelicz. Obijt an. 1635. die 11. Apr.

Andreas Kokr. Obijt an. 1650. die 6. Julij.

Chriſtophorus Reinboldt, an. 1658. exauctoratus: poſtea Budiſſinæ in Luſatia super. Collegiatæ Eccleſiæ Decanus, Obijt an. 1665. die 26. Apr. Interea Decani vices in Eccleſia Prag ſupplebat VVenceslaus Cœleſtinus Scholaſticus, à Capitulo deputatus.

Sebaſtianus Zbraslawky de Swattowa, ab an. 1665. Obijt an. 1670. die 25. Martij.

Thomas Joannes Peſſina à Czechorod Scholaſticus, electus in Decanum conſentientibus votis, an. 1670. die 4. Maij: *die anniverſariâ ſuſcepti Sacerdotij ſui.*

Hæc interim conſignatio Præpoſitorum & Decanorum ſufficiat, donec alia plenior atque perfectior habeatur: inventis addere facilè erit. Jam ad ulteriora procedamus.

RA-

RADIUS VI.

Quo
Gloria S. Metrop. Prag. Eccleſiæ
à pluribus Gratijs à DEo ipſi præſtitis, ſicuti etiam miraculis, portentis, alijsq; rebus memorabilibus in ea patratis, magîs adhuc inclareſcit.

Gloria Urbiũ à gratia Principum.

GLoriantur Regna, Urbes, terræ, oppida, tribus, Communitates gratijs, privilegijs, indultis, libertatibus, immunitatibus, ac cæteris prærogativis, ſibi à Regibus, Principibus, aut alijs quibuscunque Poteſtatibus regiâ liberalitate ac munificentiâ conceſſis: nec immeritò, ſiquidem per hoc evadit manifeſtum, tales in amoribus & pretio fuiſſe, aut etiamnum eſſe, Principibus ſuis; à quibus, vel maximè ob præclaram immotæ fidei ſibi ſemper conſtantiſſimè ſervatæ integritatem, tot atque tantis beneficijs decorari meruerunt.

Metropolitanam Divi Viti Eccleſiam longè magis gloriari oportet, de Gratijs, ſummi utique pretij, ſummæq; dignitatis & amplitudinis, quibus ſe à DEO Ter Opt. Max. Rege Regum, & Domino Dominantium abundè cumulatam piè meminit, hodiéque etiam venerabunda agnoſcit.

Prima omnium ac potiſſimùm memorabilis eſt, quòd ipſemet

Eccleſia S. Viti ab ipſomet Chriſto Domino benedicitur.

ſemet Chriſtus Dominus illam à S. Wenceslao extructam, divinîs ſuis manibus benedicere & conſecrare dignatus ſit: prout oſtendimus Radio I. quâ peculiariſſimâ ſanè Gratiâ, quid amabô, majus, aut quid excellentius dari vel excogitari poſſit? Innuit aliquid horum Chriſtannus, Boleslai ſævi junior natu filius, Ordinis S. Benedicti in Monaſterio Brzewnovienſi profeſſus, in Vita S. Wenceslai M. quam diligentiſſimè conſcriptam Divo Adalberto nepoti ſuo dedicaverat, hiſce: *Gratiâ deinde Divinâ cordi ejus inſpirante, Templum Domino in honore B. Viti Martyris condere meditans, Legatos ablegat Ratisbonenſem ad Pontificem, in cujus, ut diximus, tunc temporis Diœceſi conſtabat Bohemia, ſecundùm Statuta Canonum, ut licentiam illi Pontifex tribueret ædificandi Baſilicam; Pater, inquiens, meus Templum in honore olim ſtatuit B. Georgij, egomet verò licentia cum veſtra, eodem geſtio condere more, in honore Beati Chriſti Martyris Viti: quibus auditis venerandus Pontifex, gratiarum cum actione Chriſtum ad Dominum extendendo manus profatur: Filio meo feliciſſimo Wenceslao hæc redeuntes mandata referte: Eccleſia tua jam venuſtiſſimè ante Dominum conſtructa extat; quibus auribus Princeps captatis, exhilaratur corde; fundamenta mox jecit Eccleſiæ,*

Bohemia quondam ſub Epiſcopis Ratisbon.

„ *partésq; optimè locavit.* Idem fere memorat Hyžo Epiſcopus
„ Pragenſis in ordine V. in Vita ejusdem S. Martyris: *Eo námque tempore cogitavit templum ædificare Domino, & per nuncios ſuſcitavit Urbis Ratisbonæ Epiſcopum religioſum nomine Tutonem dicens: Pater meus ædificavit Templum Domino DEO: ego autem cum tua licentia ſimiliter opto condere Eccleſiam Domino Deo in honorem S. Viti. Epiſcopus autem Tuto expandit manus ſuas cum gratiarum actione ad Dominum orans & dicens: Ite, narrate filio meo fælici Wenceslao dicentes: jam Eccleſia tua conſtat ante Dominum Deum venuſtiſſimè conſtructa. Cúmq; narráſſent ſecundùm juſſionem Epiſcopi, valdè gaviſus fuit: & convocatis omnibus, Deo opitulante, ipſe incipiens miro ordine fundavit Eccleſiam in nomine Sancti Viti.* (a)

Dum S. Wenceslaus ædificaret templũ S. Viti, tunc Ratisbon Epiſcopus fuit Tuto,

(a) *MS. Hyžo Ep. Prag. in Vita S. Wencesl. qua incipit:* Creſcente fide Chriſtianâ in diebus illis.

Meminit hujus etiam Pius II. in Hiſtoria Boh. verbis iſtis: *ſimilem Angelorum comitatum vidiſſe ajunt Imperatorem, quum Wenceslaus adoleſcens in ejus Curia obſervaretur; eamq; ob cauſam brachium S. Viti dono ei dediſſe, in cujus honore Cathedralis Ædes Pragæ conſtructa eſt. Ferunt tunc Bohemiam ſub Epiſcopo*

non autem S. VVolfgangus.

Ratisbonenſi fuiſſe: ac propterea quum Wenceslaus Wolfgangum (Tuto ille fuit, Sancti Wolfgangi triginta & ampliùs annis antecesſor) *Præſidem, qui poſtea inter Sanctos relatus eſt, ad conſecrationem ejus Baſilicæ ſummis precibus invitaſſet, reſpondiſſe Pontificem, coram Deo jam Templum ſuum dedicatum eſſe, quod futurum Metropolitanum cerneret; miſſurum ſe tamen, qui ſuæ vice Wenceslao ſatisfaceret.* (*b*)

Omnium porrò exactiſſimè id refert Bohuslaus Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum, in Notis Hiſtoricis, ſuper illa Chriſtanni verba: *Eccleſia tua jam venuſtiſſimè conſtructa extat ante Dominum.* Ubi inquit: *latet in hiſce verbis inſignis, & verè Cœleſtis Eccleſiæ Pragenſis prærogativa, quam à Chriſto Domino benedictam eſſe, & in favorem S. Wenceslai conſecratam, vetuſti Scriptores ſignificant, & perpetuata ad nos usq; Majorum traditio confirmat. Vide quæ ſcripſit Pontanus Eccleſiæ Metropolitanæ Præpoſitus, & quæ nos in Arneſto quondam attulimus. Clarius quam Chriſtannus iſtud expreſſit Pius II. Pontifex, quippe narrat Ratisbonenſem Epiſcopum ad S. Wenceslaum ſcripſiſſe: Eccleſiam S. Viti, quam ædificabat, coram Deo jam dedicatam eſſe. Vidi ipſe vetuſtam Imaginem, in qua Chriſtus è Cœlo Pragenſi Eccleſiæ, Divo Wenceslao orante, benedicens, eámq; præconſecrans ſpectatur. Erunt fortaſſe, qui velut paradoxum accipiant, quod diximus; ignari nimirum Eccleſiaſticæ antiquitatis, ea tantùm, quæ familiaria oculis ſunt, & conſvetudine recepta, probant; cætera, quæ neſciunt ipſi, neq; legerunt, aut elato protinus ſupercilio cenſent, aut fieri non potuiſſe vociferantur. Legant Virum Doctiſſimum Theophilum Raynaudum,* (*c*) *qui Templum B. Virginis Avenionenſe, itidem ab ipſo Chri-*

(b) *Æneas Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 15.* (c) *Rayn. in Prato ſpirit. n. 22.*

Chriſto conſecratum, ex Pontificum Bullis oſtendit; plura ejuſmodi exempla ſuppeditant Hiſtoriæ; de Templo Einſidlenſi apud Helvetios, & Eccleſia S. Dionyſij non procul Lutetiâ à Chriſto conſecratis, idonei Scriptores affirmant. Affine eſt, quod Eccleſiam à Rege Ethelberto in S. Petri honorem conſtructam, ipſe S. Apoſtolis conſecravit, ut eſt apud Surium. Idem proditur de pluribus alijs Eccleſijs, & ab Angelis præſtitum, non pauci teſtantur, nec eſſe improbandum, quaſi inveriſimile, ſtatuit S. Thomas, & multis confirmat Henriquecz; latè ſimile exemplum de Æde Beatiſſimæ Virginis de Podio, Odo Giſlæus narrat, & de S. Petri Cæleſtini Eccleſia in ejus actis habetur. Quid igitur vetat, Eccleſiam S. Viti Pragenſem fuiſſe à Chriſto Domino conſecratam, dicere? præſertim cùm addat Sylvius: etſi eam viſionem cælitùs Præſul Ratisbonenſis acceperit, & hanc Eccleſiam aliquando Metropolitanam fore, Chriſto revelante didicerit, miſiſſe tamen Pragam, qui ſuâ vice Wenceslao petenti faceret ſatis, & Eccleſiam nihilominus etiam ex more hominum & Præſulum conſecraret. (d)

Chriſtoph. Hartman. in Annal. Guagninus in Dagoberto I.

Surius in Vita S. Eduardi ad V. Januarÿ.

S Thom. 3. p. 4. 64. art. 7. Henriq. lib. 1. Summa cap. 26.

Giſlæus in ejus Eccleſia Hiſtoria.

Sed nos jam ſupra Radio I. & II. ex Coſma Scriptore vetuſtiſſimo oſtendimus, Michaelem Epiſcopum Ratisbonenſem id muneris expleviſſe, quod etiam Balbinus ipſe in eadem Epitome, pagina ſequenti & alibi fuſiùs docet. (*e*)

Cæterùm de Tutone Epiſcopo Ratisbonenſi, ad clariùs demonſtrandum, quòd ad ipſum, & non ad S. Wolfgangum, vel ut alij volunt S. Emmerammum pertineat illud de Eccleſia Pragenſi in Metropolitanam aliquando (uti reverâ eventus docuit) erigenda vaticinium, ommitti hìc non poteſt, nec debet, id nimirum, quod de eo referunt Bavarici Scriptores hiſce: *Tuto fuit primùm à Secretis Arnulfo Regi Bojariæ, à quo munere acceptus eſt ad Epiſcopatum. Eum ſcribunt, rerum abſentium & futurarum notitiâ cælitùs claruiſſe, & cùm in ſuprema ſenecta oculorum caligine laboraret, Cœli tamen arcana animo fuiſſe contuitum,*

Tutonis Epiſcopi Ratisb. elogium.

tamq;

(d) *Balbin. In Epitom. rer. Bohem. lib. 1. cap. 10. pag. 89. & ſeqq.* (e) *Idem lib. cit. cap. 11. in Vita V. Arneſt. lib. 2. cap. 3. in Notis.*

támq; non ægrè tuliſſe corporis cæcitatem, ut ſe diceret muſcis viſum non invidere. Eum velut oraculum, conſilij causâ adibant viri apprimè oculati: neq; dubitabant, ejus ductum ſequi in rebus agendis. Extat hodie ejus ſepulchrum apud D. Emmerammi tumulum. (f)

Eccleſia D. Viti glorioſa à patratis in ea pluribus miraculis,

Alijs demum præſtantiſſimis gratijs, præſertim non facilè auditis prodigijs & miraculis, Divina Majeſtas hoc à ſe conſecratum S. Viti Templum decoravit.

Longum nimis eſſet, ſi omnia, quæ in Translatione Corporis Divi Martyris Wenceslai acciderant, hic ordine recenſerem: videantur, qui hæc ex conſtituto & uberiori ſtylo proſequuntur, Chriſtan. in Vita S. Wenceslai, Coſmas Decanus Prag. de paſſ. S. Wencesl. p. 1. Hyzo Epiſcop. Prag. de paſſ. S. Wenc. Pulkava in Chron. Boh. cap. 17. & Joan. Epiſc. Litomiſsl. Tanner & Kadlinski in Vita S. Wenc. cap. 22. & 23. Surius, Daubr. Hagek, Balbin. Cruger. Bolandus, Ferus. Nobis paucis id duntaxat attigiſſe ſufficiat, cæcos viſum, claudos greſſum, mutos loquelam, captivos libertatem ſingulari Divini Numinis benignitate, & S. Wenceslai interveniente ſuffragio recuperâſſe.

& à diligenti peregrinorum ex longinquis Terris,

Propterea maximi fiebant tum ſtatim, non modò ex Bohemia, ſed alijs etiam remotiſſimis Provincijs, ad Divi Viti Eccleſiam, populorum accurſus. *Fuit in Provincia Francorum* (ita refert Chriſtannus) *Vir quidam pedibus debilis, cui in ſomnis vir in veſtibus albis apparuit, exhortans eum & dicens; Surge & vade in Civitatem Pragenſem in Eccleſiam S. Viti, & ibi recipies ſanitatem. Quo diſſimulante, demum eisdem veſtibus adſtans, qui & ante apparuerat, dixit ei: Cur non feciſti juſſionem meam, & non veniſti ubi recepturus es greſſum? Ille verò, quaſi in exceſſu mentis evigilans, gratanter dixit: Eo Domine! Et ſurgens baculo in-*

ni-

(f) *Arnulph. Comes Volburgenſ. lib. 1. de S. Emmeram. cap. 6. Brunner in Annal. Bojor. parte 1. l. 7. §. 6. Joan. Adlzreitter à Tetenweis Arcani Conſilij apud Elector. Bavar. Cancellarius in Annal. Bojor. Part: 1, lib. 13. §. 28.*

nixus, venit ad negotiatores, qui illuc diſponebant, & datâ mercede, fecit ut eorum auxilio usq; ad locum prædictum perveniret. Et intrans in Sanctorum Eccleſiam, coram omni populo in pavimento proſtratus, longâ oratione, meritis S. Wenceslai, ut ſui miſereretur, Dominum flebiliter exorabat; & ſurgens ab oratione, per Dei miſericordiam conſolidata ſunt genua ejus, agens gratias Deo & Beato Wenceslao, ob cujus merita eum Dominus ſalvum facere dignatus eſt.

Cujus miraculi famâ permoti alij, catervatim in Bohemiam ad Divi Viti Eccleſiam, & ad Divi Wenceslai Sepulchrum, veluti ad certum ſalutis recuperandæ portum feſtinabant; ita, ut anno 951. cruentiſſimo illo bello, quod Otto I. Imp. contra Boleslaum quatuordecim fere annis geſſit, paulo ante finito, (*g*) ex Gallijs, 85. perſonæ utriusque ſexûs, diverſis gravatæ morbis Pragam ſimul advenerint, ex quibus nemo penitus, niſi integrâ valetudine receptâ domum redijt: (*h*) per quod accedebat indiès prætactæ Eccleſiæ majus atque majus gloriæ decus.

etiam ex Gallijs frequentatione.

Nec minoribus illuſtratam miraculis invenio annis ſequentibus. Coſmam Decanum & temporum illorum coævum audiamus: *Satis capacia, inquit, implerentur volumina, ſi quis officio ſtyli tentaret currere per ſingula, quæ poſtea, dietim & annuatim ad Sepulchrum S. Martyris Wenceslai virtutum coruſcant Inſignia. Quorum quæq; valdè miranda, ſic quod; inibi uſitata habentur, ita ut pro ſui innumeroſitate, & Scholaſticis quoddam ea ſcribendi faſtidium ingerant, & populus nullo ſtupore, ſed velut Solis commune jubar, ſine admiratione ſuſcipiat. Noſtrâ etiam memoriâ dum Scholis dediti fuimus in Provincia, nonnulla cæcis & ſurdis, vinculatis & mutis, ab ipſo exhibita fuiſſe patrocinia meminimus.* Unum poſtea ex ijs recenſet, quod etiam in Chronicis

Miracula ad Sepulchrum S. VVenceslai in Eccleſia Prag.

(g) *Coſmas lib. 1. ad an. 950. VVitikind lib. 3. Annal. Regino, Sigebert. Calviſ. an. eod. Fabric. lib. 2. Origin. Sax. in Ottone Magn.* (h) *Hagek ad an. 943. Izo de paſſio. S. VVencesl. habet an. 951.*

repetit, hiſce. (i) *Anno Chriſti Milleſimo Nonageſimo ſecundo, in Nativitate S. Mariæ Virginis & Matris ejusdem D. noſtri JESU Chriſti, ipſa nocte poſt matutinas, jam illuceſcente die, quo tempore gratiſſimus ſopor languida demulcens quiete ſerpit per corpora, ſicut quilibet homo ſolet aliquando præ nimia ira & indignatione, niſi citiùs aperiatur, obſtantem januam cum poſtibus pulſando infringere; ſed homo non ſine mora & ſtrepitu atq; labore, noſtri verò Patroni, ſcilicet S. Wenceslaus atq; Adalbertus, tam potentialiter, quàm Divinitùs & ſpiritualiter advenientes, primò anterioribus poſtibus cum janua minuatim effractis, deinde ipſius carceris arctiſſimam & firmiſſimam, ceu ferream poſterulam, cum ſuis vectibus, ſine ſtrepitu fragoris fruſtatim ruperunt, & forinſecus projecerunt, nec non & cippum in quo damnatorum pedes crudeliter conſtringuntur; qui etiam in longitudine carceris extenditur & eminet per foramen parietis, ubi cuneis ferreis obfirmatur; miro modo cuneis in foramine, uti infixi erant, hærentibus, non fractum, ſed quod magis mirandum eſt, integrum cippum nullo ſentiente in angulum carceris detruſerunt, ſtatimq; unius vinculati, imò jam reſoluti in aurem vox pia inſonuit dicens. Hactenus vobis & huic Patriæ noſtra ſuffragia defuere, ex quo Veſtrates hoc plus, quàm civili bello, quod fuit inter Bohemiam & Moraviam, & diſcordia quæ eſt inter veſtrum Regem Wratislaum & filium ejus Brzetislaum, cæteráq; infidelitate atq; ſceleribus, quæ quotidie operantur, Dei gratia indigni extitêre. Sed quoniam gratia Dei & miſericordia, & reſpectus eſt in Sanctos & electos illius, nósq; eò dirigimur, quò ipſe reſpexerit, pro certo nuſquam noſtri præſentia ſuffragando adeſſe poterit, ubi illa peiùs miſerando non affuerit. Quare jam certi de miſericordia Dei, qui jacetis exſurgite, ad Eccleſiam properantes currite, grates Deo immenſas perſolvite, ejúsq; Martyres nos nominatim S. VVenceslaum & S. Adalbertum pacem apportâſſe, & vos abſolviſſe omnibus prædicate. Qui mox quaſi de gravi ſomno excitati, adhuc cuſto-*

SS. VVenceslaus & Adalbertus captivos vinculis ſolvunt, & libertati reſtituunt.

(i) *Coſmas in Vita & paſſ. S. VVencesl. parte 2. Idem Chronicor. lib. 3. ad anno 1092. in impreſſo pag. 46.*

cuſtodibus dormitantibus, ſenſatim ſurgunt, juſſa faciunt, & præ gaudio uſq; clamantes, Kyrie eleiſon, gregatim ad Eccleſiam properaverunt. Hac ipsâ die item, aliud quoq; tanto magis mirabile, quantum & ſpirituale miraculum enituit, quia ut ſupra SS. Martyrum revelatio retulit, Conradus frater Regis ſuperveniens, firmiſſimam pacem inter ipſum Regem & filium ejus compoſuit. Nam antea in tantum diſcordabantur, ut uterq; ab utroq; ſuſpecti, ille ne ſolio deponeretur, iſte ne à Patre caperetur, & in vincula mitteretur, valdè timerent. Iſtum, par ætas juvenum, & major pars procerum, manu quidem promptiores & bello fortiores comitabantur; illum verò Epiſcopus Coſmas, & Præpoſiti Eccleſiæ, omnéſq; terræ Magnates, ætate provectiores, & conſilio utiliores, cum omni militia plebis fovebant, & nimiò affectu venerabantur. Et profectò illâ tempeſtate, poſt conditam Urbem Pragam, peſſimum facinus patratum fuiſſet, ſi non Regis ad votum, omnem Principum & populi motum ſancta dignatio Beatiſſimi Wenceslai, & magna miſeratio Omnipotentis DEI compoſuiſſet, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Rurſum anno 1129. Divina Majeſtas ſingularem benigniſſimi ſui Numinis, in Cathedrali Divi Viti Eccleſia virtutem oſtendit. Nam pridie Feſtivitatis S. Adalberti, noctu poſt decantatas à Canonicis matutinas laudes, circa quartam fortaſſe vigiliam, ingens lux in eodem templo, præſertim in poſteriori parte templi, in cujus medio S. Adalberti ſepulchrum viſitur, effulſit, usque adeò, ut omnia circumcircà miro ſplendore illuſtrans, noctem vertere in diem videretur. Ardere omnia Cuſtodes templi primo intuitu putabant; poſtquàm verò animos recollegiſſent modicùm, videbant nubem lucidam ſupra ejusdem Divi Adalberti ſepulchrum inſtar columnæ ſtantem, quæ paulo poſt diffuſa totum ſepulchrum, ceu quodam velamine operuit: ex quo tantus horror ipſos invaſit, ut ne loco quidem moveri auderent; mirâ interim ſuavitate odoris tenebantur, quæ ad diluculum usq; etiam ubi lux tranſijſſet, perduravit. (k) Mira lux circa ſepulchrum S. Adalberti noctu apparet: unde permotus

 Mo-

(k) *MS. Cathalog. Epiſcop. Prag. uſq; ad Joannem ejus nominis III. Author eſt Anonymus, quem ego puto eſſe Vitum Decanum.*

Meynhardus Ep. idem ſepulchrum pretioſo apparatu exornat.

Movit res hæc, dum innotuiſſet, Meynhardum tum temporis Epiſcopum, qui ſine mora ſepulchrum ejusdem S. Martyris ſummo ſtudio ornandum ſuſcepit, illúdque incredibilis pulchritudinis tegumento, quod auro, argento, unionibus & gemmis varijs intextum erat, decorari fecit. Ornatus ille tribus millibus ſexagenarum Pragenſis monetæ ac ſeptuaginta, quæ ſeptem millia florenorum ſupra centumSexaginta tres faciunt, æſtimatus fuit. (*l*)

Sepulchra SS. Viti, Venceslai & Adalberti ab incendio illæſa.

Unde, & quando Eccleſia Prag. Sancta dici meruit?

Hoc ſepulchrum magis demum inclaruit, dum anno 1142. flagrante Wladislaum Bohemiæ Ducem inter, & Cunradum Moraviæ Marchionem civili bello, Templum à Moravis arcem fruſtra obſidione prementibus, igneis ſagittis petitum & incenſum totum quantum conflagrâſſet, à voracitate flammarum, quæ neque ſaxis pepercerunt, ſed incredibili rapiditate in cumulum omnia redegerunt, intactum inviolatúmque manſit: quod idem etiam, Deo protegente, Divorum Viti & VVenceslai ſepulchris accidit. (*m*) Tot denique ac tantis Divina Majeſtas hanc Eccleſiam gratijs, miraculis, prodigijs, revelationibus, viſionibus & portentis illuſtrare dignata fuit, ut impoſterum *Sancta* ab omnibus dici, atque etiam in Regum literis ſcribi, nominarique mereretur. Ita VVladislaus I. Rex, Brzetislaus Henricus InterRex & Ep. & Przemislaus I. paſſim. Item Przemislus Ottacarus II. in Privilegio eidem Eccleſiæ ac toti Clero Pragenſis Diœceſis anno 1253. dato habet expreſſè: *Sanè ad honorem Dei Omnipotentis, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ regitur, Beatorum Martyrum Viti, Wenceslai, Adalberti, in quorum honore Sancta Pragenſis Eccleſia, Epiſcopali Cathedrâ decorata, fundata dignoſcitur &c.* In alio item dato an. 1262. & pluribus alijs, quæ in Archivo Capituli originales reperiuntur. Similiter hujus filius & Succeſſor VVenceslaus, à multis etiam propter

(l) *Hagek ad an. 1129. MS. Jaroslaus Coſmæ Continuator in Chron. Prag. an. eod. Balbin. in Epitom. rer. Boh. lib. 3. cap. 10.* (m) *MS. Jarosl. ſupra cit. ad an. 1142. Pontan. in Boh. Pia lib. 1. Pulkawa ad an. 1142. & ſequ. Hagek an. eod. Balbin. citat.*

pter Sanctimoniam vitæ Sanctus cognominatus, in Privilegio an. 1286. *Notum ſit igitur univerſis & ſingulis, & præſentis ætatis hominibus & futuræ, tenorem præſentium inſpecturis, quod nos Sanctam Pragenſem Eccleſiam, quam velut aliarum Eccleſiarum Regni noſtri Matrem & Dominam amplius reveremur.*

Animadvertendum hic, non rectè ſentire illos, qui Eccleſiam Pragenſem primò ſub Carolo IV. Imp. hoc *Sanctæ* titulo fulgere cæpiſſe adſtruunt. Neque ille, qui nuper ea de re ſcripſit inquiens: *Legi plurimas Ducum ac Regum de Pragenſi Eccleſia litteras, nemo, quod ſciam, ante Arneſtum* (ArchiEp. Prag. I.) *Sanctam dixit: at ſub Arneſto, & poſtea ſemper Carolus IV. Imp. aliiq; Reges omnes, Sanctam Pragenſem Eccleſiam appellârunt.* Et iterum: *ob eam rariſſimarum, pretioſiſſimarum & Sanctiſſimarum Reliquiarum* (quas nempe Carolus IV. conquiſiverat, & impetrante præcipuè Arneſto ArchiEp. Eccleſiæ Pragenſi auro argentóq; exornatas donaverat) *multitudinem, & peregrinorum quotannis Pragam affluentium pietatem, exiſtimo factum eſſe, ut Eccleſia Pragenſis Sanctæ titulum in Antiquitate meruerit, quo hodièq; gloriatur.* Ita ille. Sed ſi quis Regum litteras, vel eas ſaltèm, quas Pontanus Præpoſitus Prag. Eccleſiæ in Bohemia Pia refert, (*n*) (eſtô illæ vix duodecimam partem earum, quæ in ſecretiori Tabulario Capituli diligentiſſimè ſervantur, faciunt) accuratiùs legerit, longè citiùs, & ſicut jam oſtendimus, facilè uno atque altero ſeculo priùs, illam hoc titulo eminuiſſe, inveniet: quod ego hic nullius carpendi, ſed Lectoris tantùm monendi causâ paucis inſinuandum duxi.

Præterea etiam in hoc Diva Bonitas ſuum ſpecialem erga Divi Viti Eccleſiam amorem oſtendit manifeſtum, dum illam tot Sanctorum Reliquijs, & quibusdam etiam ad Unigenitum ſuum Filium Salvatorem noſtrum, ejúsque dulciſſimam Matrem pertinentibus ſacratiſſimis cimelijs, ſicut raris, ita pretioſis, decorari fecit. Ipſemet Carolus IV. quem Sacra hæc pignora ma-

Eccleſia Prag. glorioſa à SS. Reliquijs.

(n) Pontan. in Boh. Pia lib. 5. apud me pag. 54. 60. 86. 87.

magnâ pietate collegiſſe docuimus, non ſibi, non induſtriæ aut dexteritati ſuæ, ſed Divinæ Providentiæ, quæ diſponit omnia ſuaviter, totum id adſcribit, palámque fatetur in litteris: prout ex ijs, quæ ſuperiùs Radio IV. memoravimus, apertè conſtat. Unum hic paucis repetere lubet: *Karolus Dei Gratia &c. Ineffabilis Divinæ Miſericordiæ pietas, & conſiliorum ejus inperſcrutabilis latitudo, ſicut ſtatûs noſtri magnitudinem de immenſæ virtutis Arcano, non exigentibus meritis noſtris, quâdam ſingulari prærogativâ fecit inſignem, ut dum univerſalis mundi gubernaculis præſidemus, in pacis amænitate lætetur ſub fælici noſtro regimine populus Chriſtianus: ſic juxta deſideria noſtri cordis, generoſam illam plantaginem Matrem noſtram, dignam Deo Sanctam Pragenſem Eccleſiam, Regnum & Coronam Bohemiæ, & ſubditum Majeſtati noſtræ fidelem populum gratâ benignitate reſpexit, nobis tot & tantorum Martyrum & Sanctorum Reliquias fæliciſſime miniſtrando; ut qui pridem cum ſubjectis nobis fidelibus, Zelo & amore fidei Orthodoxæ, ad Divini nominis cultum aſpirâſſe dignoſcimur, nunc Creatorem & Pſalmatorem omnium in Sanctis ſuis, quorum obtinuimus ipſo diſponente Reliquias, devotiſſimè reveremur &c.*

Res prodigio ſimilis, quòd ſacer hic SS. Reliquiarum theſaurus, per tot injurias tēporum,

Pari ratione, quòd ſacrum hunc Sanctorum Pignorum theſaurum, Eccleſia noſtra, toto illo hæreſeos, ab anno 1410. ad usque annum 1620. per Bohemiam dominantis, & ſubinde in Catholicorum ſacra crudelem in modum ſævientis tempore, tot inter ſuorum perſequutiones & exilia, & poſt tam graves ac diuturnas bellorum tempeſtates, & procellas ſúsq; déq; omnia miſcentes, conſervare penè integrum (auro, argento ac gemmis, quibus à Carolo exornatus erat, ſed ſub Sigismundo expoliatus, exceptis) ad noſtra usque tempora potuerit, id Divinæ quoque Providentiæ neceſſariò debemus acceptum referre, dicendo cum Propheta: *à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

hæreſeos

Sanè miraculi inſtar fuit, quòd primo illo furore, dum fæx vulgi Pragæ, extra verò Zisca Sanguinarius ille Cyclops, in Divorum templa, Monaſteria, aras, imagines & SS. Reliquias ma-

maximâ impietate debaccharentur, Templum Metropolitanum cum ſuis ſacris illæſum perſtitit; nec priùs, niſi, ubi SS. Reliquiæ in tutiora translatæ fuiſſent, vim aliquam ab impijs theomachis ſuſtinuit. Similiter anno 1619. & ſequenti, prodigio ſimile fuit, dum occupato per ſummam vim ab Iconoclaſtis Calvinianis Metropolitano templo, & everſis in eo Aris, confractis imaginibus, disjectis & conculcatis, quæ in altarium ſepulchris inveniri poterant SS. Reliquijs, Corpora SS. Regni Patronorum, ſicut etiam alia SS. Pignora in ſuperiori teſtudine Sacelli Divi Wenceslai depoſita, ab omni hujuscemodi injuria manſerunt intacta.

Anno iterum 1648. res prodigio quoque proxima accidit, dum Minori Urbe & Arce Pragenſi à Svedicis ex inſidijs interceptâ, ac fœdè direptâ, Metropolitana Eccleſia, tametſi etiam in poteſtate hoſtium venerit, nullam tamen quoad SS. Reliquias hoſtilem vim, nullam injuriam, nec vel minimam Supellectilis direptionem ſenſit, de quo fuſiùs alibi. Quid ad hæc? niſi Dexteram Domini feciſſe hîc virtutem, & ſub alis protectionis ſuæ cuſtodijſſe Eccleſiam, Sanctáque ejus: *Ipſi proinde Benedictio & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, &c.* & bellorum,

Dixi ſuprà, ſacrum hunc theſaurum, SS. nempe Reliquias, per DEI gratiam, conſervari in Eccleſia Metrop. etiamnum penè integras, auro & argento, quibus aliquando fulgebant ornatæ, exceptis. Ita omnino eſt; theſaurus ille, quo glorioſiſſimæ memoriæ Carolus IV. Imp. & Bohemiæ Rex, Pater Patriæ Sanctam Divi Viti Eccleſiam decoravit, quoad Sacra Pignora, *penè integer* hodiéque manet, & in eadem Eccleſia piè aſſervatur. Dico, *penè integer;* quia tamen paucula quædam, ſub illa pernicioſiſſima diſturbia Huſſitica, aliò transportari accidit: uti Caput S. Ignatij Ep. & M. quod Romæ apud Patres Soc: Jesu in Domo Profeſſa: & Caput S. Vincentij Diaconi & M. quod Wratislaviæ in Cathedrali Eccleſia venerantur: Item pars Corporis S. Calixti Papæ M. quam Anna Regina Matthiæ Imp. conjunx in Tyrolim abſtulit: præter minutiora quædam.

conſervari potuerit penè integer.

Po-

qui in Eccleſia S.Viti, hodiéq; pie aſſervatur,

Potior itaque apud nos exiſtit; qui tametſi ſub Sigismundo Imp. uti diximus, fuerit aureis argenteíſque thecis, ciſtulis, & alio pretioſiſſimo quoque ornatu deſpoliatus, non defuêre tamen viri pietate & religione præſtantes, cùm Eccleſiaſtici tum Politici Ordinis, ipſi etiam Deo ſic diſponente, Reges: Ladislaus, Wladislaus, Ludovicus; qui ſedatis utcunque domeſticis ſeditionibus & turbis, reductáque ad tempus ſaltèm, circa religionis capita, quiete & pace, denuò non pauca aureis itidem argenteíſque laminis & thecis decoranda ſuſciperent: uti Capita SS. Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi, Bartholom. Apoſtoli, Lucæ Evangeliſtæ, Benedicti ex V. Fratribus Eremitis & MM. Conſtantiæ Reg. Conthoralis S. Sigism. Ubera S. Annæ; Brachia S. VVenceslai, S. Euphemiæ, S. Victoris, S. Margarethæ, S. Juſtinæ V. & M. Reliquiæ SS. Quinque Fratrum in tabula auro obducta, & aliæ eorundem in theca argentea, quam Zdenko Adalbertus Popel de Lobkowicz Supremus Regni Bohemiæ Cancellarius, ac poſtea S. R. Imp. Princeps, proprijs impenſis, patrûm noſtrorum memoriâ, fieri curaverat: & alia, quæ ſubinde in feſtivitatibus majoribus, publico cultui in ara principe exponuntur. Plura tamen, & quædam notabilis magnitudinis, & non poſtremæ raritatis, prout olim fuerant ornatu ſuo denudata, ita in ſecretiori Eccleſiæ ſcrinio manent compoſita, decenter tamen in ſericeis pleráque involucris, & in ciſtulis partim plumbeis, partim ligneis, & una amethyſtina pretij ſingularis, teſte Carolinæ quondam munificentiæ & liberalitatis. Súntque univerſim in tanta copia & multitudine, ut robuſti duo viri habeant ſufficiens pondus, quod portare valeant. Ex his quædam, nominatim de Capitibus *SS. Chriſogoni Marcellini Papæ M. Longini, Leonardi, Dorotheæ, Suſannæ V. & M. Romanæ*, jam inde levavi, & thecis ligneis (aurum & argentum nobis deeſt) forinſecùs diverſis coloribus expolitis, intra verò ſericeis lectulis ſeu pulvillis, opere phrygio, per virgineas Veſtalium D. Urſulæ manus concinnè exornatis, vulgò Reliquiaria appellamus) quandoque etiam in majoribus Eccleſiæ noſtræ ſolen-

& in majoribus Feſtivit. publicæ venerationi exponitur.

ſolennitatibus publicæ venerationi exponenda, includi curavi. Reliqua auxiliatrices piorum manus expectant. Sed hinc ad propoſitum.

Majus porrò ac certius adhuc Divini, erga Metropol. Pragenſem Eccleſiam Amoris documentum ex eo patet, quòd DEus in profanatores ejus non ſemel ſeveriſſimè animadvertit; quod utique ad nominis ipſius gloriam plurimùm facit. *Ira Dei contra violatores ejuſd. Eccleſiæ:*

Primum & terribile ac notum omnibus Divinæ ultionis exemplum, habemus in Drahomira muliere impiiſſimâ, & alterâ Jezabel; quæ poſt immania ſua facinora, ac hominum innocentum, maximè Chriſtianorum, varias nefariâ crudelitate patratas cædes, ſublatâ etiam pari facinore ſocru ſuâ Ludmillâ muliere Sanctiſſimâ, proprio item filio Wenceslao, uti oſtendimus ſupra; dum ultimò quoque Divi Viti templo vim infert, paulo poſt repentino terræ hiatu abſorpta, dignas enormium factorum pœnas dedit. *exemplum in Drahomira:*

Incendij illius an. 1142. quo Templum D. Viti conflagravit totum unà cum arce, authorem oſtendimus Radio II. Fuit is Cunradus II. Marchio Moraviæ, Dux Znogmenſis, homo ferox & inquietus, gloriæ imprimis immodicus & inſatiabilis; qui Wladislaum ejus nominis II. Bohemiæ Ducem, ac poſtea Regem per ſummam vim ſolio deturbare, conatus, cùm obſidione Wiſſehradi & Majoris Urbis Pragenſis, ac deinde etiam Arcis Prag. & Urbis Minoris fruſtra laboráſſet, ultimò deſperatione actus, & ad omne projectus ſcelus, in ædes ſacras & profanas iram convertit, & Arcem incendi juſſit: quo caſu etiam Cathedrale templum in pulverem concidit & ruinam. Deteſtandum ſanè ac diris omnibus devovendum facinus, quòd pernicie innoxiorum Civium, & excidio ruináque etiam Sacrarum Ædium, irriti ſui conatûs, ac rei malè geſtæ ultionem quæſiverit! ſed & ipſum Ultio Divina è veſtigio eſt ſequuta; pulſus námque ex Bohemia, & ditione quoque hæreditariâ in Moravia exutus, patriáque extorris, vitam in exilio ſat inopem, & exiguo in pretio habitus, ducere compulſus fuit: tandem etiam, cùm ma- *in Cunrado March. qui eam incendi curavit;*

la malis, ſacrilegia ſacrilegijs accumulare non ceſſaret, & quod majus eſt, Henrico Zdik Epiſcopo Olomuc. cognato ſuo, viro ob ſanctimoniam vitæ & morum ſuavitatem omnibus ſummis amabili, ſingulari impietate vim atrociſſimam intentare non erubeſceret, publicâ execratione per Pontificem Max. Eugenium III. à Fidelium cætu Eccleſiæq; conſortio amotus.

Luctuoſiſſimo illo rerum ſtatu, quo poſt Ottocari Regis anno 1278. triſtem interitum, Bohemia Ilium quoddam fuit, prædæ omnibus expoſita, tótque malorum procellis quaſſata, ac ferro & incendijs usque adeò lacerata, ut nihil propiùs fuerit, quàm ut in buſtum & ruinam abirent omnia: qualia templum quoque Cathedrale à Brandeburgicis Regni incubatoribus ſuſtinuerit, & quomodo in ea rerum humanarum Divinarumque confuſione, ſacrilegus quidam fur, ablato palam è Sacello Divi Wenceslai thuribulo argenteo, & mox terrore horribili correptus, illud tremebundus miniſtris Eccleſiæ reſtituerit, ex Scriptore, oculato horum omnium teſte, ſupra Radio II. & V. docuimus. Id ſolùm hic adjicere lubet, authores Sacrilegiorum, qui quicquid pretioſi in templo fuerat, ſingulari impietate, & Dionyſij exemplo tollebant, *in Sacris quid facit aurum?* (*) per Satyram vociferantes; quos inter præcipuus habebatur Eberhardus Epiſcopus Brandeburgenſis, ab Ottone Longo Marchione Brandeburgenſi, qui ſe pro tutore VVenceslai Regis occiſi filij gerebat, homine Bohemæ ac toti Slavonicæ genti infenſiſſimo, Regni Gubernator conſtitutus; intra breve tempus, diverſis pænarum generibus, divinitùs, ut credi par eſt, irrogatis, partim in ſummam calamitatem incidiſſe, partim acceleratâ morte, & miſerabili quidem vitæ exitu interiiſſe: ipſius quoque Ottonis ſtirps paullo poſt in nepote Waldemaro intercidit.

In Brandeburgicis, qui eam expilârunt: &

(*) *Juvenal.*

De Joanne Rege, quid Beneſſius noſter Scriptor quoque coævus memorat, audiamus; *(o) Eodem anno*, nempe 1336. *ipſe Rex*

(o) *MS. Beneſſ. in Chron. Prag. lib. 3. ad an. 1336.*

Rex fecit fodi in Synagoga Judæorum Prag. & invenit plurima millia in auro & argento. (auri infecti 115. talenta, tria millia argenti, ſeptem millia ſignatæ pecuniæ,& monilium grandis numerus fuiſſe dicitur [p]) *Sed malo ductus conſilio, & præcipuè per ſuos Rhenenſes, qui ſibi adhærebant illectus, Dei timore poſtpoſito, fecit fodi in Eccleſia Pragenſi penes Sepulchrum S. Adalberti, & in Capella Diviſorij, ſperans aliquid invenire; ſed ſpe ſuâ fruſtratus, imagines XII. Apoſtolorum, quæ pro ſepulchro S. Wenceslai fuerant per filium ſuum Carolum, & de fidelium eleemoſyna fabricatæ,* (novi belli, & Religionis Chriſtianæ apud Prutenos & Litvanos protegendæ prætextu) *abſtulit & aſportavit. Nec Divina ultio defuit: permittente enim Deo, qui ſuam & Sanctorum ſuorum injuriam ulciſcitur, ipſo die, quo hæc facta ſunt, quidam potens miles de Rheno* (Henricus de Altorff) *qui in hujusmodi actu nefario primus & præcipuus conſiliarius fuit, à quodam* (ſervo ſuo proprio) *inopinatè occiditur in civitate Pragenſi* (cùm enim ſervum ſacrilegij hujus facinus ſibi exprobrantem verberaret, ab eo pugione confoſſus illicò expiravit) *Rex verò Joannes, qui usq; ad hæc tempora dolorem oculorum paſſus erat, deinceps omnino excæcatus eſt, & non vidit lumen diei, usq; ad diem mortis ſuæ. Neq; contra Divinam Voluntatem, quæ permiſerat hoc factum, potuerunt illum juvare, nec curare ulli Medici: quamvis de diverſis partibus, etiam de paganiſmo advocaverat, quorum aliquos poſtea fecit in aqua demergi. Simulabat ſe tamen idem Rex videre, cùm non videret, & multi qui ipſum intuebantur, cæcitatem ipſius non animadvertebant: quia omnia facta ſua taliter diſponebat, ut videre crederetur.* Ita ille, benignus aliàs factorum ipſius interpres, prout ex hoc, quod de novo ab ipſo primùm inſtituto vectigali, Ungelt dicto, multis utique oneroſo, in excuſationem ejus affert, oſtendi poteſt. *Et quia,* inquit, *pro ſtipendiarys pecuniâ indigebat, cæpit excogitare diverſos modos conquirendi pecu-*

in ipſo Rege, Joanne, quo theſaurum ipſius abſtulit: cujus facti,

conſultor occiditur, &

Joannes Rex pœnâ inflictâ divinitùs excæcatur.

 cu-

(p) *Hagek ad an. 1336. Balbin. in Vita V. Arneſt. lib. 1. cap XII. Id. in Diva VVart. lib. 1. cap. 3. §. 2.*

cuniaſ, Monaſteria & Civitates talliando; Ungeltum, quod priùs nunquam auditum fuerat, recipiendo, de vino & ſale per totum Regnum (imò nullum rerum promercalium genus omiſit, cui non tributi aliquid impoſuiſſet) Bernas etiam ſeu Regalem collectam ſæpiùs recipiendo à ſuis Bohemis. Propterea multi adverſùs ipſum clamabant, ſed quid clamarent, ignorabant: nónne melius fuit dare partem pecuniæ cuilibet, quàm Regnum deſtrui per hoſtes & vaſtari? Providerat enim Rex Johannes, ut licèt ex omni parte Terræ ſuæ, haberet Principes inimicos: utpote Ludovicum Bavarum, qui potentiſſimè regebat Imperium, Duces Auſtriæ, Marchionem Brandeburgicum Ludovici filium, Marchionem Miſnenſem, Regem Poloniæ, Duces Sileſiæ plures: nunquam tamen aliquis eorum præſumpſit invadere fines Regni Bohemiæ vel intrare: ſed omnes circumſedentes Principes, ipſum Regem & ſuam Gentem maximè timebant: quia, ut dicitur, audaces fortuna juvat. (q)

Joan. Rex aliàs armis inclytus, & bellator inſignis.

Neque omitti debet, quod idem coævus Scriptor memorat & quod huc etiam propriè facit; nempe Bona quoque temporalia dictæ Eccleſiæ Cælitibus curæ eſſe, Deúmque ipſum aliquando in violatores eorundem graviter animadvertiſſe. Nam cùm anno 1368. Carolus IV. Imp. in Italiam, ut Pontificis Maximi authoritatem, adversùs quosdam Italiæ Principes, præſertim Barnabovem Vice Comitem Mediolanenſem hominem turbulentum tueretur, expeditionem ſuſcepiſſet, Nobiles quidam Bohemi pro debito officij ſui Imperatorem ſequuti, quàcunque tranſibant per oppida & pagos Bohemiæ, maximè verò per ditiones Pragenſis Eccleſiæ, neglectâ penitus omni veteri & incorruptæ militiæ diſciplinâ, maxima ubique damna inferebant: permittentes ſuos liberè, ut vexatis & direptis agricolarum fortunis, obvia quæque atrociter planeque hoſtiliter pervaſtarent, adeò immani licentiâ peccandique impunitate, ut ex militibus immaniſſimi latrones effecti, & ex præda tantùm victitando, miſerorum hoſpitum non pecora duntaxat vel macta-

Etiam Bonorũ ejusd. Eccleſiæ violatores graviter à DEO punitos fuiſſe,

(q) Beneſſ. ſupra lib. cit. & anno Daubrav. lib. 22.

ctata vorare & conſumere, vel rapta abducere, ſed & reconditas cellis penuarijs fruges diripere, deſectas tempore meſſis, & in acervos compoſitas disjicere, equis conculcare; ac denique freti nimiâ impunitate miſeris incolis, ſi qui facultatum ſuarum rapinis prohibendis contentiùs reſtitiſſent, impias & crudeles manus inferre non vererentur. Sicq; uno ejusmodi graſſantium prædonum agmine diſcedente, alij atque iterum alij æquè crudeles & flagitioſi, per aliquot dies continuos ſuccedebant. Quibus immanium ſcelerum irritamentis Deum Opt. Max. Divósque Patriæ Tutelares offenſos atque iratos, ijsdem ducibus & militibus felicem ſucceſſum, & incolumen in patriam reditum haud immeritò negâſſe, credibile ſanè eſt: id quod etiam ſingulari prodigio, quod in Eccleſia Prag. circa Divi VVenceslai Capellam accidit, comprobatum fuit. Placet ejusdem Scriptoris ac teſtis oculati verbis, rem totam paulo latius commemorare.

Eodem anno, inquit, (nempe 1368.) *miſit Dominus Papa Urbanus V. ſuos ſolemnes nuncios ad D. noſtrum Imperatorem, petens omni diligentia, ut cùm terræ Romanæ Eccleſiæ in Tuſcia & Lombardia, per iniquas ſocietates, & præcipuè per Barnabovem de Mediolano, contra Deum & juſtitiam occuparentur, & indebitè perturbantur, eidem & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dignetur venire in auxilium. Cujus petitionibus crebris Dominus Imperator, cùm ſit Advocatus & Defenſor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, benignè annuens, congregata maxima gentium ſuarum & Alemanorum multitudine, in auxilium dicto Domino Papæ, contra præfatas peſtiferas gentes proficiſcitur, & in die Palmarum, quæ fuit ſecunda dies menſis Aprilis, de Civitate Pragenſi armis bellicis indutus iter arripuit; relinquens in Regno Bohemiæ & Terris ad ipſum ſpectantibus, pro Capitaneo & gubernatore Venerabilem Patrem Dominum Joannem Archiep. Prag. qui temporalia & ſpiritualia feliciter gubernabat. Barones verò & Nobiles Regni Bohemiæ ſequentes Dominum Imp. multa damna fecerunt in bonis Eccleſiarum & Monaſteriorum: Unde Deo permittente, multi ex ijs in Italia, redeundo in via mortui ſunt;*

vel hoc manifeſto prodigio & exemplo conſtat.

aſcendit enim clamor viduarum & pauperum usq; ad cælum, & Do-minus exaudit eos, & vindicat. Id porro dignum memoriæ com-mendandum. Cùm enim Nobilis Vir Dominus Petrus de Michels-perg cum exercitu ſuo ſequeretur Dominum Imperatorem versus Italiam, iſte Baro juvenis transeundo intulit maxima damna in Bonis Eccleſiæ Prag. & aliјs pauperibus hominibus, quorum ulula-tus atq; fletus aſcendit usq; ad cœlum, & Dominus Jesus Judex non eſt delectatus in illis: Unde poſt receſſum ſuum, Domina con-jux ejus pro ipſius ſalute, & felici reverſione, fecit votum orandi ad limina Sanctorum Patronorum Eccleſiæ Prag. quod & adimplevit. Cúmq; circumiviſſet totam Eccleſiam Prag. volens demum intrare Ca-pellam S. Wenceslai, & ibi fundere ad Dominum preces pro ſalute ſui Viri, ecce ipſa Capella adeò fortiter clauſa eſt, quod Capellanus ipſam cùm clavibus ſuis nullatenus potuit aperire. Advocatur Do-minus Wratiborius Decanus, & alij Canonici atq; miniſtri Eccleſiæ Prag. ſed nullus quâcunq; arte potuit aperire: mittunt pro fabro, ſed nec ille perficit, niſi totum oſtium ferreum effringat. Differtur negotium aperiendi & effringendi ad tempus: & ecce poſt receſſum Dominæ præfatæ, oſtium Capellæ ſolito more absq; difficultate aperi-tur. Mirantur omnes de iſto miraculo, quod erat præſagium futu-ri mali eventûs: nam ipſe Dominus Petrus, quaſi eodem tempore, quo hæc acta ſunt Pragæ, moritur in Italia, & mortuus defertur in Bohemiam. Talem Deus omnipotens, propter merita Sanctorum Martyrum ſuorum, & Patronorum Eccleſiæ Prag. malefactoribus ejusdem Eccleſiæ reddidit retributionem, ut pœna eorum, qui in di-cto exercitu malâ morte mortui ſunt, aliјs tunc viventibus, & fu-turi temporis hominibus tranſiret in exemplum.

His & aliјs glorioſis miraculis S. Wenceslai conſideratis Re-verendus Pater Dominus Joannes ArchiEp. Prag. Apoſtolicæ Sedis Legatus, conceſſit omnibus verè pœnitentibus, confeſſis & contritis qui ad honorem ipſius Sancti cantionem infra ſcriptam ab olim can-tari conſvetam cantaverint, XL. Dierum Indulgentiam con-ceſſit perpetuis temporibus duraturam. Cujus quidem canti-

tionis

tionis tenor in vulgari ſequitur in hæc verba: *Swatý Waclawe Weywodo Cžeſké Země, Knjže náſs, ꝛc.* (r).

Huſſitis in tépla Religioſorum Praga ſævientibus,

Alio item, & longè triſtiori funeſtiorique temporum tractu, quo Huſſiticæ plebis furor, ac ſceleratiſſimi quique, ex peſſimo ſervili q; genere ac fæce hominum collecti, ideóque capitalia auſi per annos quindecim continuos, omnibus crudelitatis & ſævitiæ modis graſſabantur in Catholicæ religionis obſervantiores, ita ut paſſim templa, cœnobia, oppida, arces & campi ſanguine Catholicorum redundarent: (Hinc iſtud Pij II. Pontificis; *non ſe aliam Provinciam, quàm Bohemiam ſcire, quæ plures Chriſti Martyres ijs ſeculis tulerit.* (s) Et iterum: *Nec mea ſententia Regnum ullum eſt, in quo ævo noſtro tot mutationes, tot bella, tot ſtrages, tot miracula emerſerint, quot Bohemia nobis oſtendit:*) Templum quoque Divi Viti à ſcelerata hâc colluvie graves minas, ac ultimò etiam vim binis vicibus ſenſit; propéq; erat, ut ſicut Wiſſehradenſe, Strahovienſe, Brzewnovienſe, Karlovienſe, Carthuſianum, S. Thomæ, S. Clementis ad pontem, S. Benedicti, S. Catharinæ & alia multa, funditùs everteretur, niſi manifeſtum Dei tutamen pro defenſione ac munimento adfuiſſet. Hagecius, (t) & ex ipſo alij referunt, buſtuarios illos primâ vice Sacram Ædem aggreſſos, jámque pergulam & deambulacra ſupra Divi Wenceslai Sacellum, ipſo SS. Trinitatis die feſto demoliri incipientes, à Zythopœjarijs ſeu braxatoribus è Praga Veteri opportunè accurrentibus, fuiſſe armatâ manu à tam nefario auſu depulſos, ac totâ arce ejectos Secundò autem, dum Joannes Monachus, fax & turbo Religionis, poſt Huſſum & Hieronymum hæreſiarchas primarius ſeditioſorum ſignifer, cum maleficentiſſimo ſuorum ſequacium manipulo, anno 1421. die 10. Junij eidem Baſilicæ omnibus ornamen-

Templum Divi Viti per braxatores Prag. ſed magis divinitùs, ab excidio & ruina liberatur.

(r) *Beneſſ. de VVeitmil. in Chron. Prag. libr. 4. ad an. 1358. Hagec. in Chron. Boh. an. eod. Pontan. in Bohem. Pia lib. 1.* (s) *Æneas Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 38. It. in præfat. ejuſd. ad Alfonſum Reg. Aragon. Cochlæus in Hiſt. Huſſit. Krantz. in præfat. VVandal. Campanus in Bohemia ac.* (t) *Hagecius ad an. 1420. & ſeq. Cruger. ad 10. Junij.*

namentis priùs exſpoliatæ, vim intentaret extremam, ac per ſummum nefas urgeret ipſius excidium, Illuſtres quoſdam Viros interveniſſe, ſuáſque interpoſuiſſe partes, quò minùs ſuum ſortirentur effectum tam impij apoſtatæ ſceleratiſſimi conatus. Arſenius verò Decanus in ſuis Commentarijs, *(u)* hoc inſuper addit; legiſſe ſe in quodam vetuſtiſſimo Joannis de Kralowicz inter hæc diſturbia Metropolitani Decani ſcripto; ſacrilegos illos templorum everſores, qui velut rabidi canes, lapides etiam Sacrarum Ædium mordebant, dum Eccleſiam quoque D. Viti diruendam ſingulari impietate ſuſcepiſſent, ſumpto à D. Wenceslai ſacello, ùt modò diximus, ſacrilegij principio, præterquàm, quòd unus ex ipſis, à defenſoribus telo proſtratus conciderit, aliunde etiam tanto horrore ſubitò correptos fuiſſe, ut occultâ quâdam vi impellente, ab incepto deſiſtere, & quà quis poterat, fugam dare cogerentur. Viſum etiam fuiſſe virum humanâ ſpecie auguſtiorem (haud dubiè Divi Wenceslai tutelare Numen) ſplendentibus armis conſpicuum, haſtam manu tenentem, & aſpectu terribilem, qui maleficis nebulonibus hanc formidinem incuſſit, ita ut præcipiti è templo fugâ ſeſe proripuerint. Verbo, Deus Opt. Max. ſingulari & manifeſtâ ſui Numinis ope & favore, ſacrum hunc locum clementiſſimè protexit.

Vim aliquam tamen ab impijs illatam patitur, quam

Quod tamen eundem paulo poſt à præmemorato apoſtatâ monacho, ejúſque aſſeclis, hominibus vel potiùs latronibus projectis ad omne ſcelus, prophanari, ornamentis exui, ſpoliari, altaria dirui, tabulas & imagines exuri, ſacris denique omnibus contumelioſè illudi permiſerit, ita Divinæ ejus Majeſtati, cujus judicia ſunt inſcrutabilia, ac verè abyſſus multa, placuit. Neque enim ſemper Divina Bonitas, pro immenſa ſua miſericordia & longanimitate, in pios ſacrilegorum conatus & actus extemplò vindicat; ſed tempori quandoque juſtas pœnas reſervat, & tunc in ejuſmodi theomachos ſeveriſſi-

mè

(u) MS. Caſpar. Arſenij Decani Prag.

mè animadvertit, prout hic id ipſum manifeſto exemplo declaravit. Tradunt enim Veteres memoriæ ab eodem Arſenio (x) diligenti ſcriptorum antiquorum lectione obſervatæ, ſummâq; fide collectæ, neminem ex hac ſacrilegorum colluvie, poſt patratum tantum facinus, integrum ſupervixiſſe annum; ſed Deo id ſcelus non ſerò vindicante, omnes omnino intra unius anni ſpatium, partim in acie concidiſſe, partim alio, eôque miſerabili, ac infami etiam vitæ exitu interijſſe. Potiorem ex ijs partem abſumpſit memorabilis illa ad Brixiam (Pontem aliàs vocamus) regiam in Bohemia civitatem, hoc ipſo anno 1421. die 5. Auguſti clades; (y) manifeſtâ Divini Numinis, ut benè obſervat Hagecius, propter violatam Divi Viti Eccleſiam, Ultio. Aliqui quatuor ſeptimanis ante, dum belluino ſuo more, in Ædes Monaſterij Doxanenſis, Virginum Præmoſtratenſis inſtituti, incautiùs debaccharentur, omnia funditùs evertere conati, inopinato muri caſu obruti fœdè perierunt. Ultimò etiam apoſtata monachus, à Magiſtratu Antiquæ Urbis, qui hominis inſolentiam tyrannidi proximam ferre amplius non poterat, & ſublato illo quocunque tandem modo, quietiores deinceps res fore putabat, in prætorium vocatus, morique juſſus, carnificis gladio, unà cum alijs duodecim ejusdem farinæ nebulonibus, dignas tot ſacrilegiorum & aliorum enormium factorum pœnas luit. (z)

poſtea ulciſcitur Deus, violatoribus ipſius, intra ſpatium anni, omnibus miſerrimè e medio ſublatis.

Ita in caſtigandis Baſilicæ Metropol. violatoribus Divina Nemeſis mirabilem & manifeſtam vindictam oſtendit, ut cæteri à ſimilibus, eventu ipſo damnatis facinoribus abſterrerentur, diſcerentque hoc exemplo moniti, non temnere neque tangere Divos. *Longo ſubinde gradu ad vindictam ſui Divina procedit ira*, inquit Valerius Max. *attamen tarditatem pœnæ gravitate compenſat.* Abijt poſtea apud Pragenſes in commune proverbium: Kdo Swatého Wjta bořj ſnadno ſe Peklá dobořj: ac ſi

LIII dice-

(x) *MS. Arſenij cit.* (y) *Hagec. ad an. 1421. habet diem 6. Aug. Lupac. Kuthen. Chron. Mansfeld. Matthias à Lauda diem 5. Aug.* (z) *Hagek ad an. 1422. Lupac. Kuthenus. Crugerius ad diem 9. Martij.*

diceres; *qui templum S. Viti deſtruit, facit ſibi viam ad infernum ſtruit.* Hinc deinceps ſeditioſorum tumultus, nec Zisca immanis ille buſtuarius, nec Orphani vel Taboritæ ipſo longe crudeliores, in quorum ipſis vultibus tormenta vidiſſes, tametſi continuatâ ſuâ rabie ad annum usque 1434. in Catholicorum tam Eccleſiaſticorum, quàm Nobilium Ædes ſacras & profanas graſſarentur inhumaniter, templa, domos, expoliarent, cædibus, incendijs, luctu, cadaveribus omnia miſcerent, & quacunque iter haberent, obvia cuncta rapinis, prædis, populationibus, ſanguine, incendijs, longè latéque infeſta redderent, ita ut templa, cœnobia, arces, oppida paſſim ardentia conſpicerentur: nemo tamen Divi Viti templo vim, aut injuriam vel in minimo, inferre auſus fuit. Inviolatum itaque toto illo, funeſtiſſimi ac toti Regno, ipſis etiam finitimis circumquaque luctuoſi Huſſitici belli tempore, imò & ſequentibus annis, quibus per inteſtinas circa Religionem diſcordias, & civilia arma Regnum fuerat ſupra modum quaſſatum, ab omni penitus vi ſecurum ſtetit; usque ad annum 1541. quo miſerabili incendio conflagravit (*a*)

Sæviente in Regno hæreſi, Templum Metrop. intactum manet, usq;

Sed vetera nimis hæc alicui fortaſſe videbuntur: recentiora, quæ Patrum noſtrorum memoriâ accidêre, adferemus, ex quibus Metropol. Eccleſiæ gloria à ſanctitate, cæleſti præſidio, & miraculis magis eluceſcat.

Anno 1619. cùm invaleſcente infeliciſſimâ illa, non ita (*mehercle!*) à Bohemis, ſicut ab alienigenis Turriano, Hohenlojo & Felzio, hominibus exteris. & in Bohemia novis, excitatâ rebellione, Prælati & Canonici fuiſſent per ſummam hæreticorum vim Sacerdotijs ſuis exuti, templo & domibus ejecti, aliqui etiam proſcripti; Eccleſia ipſa Calvinianis ritibus profanata, altaria omnia diruta, Reliquiæ SS. in ijs repertæ ſingulari impietate contritæ & conculcatæ, imagines Sanctorum confractæ & combuſtæ; patratum denique, ad omnia ſcelerum nequi-

ad annû 1619. quo per ſummam vim Calviniſtarum occupatur & profanatur,

(*a*) *VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad d. 1. Juny. Crugerius. Lupacius.*

nequitiæ, impietatis atque avaritiæ & crudelitatis exempla, quicquid cladium unquam, quicquid calamitatum, occupata & direpta templa à Turcis, Tartaris alijsque barbaris pati ſolent: quæ & qualia in ſeadem Metrop. Eccleſia, cùm ante & ſub, tum poſt hanc ipſam deſolationem accidêre prodigia, quibus DEUS Zelotes, vim & injuriam hanc ſe minimè relicturam inultam manifeſtè oſtendit, ſupra Radio III. aliquid innuimus. Jam ex conſtituto quædam hic clariùs dilucidabimus.

Ejectis Canonicis, & alijs omnibus inferioris Ordinis miniſtris, ac penitus totâ arce exceſſe juſſis, quod factum die 18. Octobris; cùm Eccleſia ceſſantibus in ea ſolitis rerum Divinarum Officijs, mæſto admodùm teneretur ſilentio; ac tandem etiam Friderico Electore Palatino, ad capeſſenda Regni gubernacula Pragam Pridie Calendas Novembr. accelerante, móxque die quinto in eadem Eccleſia novo ritu, ſed impro ſpero rei exitu coronato, Calvinianæ ſectæ, quam ille profitebatur, uſibus attribueretur; ipſimet Fidelium in ea Defunctorum pij Manes abominationem hanc in loco tam ſancto deteſtari, & Divini Numinis vindictam implorare viſi ſunt. Etenim nocturno tempore non ſemel Eccleſia prodigioſis luminibus tota inclaruit, feneſtris omnibus tam ingenti ſplendore refulgentibus, ut à vicinis hæc non ſine admiratione ſpectantibus, omnia intus ardere putarentur: auditæ etiam Pſallentium voces, & cantica. Hæc primùm nocte feſtum D. Clementis Papæ Martyris antecedente, ſecundò in pervigilio S. Andreæ Apoſt. accidêre. Inter alios, qui hæc ſecundâ vice acta ſpectabant, erat etiam Abraham Scultetus, presbyterij Calviniani Pragam cum Palatino recèns introducti Anteſignanus, vel ùt communiter vocant, Superintendens. Hic Domum Decani templo viciniam, in ea metamorphoſi rerum occupavit, & à ſuis, dum hæc fierent, ut videret, quæ in templo agerentur, de ſomno excitatus, non aliud pro ſuo ingenio exiſtimabat, quàm quod Canonici clanculum templum ingreſſi, ſuum *Rorate*, nempe

Ejectis priùs Canonicis.

Auditi in Templo Metropol. noctu prodigioſi cantus, viſa etiam lumina, ſemel atq; iterum.

Hoc viſo Calviniſtarum coryphæus, putãs Canonicos in templo eſſe,

Miſſarum Solennia Sacro Adventûs Dominici tempore, à Catholicis manè ante auroram paſſim in Eccleſijs peragi ſolitæ, de quibus fortaſſe inaudierat aliquid, celebrarent (cùm tamen exules illi, ne dum in templum, ſed neque in arcem interdiu pedem inferre audebant.) Quamobrem indignabundus ac fremens, unum è ſuis ad præfectum Vigiliarum ſine mora properare juſſit, milites ab eo ſibi ocyùs mitti flagitans, qui temerarios Papiſtas ab aris retrahant, templo exturbent, in carcerem conjiciant, & ſub cuſtodia teneant, donec manè Rex ipſe condignas pœnas ab illis exigat. Neque domi continere ſe potuit, præ nimia nocendi ijs, quos extremè odiſſet cupiditate, ſed convocatis è vicinis ædibus ſuis aſſeclis, cùm demum intellexiſſet, milites jam adeſſe, ſtareque ante fores templi juſſa expectantes, eò cum tota ſuorum coborte citatis paſſibus properavit. Sed jam in templo nulla vox audiri, nulla lux videri ampliùs potuit, ſummum ubique ſilentium; exceptó, quòd foris in D. Adalberti Sacello, ubi ſacrum ejusdem Martyris atque Pontificis corpus piè requieſcit, mirus quidam luminis ſplendor, radios quaquaverſùm emittendo ſtellæ inſtar, ſcintillare viſus fuerit, verùm & ille paulo poſt in auras abijt.

ad illos apprehendendos avidè feſtinat cum armatis,

Hoc tamen non attento, Scultetus in ſua opinione, quod Sacerdotes Catholici in templo occluſi eſſent, pertinaciſſimè perſeverans, ideóque ad comprehendos illos præſentem occaſionem prætermittere nolens, templum intrare ſtatuit, eò audentior, quòd numeroſâ catervâ militum & ſociorum eſſet ſtipatus. Jam admotis clavibus, porta quæ eſt Sacello D. Sigiſmundi proxima, reſerari cœpit: cùm derepente turbo exoritur ingens, ſtridulum quoddam ſonans, atque ita rapidus, ut ejus violentiâ porticus, in qua ſtabant, omnino ruitura videretur, faces etiam in puncto temporis extinctæ omnes, ex quo tantus terror pavidos, quotquot aderant, & inſolito turbinis fremebundi & omnia circumcirca commoventis concutientiſque impetu perterritos invaſit, ut nihil ampliùs tentandum ducerent, ſed unicâ ſpe evadendi periculum præſens in curſu

dúmq; portam Templi aperire vult,

& po-

& pedibus poſitâ, quò quis tutius pro ſe exiſtimabat, huc illuc diffugerent. Scultetus obſtupefactus totus, ac propè exanimis, ægre à ſuis domum perductus fuit: ubi ſenſim ad ſe reverſus, & tamen adhuc in errore ſuo obſtinatè perſiſtens, multis probris in Canonicos debacchari cæpit, magicis artibus hæc omnia attribuens; idq; frequentiùs ingeminans, effecturum ſe, ut ſacrificuli iſti condignam præſtigiorum ſuorum pænam propediem ſentiant, & vel exturbati etiam domo illâ, quam adhuc retinerent in Hradczano, ſolum vertant, vel in carceribus benè macerati contabeſcant. Poſthæc cordatiores quosdam è ſuorum cætu nominavit, qui diligenter obſervarent, num aliquis templo eggreſſurus eſſet: neque enim aliud in depravatum ſuum animum inducere voluit, quàm quod Papiſtæ in templo ſint, & ibi ſecretò lateant.

horrore terribili percellitur, domúmq; à ſuis reducitur:

Manè demum, cùm jam dieſcere cæpiſſet, cum aſſeclis ſuis, & militum manipulo, quos denuò accerſierat, templum ingreſſus, ſummo ſtudio loca omnia perveſtigabat, num alicubi Papiſtarum quiſpiam lateret occultè: quosdam etiam ſuperiora templi ſcandere, ibiq; angulos omnes & penetralia, ſub tecto & quovis alio in loco, diligenti curâ, luſtrare juſſit. Cùm verò deprehenderetur ubique nemo, nihilq; ampliùs ſupereſſet luſtrandum, niſi duo conclavia, unum in Sacello D. Wenceslai, alterum ſupra Sacriſtiam (nullum tamen ea intrâſſe, peſſuli exteriores immoti, ſeræq; penſiles intactæ clarè monſtrabant,) pudore ſuffuſus, cæpit iterum verbis contumelioſis & maledictis in noſtros invehi, & ſicut antea, magiæ ac præſtigiorum, neſcio quorum, inſimulare.

nihilo tamen melior Canonicos in templo quæri jubet,

Inter hæc Capitanei Arcis Collega (vulgò Verwalter) venit, indicans fruſtra illos hic quæri, qui domi ſuæ in Hradczano quieti degunt, horum omnium penitus inſcij: tum ordine recenſuit, habere ſe per fidos homines certo certiùs exploratum, Præpoſitum, Decanum, & unum Canonicum manere aſſiduò in domo ſua Hradczanenſi, nec ullò unquam egredi, niſi pro faciendis ſacris ad vicinum D. Benedicti templum: con-

ſtare etiam alios duos commorari in Monaſterio Strahovienſi, indéque prodire in publicum nunquam: cæteros inferioris ordinis miniſtros in domo parochiali ad præmemoratum S. Benedictum diverſari, miniſterijs ſuis intentos, & à ſe ante horæ quadrantem in eodem templo viſos Sacris operam dantes. Unde magis confuſus ille, & idcirco odio atque irâ exardens, rabiem ſuam in aras & imagines Sanctorum exprompſit: Lictorius tum ſtatim magnam in templo ſtragem, niſi Capitaneus Arcis à Collega ſuo, de ijs quæ fierent, edoctus, opportunè advenisset; qui ſacrilegum hominem ſeverioribus correptum verbis ab hujuſmodi maleficijs ulteriùs inferendis abſtinere juſſit. Conſtituti poſtea ex mandato Palatini milites è cuſtodia Arcis, qui ad portas templi diu noctúq; excubarent, diligenter attendentes, ne ex Sacerdotibus Catholicis ullus templum intraret.

nullúmq; inveniens, & exinde non parū confuſus, iram in Catholicorum ſacra vertit, &

Cæterùm Sculterus importunis ſuis ſollicitationibus, & aliorum etiam intervenientium precibus, non deſierat moleſtus eſſe Palatino, donec ſibi fieret poteſtas, altaria, imagines, SS. Reliquias & alia, quæ ille impudentiſſimo ore Idolatriam Papiſtarum appellabat, penitus omnia de templo eliminandi. Diu quidem in ancipiti fuit Palatinus, Princeps alias non malus, ſi ſibi potiùs quàm alijs obtemperâſſet, num ipſi hæc flagitanti aſſentiri, & initio regiminis ſui, nondum benè fixo in Regno pede, tantam Sacrorum immutationem, & quidem primariо in templo admittere deberet? Cúmque id Proceribus Regni, quorum conſilijs utebatur propoſuiſſet, ab ijs quidnam ſentirent, ſingilatim exquirens, plerique (licet acatholici) certis adducti rationibus, ei, ne quicquam horum, quod eſſet piaculi inſtar, admittere vellet, ſuadebant; ſecùs facilè fore, ut apud omnes, non tantum qui Religionem ſub Una, ſed apud illos etiam, qui ſub Utraque profiteantur, malè audiat, odióque laboret publico. Debere eſſe, adjecit inter alia Wilhelmus ſenior de Lobkowicz tunc Regni Præfectus, documento ſuperioris ſæculi exempla, quibus manifeſtè oſtenſum fuerat, ſimilia attentata nunquam tranſijſſe inulta; ſed quotieſcunque licen-

à Palatino, diruendi altaria in templo, dejiciendiq; imagines omnes,

contrà ſvadentibus licet Regni Proceribus,

tia

tioſiores aliqui ſacro huic loco vim inferre præſumpſiſſent, intra breve tempus, omnes diverſis pænarum generibus, divinitus haud dubie irrogatis, partim in ſummas calamitates inci-diſſe, partim accelerato vitæ exitu miſerè perijſſe. Uxoris tamen natæ Anglæ, mulieris Calviniani dogmatis tenaciſſimæ, ideoque ſacris Catholicorum ſupra modum infenſæ, fratriſque Ludovici & paucorum quorundam, qui Sculteti partes apud Palatinum, omni ſtudio promovendas ſuſceperant, prævaluère preces: móxq; dies craſtinus, qui erat 21. Decembris DivoThomæ Apoſtolo in Eccleſia dicatus, inchoandæ reformationi vel deformationi potius, decernitur.

poteſtatem impetrat.

Accidit verò, ut nocte diem illam antecedente, quartam circiter vigiliam, iterum mirus ſplendor in templo refulſerit, feneſtris ſicut nuper quaquaverſum ita relucentibus, ut ſacrum quendam horrorem videntibus incuterent: auditi etiam ſupplicantium, & quidem Litanias Omnium SS. pſallentium cantus, eum in modum, quo à Prælatis & Canonicis alijsq; ejuſdem Eccleſiæ miniſtris, ſingulis Ferijs II. IV. VI. Quadrageſimalibus proceſſionaliter, ùt communiter dicimus, more uſúque antiquitùs introducto, peragi ſolet, ſtupentibus ſuper his militibus, qui foris excubabant, & præ nimio timore nec loco pedem movere auſis. Litanijs finitis, incæpit cantus ad ſolenne Miſſæ Sacrificium adhiberi ſolitus; auditum Chorali tono, *Kyrie, Gloria in Excelſis; Epiſtola; Evangelium;* & reliquum uſq; ad *Ite Miſſa eſt*; non aliter, quam ſi Miſſæ Sacrificium perageretur. Nemo tamen ex illis, qui hæc audiviſſe ſe, poſtea reducta Eccleſiæ pace, ad examen vocati, jure jurando confirmabant, obſervare & referre potuit, qualenam Evangelium fuerit, ut ex eo Miſſæ Officium cognoſci licuiſſet, utpote linguæ Latinæ ignari: id ſolùm duo unanimiter aſſeverabant, inter alias pſallentium voces, Petri Vicarij non ita pridem defuncti Epiſtolam canentis vocem, ſibi dum in vivis eſſet benè notam ſeſe agnoviſſe; cùmque dixiſſet unus ad alterum: Ecce, ecce! vox Sacerdotis Petri nuper defuncti; longe major horrore

Novum in Tēplo Metrop. prodigium:

auditi noctu pſallentium cantus:

rore ſubitò fuiſſe correptos ita, ut capilli capitis aſſurgerent, totùmque corpus quaſi gelu perfundi ſentiretur, neque ampliùs quicquam loqui, ſed ne hiſcere quidem ullum auſum eſſe. Ultimò auditas iterum quaſi ſupplicantium, & per templi ambitus circumcirca ambulantium voces, idq; unicum alternatim ingeminantium: *Oremus, Oremus*, &c. (Ita Cuſtodes illi referebant, qui aliud intelligere non poterant) ſed citiùs credi par eſt, fuiſſe voces: *Migremus hinc, Migremus*: prout etiam unus ex ipſis accuratior cæteris, affirmabat juratus, non fuiſſe omnino voces illas poſtremò auditas & identidem repetitas, *Oremus, Oremus*; ſed alias quasdam hisce conſimiles: cùmque à Doctore Macario Canonico quæreretur, fuerintne: *migremus, migremus*, quaſi meliùs recollectâ mente, reverà tale aliquid fuiſſe, conſtanter demum adſeruit. Nec quicquam poſthæc auditum fuit, niſi quòd ad extremum adhuc porta templi Sacello D. Wenceslai proxima derepente tantum fragorem ediderit, ac ſi tota diſſiliret, & in partes rumperetur; quod denuò magnum cuſtodibus incuſſit metum: lumen etiam in templo paulatim evanuit. Sacellum tamen D. Adalberti iterum novâ, & quod mirere magìs *tremulâ* luce fulgere, ſicut etiam S. Wenceslai, à pluribus viſa ſunt: in ſignum, uti eventus poſtea oſtendit, hæc duo ſacra loca, tametſi cætera omnia forent ab hæreticis violanda, de ſingulari Divini Numinis ope & tutela, permanſura intacta.

Viſa quoque prodigioſa lumina in & ſupra templum: Nec latuère hæc mirabilia excubitores ſupra in turri vigilantes, qui nullas quidem voces audierant, ſed ingenti lumine templum illuſtratum admirabundi ſpectabant, rei finem attonitis animis præſtolantes. Hi itaque cùm in templo lux illa diſparuiſſet, ſubitò iterum nubem ſplendidam ſupra templum ſeſe attollentem conſpexerunt, & ex illa radium promicantem, (item ſupra Strahovv, &) ac ſenſim ductum Occidentem versùs, qui quò ulterius protrahebatur, eò magis nubes decreſcebat, donec tandem ſupra Strahovienſe Templum ſubſtitit; jámque tunc nubes illa tota in radium, vel arcum potiùs Iridi prope adſimilem, ſed ſubtiliorem

trans-

tranſierat, extremitate unâ Templo Metropolitano, alterâ Strahovienſi incumbentem. Nec multò poſt, ab ea parte, quâ templum Metropol. attingebat, cæpit minui amittique, donec paulatim totus evanuit.

Præter vigiles, alij Pragæ complures, viri etiam honorati, ac omni exceptione majores, hujus prodigij à ſe viſi fuêre locupletiſſimi teſtes. Duo quoque agricolæ, de pago Capitulari Worzech (ſed tum ab hæretico quodam, cujus nomini parco, per ſummam vim occupato) vehentes diverſa frumenta Pragam, eâdem nocte ante diluculum, dum Albo monti appropinguarent, viderunt eminùs totum montem quàm plurimis luminibus, mirum quoddam ſcintillantibus oppleri, eáque magis ac magis ininfinitum penè multiplicari, per eam potiſſimùm montis planitiem, in qua poſtea memorabili prælio Palatini exercitus proſtratus fuit. Viſo igitur hoc, & copias militares ibi caſtra figere arbitrati, ultra progredi non fuêre auſi, ſed ad tenue quoddam dumetum tantiſper ſubſtitêre, quid tandem rei eſſet, ſollicitè expectantes. Mediâ fortaſſe horâ duravit hæc viſio, poſtea cùm jam dieſcere cæpiſſet, evanuit. Idem viderunt alij etiam, qui ligna Pragam vexerunt; & ex vicino pago Stodulky, plurimi. Præſagium id erat futuræ paulo poſt cladis, quâ perduellio impiorum, juſto Deo vindice, intra mediæ horæ ſpatium, eo in loco prælio graviſſimo profligata, dignas ſacrilegiorum violatæq; fidei pænas dedit. An porrò Scultetus aliquid horum, quæ in templo acta eſſent, viderit vel audierit, non conſtat: iſtud certum, mox die ſequenti à meridie, cum quibusdam perditiſſimis, & ad audendum omne facinus promptiſſimis, quorum Ernfridus de Berbersdorff, unus ex ejectoribus Fabricij Secretarij de Regij Conſiſtorij feneſtra, hæreticus virulentiſſimus, Palatino ſummè acceptus, ab eóque conſtitutus Minor arcis Prag. Burggravius, facilè erat primus, iconomachiæ negotium fuiſſe aggreſſum.

Ignes in Albo Monte.

Præſagium futurorum, quæ deinde accidêre.

Supervacaneum duco repetere hîc illa, quæ ſuperiùs Radio III. à coævo Scriptore fideliter notata recenſui; id ſolùm addo:

Calviniſtarum in SS. Reliquias, altaria & imagines impietas:

addo: Divinam Majeſtatem pro ſua ineffabili bonitate & patientia, impune tantiſper tuliſſe, quidquid ſacrilegi homines per biduum patrâſſent, ſtatuis Deiparæ Virginis, alijsq; Divorum imaginibus disjectis & confractis, ipſâ etiam Chriſti DEI è Cruce pendentis effigie funibus è ſublimi detractâ & confractâ, alijs verò, etiam marmori inciſis, ſingulari malitiâ vel decuſſis, vel obtritis; violatis item altaribus; inter quæ miræ pulchritudinis erat, magníque pretij, ac imprimis SS. Reliquiarum dives, in Sacello Pernſteiniano DD. Cyrillo & Metudio, Bohemorum & Moravorum aliarúmque glorioſiſſimi Slavonici nominis gentium Apoſtolis dicatum; quod anno 1571. Wratislaus de Pernſtein, vetuſtiſſimæ juxta ac Nobiliſſimæ per Moraviam, Bohemiam, & Poloniam familiæ heros, ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius, & Aurei Velleris Eques, Dominus in Litomiſsl, Landskron, Landsperg, Plumlow & Towaczow, pro ſua eximia, quâ cæteros anteibat erga ſacra, liberalitate, regiâ planè magnificentiâ erexerat; non tantùm omni ſuo ornatu ſpoliatum profanatúmque, ſed dirutum inſuper; cætera quoque pari contemptu DEI, & Sanctorum ejus corrupta & everſa: Sacri Divorum cineres hâc illâc temerè ſparſi, fruſta verò notabilioris quantitatis impijs manibus confracta, pedibus conculcata, nonnulla in unum conjecta, & foras ad comburendum Sculteti juſſu exportata: quicquid præterea ad Divina Officia pretioſæ veſtis reperiri potuit, ſublatum: gementibus ſuper his non modò Catholicis, verùm etiam Utraquiſtis ſeu Calixtinis, qui uſum Calicis in Sacra Synaxi tenebant, indignantibus, atque impietatem hanc Calviniſtarum in privatis & publicis circulis ſummè deteſtantibus, & (quod in acatholicis haud parum mirêre,) hoc identidem ac conſtanter aſſeverantibus, eſſe impoſſibile, ut hæc ac tanta facinora Divina Majeſtas ſinat inulta: quod paulo poſt eventus comprobavit.

quam ipſimet etiam Utraquiſtæ graviſſimè deteſtantur,

Venerat quoque in templum, dum hæc ſecundâ die, quæ erat Dominica ultimâ Adventus, agerentur, ſupranominatus Wilhelmus de Lobkowicz religione quidem Utraquiſta; ſed

ſolo

ſolo duntaxat Calicis uſu à Romanæ obſervantiæ diſciplina diſcrepans, cæterà bonus, & Catholicorum ritibus multùm addictus; qui hanc abominationem videns, ingemuiſſe fertur, & ſacrilegos iſtos adhuc in dejiciendis imaginibus, & diruendis altaribus ſtrenuè deſudantes, Antichriſti ſatellites appellâſſe: ſed Scultetus, viſo illo, domum è veſtigio ſe ſubduxit, metuens ab eo reprehendi, quem oris rotundi eſſe non ignorabat. Cæterùm ille templum perambulans, & ubique triſtem ac intuitu ipſo horridam imaginum atque altariumſtragem, Chriſti etiam in Cruce pendentis effigies paſſim detractas, confractas, & conculcatas penitùs conſiderans, exinde ſtatim rebus præſentibus malè ominari cæpit: præſertim, cùm monſtrante famulo, etiam in Thomæ Apoſt. Sacello, Chriſti Crucifixi imaginem, ſupra tumulum Joannis à Sternberg rubro inciſam marmori ignominioſè decuſſam (veſtigium hujus facinoris hodiéque manet) conſpexiſſet. Nec ampliùs contineri potuit, quin proſciſſo graviſſimis probris & execrationibus Sculteti, & aliorum hujus impietatis authorum nomine, dira omnia ijs imprecaretur; dogma illorum, quod tanta facinora admitteret, peſtiferum ſæpè ſæpiùs, audientibus omnibus, appellans, ejúsque aſſertores omnes, veluti impios divinæ gloriæ obtrectatores, æternis infernorum pænis devovens. Et quid tandem (ajebat ad circumſtantes) aliud eſt, tanto furore profligare imagines, etiam Sacras Chriſti crucifixi effigies, niſi velle ab hominum memoria penitus tollere omnem memoriam ineffabilis illius erga nos peccatores Divini Amoris, quo redempti ſumus? Putánsque idem eſſe factum cum imagine Chriſti ſupra Georgij de Lobkowicz cognati ſui ſepulchrum, ad ipſum parietem Sacelli D. Wenceslai albo marmori inciſa, citatis paſſibus eò properavit; ſed intactam reperit: quam ego quotieſcunque tranſeo, piè veneror: Ferunt enim ab uno ex iconoclaſtis, poſt aliquot dies, etiam ſacrilegâ manu tentatam, tanto refulſiſſe ſplendore, ut ille horrore ingenti correptus, & quaſi exanimis luminiſq; expers, in terram corruerit, neque templo egredi potuerit, niſi alienis

præſertim Wilhelmus Popel Baro de Lobkowicz:

qui impietatis hujúsmodi authores diris omnibus devovet,

manibus eductus. Ut ut ſit, Georgium, cujus effigies ibidem marmori inciſa ante eandem Crucifixi imaginem flectentis viſitur, magna cum opinione Sanctitatis obiiſſe conſtat, vel ex eo, quòd ſub ejus mortem ad quandam Eccleſiam Dominij ipſiusDuchcovienſis,campanæ divinitùs impulſæ,nullius hominis operâ ſonuerint. (*a*)

Palatinum quoque adit, & cum illo ea de re audacter expostulat.

Adijt poſtea Guilhelmus Palatinum, eique indignitatem eorum, quæ in templo petulanter ac nefariè patrarentur, prolixiore ſermone expoſuit, tantâ animi fortitudine & dicendi libertate, ut die ſequenti Palatinus Turriano convento,Lobkovitium heſternâ die ſibi valdè importunum & gravem fuiſſe, magnámque cum illo,verbis audaciſſimis & arrogantiæ plenis, hæc & illa ſibi objectante & exprobrante, patientiam habuiſſe, queſtus fuerit. Interim ad eâ, quæ Guilhelmus ipſi propoſuerat, perturbato nonnihil animo, ita reſpondit, ut omnem culpam à ſe amoveret, ac Sculteto & quibusdam alijs, qui reformanda in eodem templo ſacra,præpoſtero nimis & indiſcreto zelo ſuſcepiſſent, eam haud diſſimulanter tribuere videretur. Nec morâ eâdem die, licèt jam ad veſperam inclinatâ, omnes imagines, tabulas & alia hujusmodi, in Sacellum Divi Adalberti comportari juſſit & occludi.

Miſerabilis Templi Metrop. facies.

Hunc in modum intra bidui ſpatium, altaria penè omnia diruta, imagines ubique dejectæ, picturæ abolitæ, ornamenta alijq́; ſacrorum apparatus direpti, templum ſacrilegijs temeratum, nihil denique intactum, nihil integrum: Sacello Divi Wenceslai quod obſeratum erat, & SS. Patriæ Tutelarium Viti, Sigismundi & Joannis Nepomuceni monumentis exceptis; Mauſolæo item Regio ex alabaſtro ſingulari arte conſtructo, ſed cui ultimò etiam vis intentata fuit, propéque erat, ut pari impietate everteretur. Et tamen Divina Bonitas, ùt dixi, omnia hæc primâ & ſecundâ die, impune tulit: *lanèo* plerumque *pede*, ut ſolebant dicere Veteres, ſeu quod idem eſt, *lento gradu ad ultionem ſcelerum, & vindictam ſui, divina procedit ira.* (*b*)

Tan-

(a) *Tanner in Veſtig. Pia Boh. cap. 5.* (b) *Valer. Max. lib. 1. cap. 1.*

Tandem die tertiâ, cùm nihil remitterent à furore ſuo Calviniſtæ, ſed ut penitus omnem Papiſtarum idololatriam, ùt ajebant, tollerent, omniáque Religionis Catholicæ veſtigia etiam *cum pulviſculo*, ut Plautus loquitur, *auferrent* de templo, ad Sepulchrum quoque Divi Viti, & alia SS. Patronorum Regni exſcindenda, ac ſolo æquanda animos adjicerent, exurrexit ad vindictam juſtiſſimus ſcelerum Ultor DEUS. Jam à duobus operarijs pro hoc facinore à Sculteto conductis, tumulus S. Viti ligonibus feriri, iteratisq; ictibus quaſſari & ſuffodi cæpit, affine Sculteti præſente, & ut fortiter rem agerent non tantùm cohortante, ſed per ludibrium tripudiante etiam, idque elatâ voce ſæpiùs ingeminante: *etiam cumulus iſte lapidum, etiam idololatria iſta Papiſtica debet foras*; dum ecce! ſubitò velut fulmine ictus corruit, horridum aliquid ejulans ac dentibus ſtridens: quod dum fit, eodem momento etiam duobus illis, qui Divi Viti tumulum diruebant, obriguêre manus. Erat tunc occluſum templum, & hora à meridie non dum prima (ſic námque Sculteto viſum fuit, negotium hoc ſecretò aggredi) cùm duo alij, hujus proſtrati ſocij, & tertius quidam Calvinianus præco, in poſterore parte templi otioſè deambulantes, audito clamore ſtatim accurrêre; viſóque iſto humi proſtrato, ac veluti ſpiritus ei præcluderetur, faucibus obſtrictis, miſerabiliter ejulante, illis verò artubus trementibus, & vix ampliùs ſibi præſentibus, non parum exhorreſcere metúque perfundi cæpêre. Nec mora, juſſus properare unus, qui hæc Domino Magiſtro, (ita à ſuis appellabatur Scultetus) tum fortaſſe adhuc unà cum ſuis collegis prandenti, tacitè tamen, ſine multo clamore, nunciaret. Et hic quidem remotis menſis, ocyùs accurrit unà cum convivis, triſtémque affinis ſui ſortem in terra jacentis, & huc illuc ſeſe volutantis, ac horribiliter rugientis videns, multùm quoque expavit, & quidnam conſilij in hoc præcipiti caſu caperet, tacitus aliquamdiu ſtetit. Levato poſtea illo, animadverterunt utramq; tibiam immediatè ſub genibus fractam non ſecùs ac ſi validiſſimo fuſtis ictu fuiſſet percuſſus; inſuper ocu-

Violatores ſepulchri S. Viti

è veſtigio pœna ſequitur;

horribili caſu.

oculis captum, ac penitùs luminis expertem, deprehenderunt; qui non multo poſt in proximam, quæ modò eſt Præpoſiti Metropolitani domum, per poſticum, ſummo cum ſilentio (hoc enim vel maximè Sculcetus attendebat, ne caſus præſens diſpergeretur in vulgus) illatus, animam exhalavit. Duo illi, quòd fortaſſe minùs eſſent rei hujus Sacrilegij, utpote prout ipſimet deinde fatebantur, idq; jurejurando confirmabant, ab infelici illo homine Sculteti affine, ad commitendum tantum facinus invitè inducti; ex quibus unus erat aquæ ductoris arcenſis ſocius, quem, dum in minoribus eſſemus, olim vidimus; priſtino manuum ſuarum uſui paucos poſt dies ſunt reſtituti. Atque ab his demum res fuit detecta & divulgata, quam aliàs Calviniſtæ, ne apud plebem & alios malè audire cogerentur, ſuppreſſam maluiſſent.

Vix Sacrilegus iſte fuerat exportatus, ecce tibi Epheborum Palatini præfectus, aliud in templo aggreſſurus facinus (ſed infelicitate ſuâ) curſorem ad Sculcetum mittit, intromitti in templum flagitans; móxque ei aperta eſt meridionalis, quâ palatium regium aſcenditur, & quam ille voluit, porta. Erat hic natione Anglus; homo ab infantia hæreſibus innutritùs, & ut Calviniani dogmatis tenaciſſimus, ita Catholicorum Sacris infenſiſſimus; qui pridie deambulans in templo cum Berberſtorffio, cùm ad B. Joannis Nepomuceni ſepulchrum duplicibus ferreis cratibus, & primis quidem altioribus affabréque elaboratis circumdatum veniſſet, & ſciſcitatus quiſnam iſto in loco requieſceret, ab eodem Berberſtorffio intellexiſſet, Papiſtam quendam templi hujus Canonicum iſthic ſepultum eſſe, & haberi locum à Catholicis pro Sacroſancto, crediq; ab ijs firmiter, ſi quis tumulum hunc calcare præſumat, eum ipsâ die infamiam aliquam incurrere, neque pœnam vitare poſſe; quam maximè indignari, ac ore blaſphemò, multis probris & convitijs Sanctum Martyrem proſcindere cæpit, Catholicorum credulitatem deridens, atque id ſæpiùs & cum ſtomacho repetens: debétne Papiſta iſte tantum hic occupare locum, & quaſi Rex

aut

aut Princeps eſſet, tam operosè ſeptum habere ſepulchrum? Dicebat quoq; ſe mirari plurimùm, quòd illi, quibus expurgandi ab idololatria Papiſtica templi negotium Regis juſſu fuerat commiſſum, ejectis & toto templo eliminatis alijs Catholicorum ſuperſtitionibus & commentis, hoc tam diu intactum relinquant; & tanquam ſibi hoc inſigne facinus ſuperſtes deberetur, illud quamprimùm & conſultò aggredi conſtituit. Die itaque ſequenti, cùm in prandio lautiùs, quàm aliàs, epulatus vino usque ad temulentiam penè ſeſe ingurgitâſſet, unà cum Berberſtorffio & alijs familiarioribus, quò majores forſitan ad patrandum tantum facinus indueret ſpiritus, in templum, uti diximus, venit ſatellitio perditiſſimorum quorumque ſtipatus; rectáque ad Sepulchrum B. Joannis contendens, ubi illud acceſſiſſet, cancellos primò pedibus impetijt, deinde ad circumſtantes converſus, *debemus*, inquit, *priùs ſepes iſtos disjicere, ſi volumus hîc ſaltare.* Inter alios, quos ad hoc facinus conduxerat, erant duo fabri ſerarij, ignari qua de cauſa vocarentur, juberentúrque adeſſe cum malleis: juſſi itáque ut decuterent crates, unus ex illis, Huſſita licèt, religioni ſibi duxit tale quidquam tentare; *famâ*, ajens, *publicâ ferri, tumulum hunc eſſe mirabilem*, ideóque nolle ſe id experiri gravi aliquo, quod è veſtigio ſequatur, malo ſuo; ſed velle potiùs redire domum ad laborem, à quo importunè abſtractus eſſet; hócque dicto, è turba cæterorum illicò ſeſe proripuit, & cum indignatione abſceſſit. Alter verò Saxo natione, & religione Lutheranus, ad audendum quidquid juberetur promptior, ſine ulla tergiverſatione dicto paruit; & ab altero quodam qui cum fuſtè adſtabat adjutus, unam cancellorum partem iteratis mallei ictibus, ac tanto faciliùs, quòd jam antea nonnihil concuſſa (haud dubiè ſub præterita imaginum atque altarium ſtrage) exiſteret, decuſſit: quo facto, Anglus præſentis nequitiæ caput, non expectans, ut reliquum etiam deturbaretur, fieretq; hoc modo tumulus undique pervius, ſed quaſi jam de concepto facinore triumphans, riſúque geſtiens, & in Catholicos diverſa probra jactans, tran-

Idem accidit violatoribus ſepulchri B. Joan. Nepomuc.

tranſcenſo ab ea parte altero, ſed rudiori ac demiſſiori ſepimento, tumulum Beati audaciſſimè inſilijt. At vix terram paſſu attigit, repente corruit, & ita quidem, ut de tumulo quem calcare præſumpſerat, foras ſummâ vi ejectus videretur. Sic igitur divinitùs, ut credi par eſt, proſtratus, & toto corpore, ipſo etiam blaſphemo ore humi alliſus, terribili ejulatu clamabat, ita ut perhorridum de ſe ſpectaculum omnibus, qui aderant, exhiberet; aliud tamen nihil ab ipſo percipi potuit, niſi quòd ſibi arderent pedes: paulo poſt verò ſurgere volens, & iterum corruens, elevatâ ac intelligibili voce: *jam*, inquit, *totus ardeo, jam totus comburor*. Sed neque Saxoni cratum decuſſori patratum facinus impune ſtetit; qui eodem puncto temporis factus penè exanimis, toto corpore tremuit, ac veluti gelu obriguit, nec ampliùs conſiſtere valens, gravi quoque caſu pronus in terram concidit. Quo viſo cæteri, maximo horrore perfuſi, & attonitis ſimiles, veritiq; ne ſimili corriperentur plagâ, celerrimè diffugêre omnes; diúque nullus, infelices iſtos homines tam prodigiosè ad tumulum Beati proſtratos, accedere auſus fuit. Re tandem ubique per arcem divulgatâ, audatiores aliqui, è Satellitio Palatini accurrerunt, & Anglum feſtinè levatum extulerunt; qui eâdem die ſub veſperam ſine intermiſſione ejulans, & interdum etiam blaſphemans, ſéq; à teterrimis umbris neſcio quo trahi & abripi, horrendâ voce clamans, intorto ore, & oculis flammarum inſtar lucentibus, expiravit. Alter modicùm ſibi redditus, culpámque agnoſcens ſuam, & magnis vocibus Dei miſericordiam inclamans, priſtinæ valetudini ſenſim reſtitui viſus eſt, ita ut pedibus iterum valens, licèt tremebundis adhuc manibus, citra difficultatem educi potuerit. An deinde Religioni Catholicæ hoc miraculo permotus acceſſerit, (ſiquidem opifices hujusmodi quaſi volatici, fortunam ubicunque invenerint, amant) mihi non conſtat: cautiorem tamen impoſterum fuiſſe, & de Sacris Catholicorum meliora ſenſiſſe, dubium non eſt.

terribili exemplo.

Hæc veraciter ſub oculis plurimorum hominum palam geſta,

geſta, & ab Arſenio Decano fideliter annotata, manifeſtè oſtendunt; quo in pretio ſit Beatus ille Martyr apud ſuperos; & eodem documento, in qua dignatione, quóve reſpectu ſacer iſte locus, Eccleſia hæc Sancta, apud DEUM. Innuunt aliquid de his, eſtô paucis, Scriptores quoque alij, non tantùm domeſtici, ſed etiam externi. Unum atque alterum (ut alienâ quoque fide fidem meam ſtabiliam) audire placeat; ac imprimis Carafam Nuncium Apoſtolicum, qui in ſuis Commentarijs de Germania reſtaurata, Parte 1. inter alia memoratu digniſſima, etiam iſtud refert, pag. 104.

Qualis fuerit Status Religionis Catholicæ Pragæ & Regni Bohemiæ, nondum partâ victoriâ, ſub dominatu Calviniſtico & Lutherano, quilibet poterit cogitare. Nam Eccleſiaſtici bonore, & opibus fuerant exuti, bona Eccleſiaſtica adempta, templa, Monaſteria, Altaria profanata, Parochi Catholici ejecti, intruſi hæretici, Catholici Pragæ exiſtentes ad abjurandam fidem Orthodoxam, damnandum Sacrum Concilium Tridentinum, omnia decreta Pontificum ſpernenda, minis, fallacijs, præſtigijs fuerant adacti; Eccleſia Metropolitana, Mater Eccleſiarum Regni Bohemiæ, die S. Andreæ, anni 1619. omni cultu ſacrarum imaginum ſpoliata, & hæreticorum turpitudine fuerat conſpurcata; in ea noſtri Vindicis è Cruce pendentis imago religioſiſſima in partes diſſecta, Sanctorum figuræ foras ejectæ, confracta & igne combuſta, Sanctorum Reliquiæ, Altaribus everſis, pedibus conculcata; ſurſum deorſúmq; omnia Sacra diſtracta fuerunt. Non reticebo tamen (& hoc à pluribus fide dignis oretenus habui) quod Deus in ipſamet tantorum Sacrilegiorum impia perpetratione, ad confuſionem hæreticorum, & confirmationem Catholicorum, clariſſima ſua vindictæ ſigna monſtrârit: nam quendam hæreticum in contemptum Catholicorum in Cathedra Eccleſiæ Metropolitanæ ſaltantem in terram dejiciens, cruráq; ei perfringens, lucis uſurâ privavit. Alterum etiam ejuſdem farinæ hominem, ſupra ſepulchrum Sancti Joannis Martyris Canonici Pragenſis, in contemptum Divorum ſaltare incipientem, ſtatim tam vehementi pedum dolore punivit, ut inde extractus infra horam miſer-

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Nnnn

ſerrimè occubuerit. Sed ut mirabiliora propalentur, quæ Deo ultore ſenſerunt hæretici, ad inſtitutam narrationem revertamur, &c.

Idem habet Joannes Adlzreitter de Tetenweis Secretioris conſilij quondam apud Maximilianum Bavariæ Ducem ac Electorem Cancellarius, vir Conſilij magni, & in providendis perficiendîsque rebus ingenij maximè præſtantis. *Ædes Sacra S. Viti, omnium, quæ in Bohemia ſunt, princeps, ipſo S. Andreæ feſto, an. 1619. fuerat Calviniſtarum cæremonijs & conventiculis attributa, ſublatis Sanctorum imaginibus, ipſáq; Chriſti è Cruce pendentis effigie in fruſta comminutâ. Aris everſis, Divorum Reliquiæ conculcatæ. Sed & ad cæterorum exemplum DEUS in aliquos Iconoclaſtas animadvertit. Eorum unus per ludibrium in templo principe tripudians, velut fulmine tactus, tanto impetu corruit, ut fractâ utraq; tibiâ ſubitò animam exhalârit. Alius, qui contemptim atq; ignominiosè Joannis Martyris olim Pragenſis Canonici ſepulchro inſultabat, illicò corruens, & manibus alienis è templo protractus, poſt horæ unius inducias, fuit extinctus horrendis pedum ex ultrice caloris intemperie correptorum doloribus. Hæc de miſerando religionis in Bohemiâ Statu.* (c)

ſequitur ſuperbus ultor a tergo Deus.

Fusiùs id memorat Bohuslaus Balbinus in Vita B. Joannis Nepomuceni hiſce: (d) *Venio nunc ad exemplum, quo triſtius ad B. Joannis Tumulum, nullum accidiſſe puto: at neſcio ſanè, quid illud eſſe oporteat, quòd tanto ſemper odio in B. Joannis memoriam & Sepulchrum hæretici ferantur: in illo quod modò dixeram hæreticorum regno, poſt Ann. 1619. cùm Calviniani Eccleſiæ Metrop. Pragenſis partem poſteriorem occupâſſent, ſuáq; profana & umbratili cœnâ contaminaſſent, habebant præ oculis SS. Patronorum Viti, Sigismundi, & aliorum Divorum corpora, & ferebant placidè; unius B. Joannis Nepomuceni Tumulum humilem videre non poterant, ſed ille locum egregiè tutatus eſt. Neque modò crates circum Tumulum tollere; ſed ipſum S. Martyris Corpus (facinus etiam in quocunq; humano corpore indignum,) exhuma-*

Sepulchrum B. Joan. Nepomuc. pluribus exemplis

(c) *Annalium part. 3. lib. 5. §. 71.* (d) *Balbin. in Vita B. Joan. cap. 7.*

humare, & in communem locum abijcere conſtituunt, eâ demum ratione Idololatriam (ut dicebant) ſublaturi. Mittuntur ad certam diem valentiſſimi ſatellites, quibus id datum erat negotij: Vix Sacrilegium tentarant, & crates ferreas convellere cæperant, cùm ecce duo ſubitò in terram corruunt; alter ſemianimis ægrè vitam, nec niſi dum culpam agnoviſſet ſuam recepit, alter qui erat epheborum Friderici præceptor, natione Anglus, exanimis penè, & vix ſpirans è Templo ſociorum manibus elatus paulo poſt miſerabiliter interijt, cæteri omnes periculo & damno ſuorum cautiores, opus imperfectum reliquêre; accidit id Feria II. poſt Dominicam IV. Adventus, die 23. Decembris. Res eſt Tragica, ſed eorum qui adfuêre teſtificationibus firmata, quæ ante B. Joannis Nepomuceni ſepulchrum paucis poſt rem geſtam annis, teſſelato opere, pereleganter in ligno expreſſa cum admiratione peregrinorum hodiéq; ſpectatur. Recenſet præter alios, hoc triſte miraculum Author Germanici libri Auguſtæ Anno 1630. Typis editi, cui Veridici, *titulum fecit, & primum Angli illius Calviniani ſepulchro inſultantis ſacrilegas voces, tum Cæleſtem ultionem ſacrilego repente humi alliſo, ac demum eâdem nocte, inter horrificas vociferationes & ejulatus infeliciſſimam mortem multis verbis deſcribit, res fuit eo tempore certa, quippe in oculis omnium, & luce geſta.*

Eodem Anno, tam malè apud ſepulchrum B. Joannis accepti, (quamdiu Pragenſi Eccleſiâ ſunt uſi) Tumulum ipſum totum, præſtigias neſcio quas in eo latère cauſſati, aſſeribus & tabulis quibusdam clauſêre, ne ullo modo poſſet adiri; obturbare illos, dum ad cænam ſedent in Templo, B. Joannes videbatur, & velut mortualis umbra, odioſus, & non vocatus intervenire convivijs. Porrò Eccleſiæ Metropolitanæ profanationem, & ſtantem in loco Sancto abominationem ex Sacro ſuo Tumulo B Joannes ſignificavit; ſiquidem imminente illâ ab hæreticis calamitate, ſæpiùs nocte gemitus & lacrymoſæ quædam voces ab imo Templi audiebantur, Cuſtodes gemitus illos ſtudiosè ſecuti animadvertêrunt non ſemel ex Tumulo B. Joannis exire: nimirum dolebat (quantum Beati dolere poſſunt) dilectam Pragenſem Eccleſiam tot ſacrilegijs profanandam, quæ ex

quo à S. Wenceslao erat fundata (ne quidem Huſſi, aut poſtea Rokyczanæ temporibus) hæreticorum ſacris inquinata fuiſſet. Sed plures Sacri illius Tumuli prærogativæ poſſunt adferri, nam alijs quoq; temporibus Eccleſiæ Metropolitanæ excubitores, ad indicandam fortaſſe B. Joannis Sanctitatem, amabili luce cingi & coruſcare Tumulum viderunt. Neq; id mirum: pro theſauro eſt Eccleſiæ Pragenſi B. Joannes; vetúsq; eſt, ubi theſauri lateant, ignes emergere.

oſtenditur eſſe glorioſum.

Item Joannes Tanner in Vita P. Alberti Chanowsky Soc: JESU, Coloniæ Agrippinæ impreſſa, (c) talibus: *Eſt in Regiæ Pragenſis templo Metropolitano olim ab ipſo Chriſto Domino favore ſingulari & tam admirando primùm conſecrato, humatus B. Joannes à Patria cognominatus Nepomucenus, ejusdem Eccleſiæ quondam Canonicus, & Joannæ Imperatrici, Wenceslai Cæſaris Regisq; Bohemiæ cognomento pigri Conjugi, à Confeſſionibus & Eleemoſynis: qui dum ea, quæ pro ſacro Tribunali apud ipſum Regina pœnitens ſub ſigillo Sacramentali depoſuerat, nollet ſacrilego Cæſari ullo modo manifeſtare, noctu eſt latenter è ponte Prag. in præterlabentem Moldavam glorioſus Martyr præcipitatus. Sed pretioſam apud ſe mortem ejus Deus latere noluit; nam & Moldava flumen (ut in manuſcripto ſuo codice oculatus teſtis Paulus Zidek S. Theologiæ ter quinq; Academiis Doctor, & in communi Fidei Catholicæ poſt Huſſi tempora per Bohemiam ruina, ipſe ad ſenectam ultimam, mille inter incommoda, medios inter hæreticos, atq; in ipſa Georgij Regis Schiſmatici Aula conſtantiſſimus palam ſemper & invictus S. Romanæ Eccleſiæ Filius, annotatum reliquit) flumen, inquam, Moldava curſum ſtetit, adeò, ut ſiccis veſtigijs totus ejus alveus poſſet perambulari: & Imperatrix ad feneſtram precibus intenta, ternis noctibus continuis lumen eò loci, quo merſus fuerat, ſuper ſtagnantes aquæ reliquias aſpexit: quæſitum proinde mandato ejus eſt, quid illic ſub aquis lateret, repertúmq; Venerabile illud Corpus, & in templo S. Viti ſepultum; miraculis etiam quibuſdam ad monumentum ejus conſecutis. Quare pòpuli in eum veneratio ita crevit, ut tametſi à S. Sede Apoſtolica (cujus ſolius eſt de vera viri hujus Sancti-*

Ejuſdem Divi Martyrium deſcribitur.

tate

(c) *Tanner in Vita P. Chanowsky cap. 1.*

nte ſine periculo erroris decernere) nulla acceſſerit authoritas, tantęq; ab hæreſi per duo ſæcula intercurrerint in Bohemia tenebræ, pro Sancto tamen & verò Martyre ſit ſemper habitus cultu publicò, & appenſis ad ejus ſepulchrum anathematis, adeò, ut ad illud etiam non ſecus, quam ad reliquorum in ea Eccleſia ſepultorum Sanctorum monumenta, lampas ignem ex pia Sereniſſimi Leopoldi Guilhelmi Auſtriæ Archiducis munificentia, foveat perpetuum; cujus pientiſſimi Principis etiam mandato, candelabrum æneum opere perquàm eleganti elaboratum, ibidem ſuper vetuſtiſſimi artificij, & ex ipſo Sacratiſſimo illo Salomonis templo Jeroſolymæo adhuc ſuperſtitem, olim è Mediolanenſibus ſpolijs huc allatam, atq; in Regum Bohemiæ Gazaphilacio hactenus conſervatam baſim itidem æneam erectum, inter reliquorum Sanctorum ſtatuas, etiam B. Joannem Nepomucenum ſupernè oſtentat. Quia tamen reperti ſunt nonnulli, qui cultum Sancti & Martyris, Venerabili huic viro denegarent, ejúſq; apud Deum merita deſpicerent, adeòq; locum ſepulturæ ejus per contemptum auderent calcare, fiebat, ut mox divina in eos ultio ſubſecuta oſtenderet, quo loco Martyr ille eſſet in Cælis. Deprehenſum námq;, & vulgò obſervatum eſt, eâ ipsâ adhuc die publicam aliquam homines illos pati ſolitos ignominiam, & graviſſimo aliquo coram plebe affici à Deo conſueviſſe pudore. Quæ res in cauſa fuit primùm quidem, ut quibus ignominia aut erubeſcentiæ periculum imminet, eum ſibi paſſim hodiéq; apud Deum implorent Patronum: deinde verò ut authoritate publicâ humus illa tota rudibus & raris quibusdam cratibus ferreis cingeretur, in ſignum populo, ne ſacrum locum incauti facilè calcarent: ſed quia adhuc petulantiæ patebat aditus, ſuperadditæ ſunt elegantiores ac denſiores ferreæ crates alteræ, quæ ita nunc locum altè ambiunt, ut videantur omnem injuriam à monumento illo ſatis prohibere. Non poterant tamen ſatis prohibere Calviniſticum furorem; qui cùm Anno 1619. Bohemiam miſerrimè invaſiſſet, auſus eſt & crates illas invadere, atq; ut priùs imagines, ſacráq; prope omnia, per ſummum ſcelus ex Metropolitana illa Eccleſia proturbaverat, etiam hoc Catholicæ pietatis monumentum tentare demoliri: perfeciſſetq; Turcicum

facinus, niſi Deus vindex adfuiſſet in tempore, qui ex ſceleſtiſſimis illis iconoclaſtis nonnullos, dum crates illas furioſi demoliuntur & lacerant, repentino in terram abjecit impetu ſemianimes, quos ſocij jam prope & ipſi exanimes ex templo pro cratibus extulerunt.

Jam ad noſtra.

Hujusmodi exemplis non parum terrefacti Calviniſtarum primores, tametſi hæc omnia, ſicuti antea, magicis Catholicorum artibus tribuerent, non fuerunt tamen deinceps quicquam tale in templo patrare auſi. Sed Sculteti Uxor mulier ſuapte naturâ inſolens ac temeraria, & tunc propter ſui cognati tam miſerandam mortem, ſupra modum gemens & dolens, ideóq; etiam irâ & odio plus quàm Vatiniano adverſùs Catholicos exardeſcens, cùm die ſequenti, qui erat Natalis Dominici prævius, imagines quasdam, vel earum potiùs fruſta, quæ nuper Sculteſus, poſt peractam in templo Sacrorum ſtragem, conjecta in corbes, domum deportari curaverat, ſcelerato auſu comburenda ſuſcepiſſet, è veſtigio quoque Ultricem Dei Omnipotentis manum ſenſit. Nam excitato in utroque foco ſuperiori & inferiori copioſo igne, & hoc velut majori ſibi curæ relicto, illo verò ancillæ commiſſo, mox ubi primum imaginis fruſtum in ignem injeciſſet, turbo ingens ſupernè per caminum deſiliens, momento temporis ignem totum disjecit, flammis huc illuc per culinam volitantibus: Sculteti famulus, qui tunc aderat ligna fortaſſe foco ſuppeditans, ut vitaret flammas furentes, humi ſeſe citò proſtravit; at illa tam inopinato & horribili rei caſu, quàm maximè exterrita, præſénsque exitium quantocyùs effugere volens, dum culinam feſtinanter egreſſa in ſuperiorem domûs contignationem per gradus evadere nititur, alio iterum ac multo vehementiori turbinis impetu per oſtium domûs, quod tunc apertum erat, acerrimè & ſtridenti cum murmure irruentis invaditur & proſternitur, ſemiviva vix relicta, mente inſuper capta. Et quod ſingulari admiratione eſt dignum, idem impetus eodem puncto temporis ſurſum usque penetrans, tremente domo totâ, non aliter, quàm ſi terræ motu,

Confractas & combuſtas imagines SS.

Deus ulciſcitur.

tu concuteretur, ſicut in inferiori foco, prout diximus, ignem per culinam quaquaversùm disjecerat, ita ex adverſo in ſuperiori, ignem per caminum ſurſum usque extulit, flammis magno cum fragore etiam ultra tecti culmina exilientibus. Hinc clamor ingens exoritur, ab ijs primùm, qui in area arcis ſtantes ocioſi flammam conſpexerunt: nec mora, ad hauriendas aquas & extinguendum incendium, priusquàm invaleſceret, & juvante Coro, qui tunc vehementiſſimè perflare cœperat, flammis per ſe furentibus tectum corriperet, totâ arce concurritur. Nunquam in majoribus anguſtijs Sculcetus fuit, quàm tunc, videns hìc uxorem pene exanimem, ibi graſſari ignem ardereq; tecta audiens, domum denique totam maximo tumultu, & inconditis clamoribus hominum ſurſum atque deorſum curſitantium, diráque omnia ſibi ſuisq; imprecantium, impleri. Et ignis quidem ſenſim remiſſiùs agens, ac tandem ſubſidens, ædibus tanquàm innocuis pepercit; ſed mulier non tantùm corporis mentisq; caſu, verùm paulo poſt etiam miſerabili morte impietatis ſuæ pœnas dedit: neque enim ampliùs ullâ medicorum arte priſtinæ valetudini ac menti reſtitui potuit; ſed ad extremum neſcio quibus in temperijs, in furorem quoque acta, ac penitus delirans, intra octiduum miſeram exhalavit animam: documentum iterum ſacrilegij magno audentis malo vindicati.

Die ſequenti, quo Chriſti Dei atque Hominis Nativitatem Eccleſia Catholica annuâ devotione recolit, novo iterum exemplo Divina Ultio injuriam Beato Joanni Martyri illatam inſigniter caſtigatam oſtendit. Cùm enim poſt peractam more Calviniſtico cœnam, Magiſtra, ût communiter ſic vocant, Aulæ Uxoris Palatini, fæmina effrons & Catholico nomini usque ad inſignem linguæ petulantiam infeſta, ſtans in templo, infra Regium Oratorium, (Palatino jam cum Uxore & aulæ ſuæ familiaribus in Regiam reverſo) à circumſtantibus curioſè perquiſijſſet, an non hic ille tumulus eſſet (Sepulchrum B. Martyris manu oſtendens) apud quem ante biduum caſus tam miſera- *neq; contemptum B. Joanni Nepom. ab impia muliere,*

ſerabilis cum epheborum præfecto accidit? cognitóque hunc ipſum eſſe, in multas execrationes & maledicta, quæ proximas columnas rumpere potuiſſent, impudentiſſimo ore prorupiſſet, id ſemel atque iterum repetens, (horret calamus ſcribere!) nihil meliùs eſſe, quàm ut magus iſte effodiatur & comburatur: ecce ſubitò ventus ingens atque ita vehemens fuit exortus, ut ab ijs qui aderant, ruiturum templum crederetur: hinc perterrefacti omnes, quâ datâ portâ properabant ex templo, ipſa ante alios mulier ſibi metuens: quæ tamen pœnam, quam juſto Deo vindice promeruerat, vitare non potuit. Jam portæ proxima fuit, egredi quantocyùs feſtinans, cùm idem ventus in turbinem verſus, in eam, veluti deſtinatum ſibi ſcopum, validiſſimo cum impetu irruit, deprehenſámque in limine templi, vi magnâ proſtravit, & quod ampliùs erat, & incredibili cum ipſius dedecore, elevatâ veſte non exteriori tantùm, ſed etiam interulâ, nudam à tergo palam ſpectandam exhibuit. Tametſi verò ancillæ pediſſequæ ſine mora accurrentes eam obtegere ſummo ſtudio, &, ut ajunt, manibus pedibúſque contenderint; fruſtraneus tamen omnis labor fuit, veſtibus ita firmiter capiti undiqueverſùm involuto adhærentibus, ut nullâ humanâ vi aut induſtriâ deponi potuerint. Sic igitur denudata, & ab ancillis non ſine magno labore de terra ſublata, domum ducta fuit pedetentim ad regium usque pallatium, ubi primò ceſſante turbine, veſtis demitti, locóque ſuo reſtitui potuit. Atque hoc iterum exemplo Deus, quàm graviter ferat injurias Sanctis ſuis illatas, manifeſtè oſtendit. Movit tandem res hæc Palatinum, ut totum illum ambitum, qui eſt circa Sanctuarium & Divi Viti tumulum, ne deinceps cuique promiſcuè pateret eò acceſſus, ab utraque parte, hinc à porta templi ſub Oratorio Regio, illinc à D. Annæ Sacello, mox die ſequenti, qui ProtoMartyri Stephano ſolemnis eſt, lignis & aſſeribus ſepiri claudique juſſerit.

Sed oblitus penè fuiſſem illius æquè memorabilis & obſervatione digni caſûs, qui cum Barone quodam Bohemo accidit

dit, & de quo ſæpiùs me audiviſſe memini, & qui etiam huc propriè facit. Balbinum de eo referentē audiamus. (*f*) *Alia eáq; longè gravior pœna ſequuta eſt Calvinianum hominem Wenceslaum Wilhelmum de Raupowa (erat hic rebellionis proximæ fœdo conſilio & fœdiore exitu motæ haud poſtremus incentor, ideoq; à Friderico Palatino Bohemiæ Cancellarius poſtea conſtitutus) Raupowa igitur cùm aliquando in Eccleſia Metropolitana Anno 1619. velut in profana domo otioſus cum pluribus inambularet, in B. Joannis Tumulum fortè incidit, recurrit homini vetus de eo ſepulchro traditio, quare multum Catholicorum ſtultitiam, ùt putabat, demirans & deridens, qui rebus tam vanis tenerentur, Tumulum B. Joannis (quem parte unâ dejectis cratibus pervium fecerant hæretici) calcat, & quaſi nihil egiſſet, cætera Idololatriæ Catholicæ monumenta perluſtrat, neq; multò poſt Templo egreditur, in ipſo limine anhelans famulus ad Dominum accurrit cum triſti nuncio, filium, quem habebat unicum modò eſſe defunctum; ita nimirum eodem articulo temporis DEUS contemptum ſervi ſui morte unici filij vindicavit.*

atque iterum à Raupowio Barone illacū

Atq; utinam hunc finem divina Vindicta habuiſſet! conſtat inter omnes poſt annos plurimos Raupowam actum in rabiem, dum homines ſtricto ferro inſectatur, miſerè Litomericij perijſſe. (*g*) *De hac Raupowæ ſcelerata temeritate, ne dicam magis, déq; pœna confeſtim ſecuta, eſt inter manus meas Teſtificatio legitimè confecta, annulo ſignata, chirographo firmata, quam Illuſtriſſimus Comes Zdenko Wratislaw de Mitrovicz Wilemowij, Zierotinij &c. Dominus, Slanenſis Diſtrictûs Præfectus, Anno 1648. confecit, qui & familiariter Raupowam noviſſe, & hæc ſibi omnia conſtare per conſcientiam animi ſui teſtatur.*

finit inultum.

Quieta poſt hæc fuêre in templo omnia, nec quidquam hujusmodi viſum vel auditum, neque etiam à Calviniſtis præconibus, ſacri illius loci incubatoribus, tentatum; præter jam antea introductos ipſorum cætus & ſermones, quos certis die-

(*g*) *Slawata in Apologia MS. ad An. 1618.*

bus in hebdomada ad ſuæ religionis plebem pro concione habebant, & conſvetas cœnas, quas ſubinde propinabant.

Rurſum in Templo noctu viſa lumina, auditæq; Pſallentium voces

Donec iterum nocte diem 21. Junij, qui erat infra Octavam Corporis Chriſti, atque etiam S. Viti Dominicus, ſequentis an. 1620. templum miro ſplendore fulgens apparuit, per horam & ampliùs, à media nempe decima, ad uſque tertium quadrantem undecimæ; auditi quoque pſallentium quaſi Sacerdotum in Choro cantus. Recurrente poſt hæc anno animadverſum fuit, eàdem die ſumptum eſſe Pragæ publicè de perduellibus triſte ſupplicium. Prodigij hujus meminit Carolus Carafa, aliquoties jam ſupra, nominatus Nuncius Apoſtolicus in ſua Germania Sacra reſtaurata, talibus: *Paulo poſt quamvis omnia plena eſſent periculis, de rebellibus & perduellibus, qui ſe Regni Bohemiæ Directores nominabant, propter eorum rebelliones, & nefarios conatus contra Eccleſiam Catholicam, & Cæſarem, ſumptum eſt ſupplicium; cum anno præcedenti 1620. (quod notatu dignum eſt) eadem die, inquam inciderat Octava feſti diei S. Viti, Metrop. Eccleſiæ Prag. Patroni, ab ipſiſmet hæreticis, imo ab ipſis ſatellitibus Friderici Palatini auditus fuiſſet noctu, in prædicta Metrop. Eccleſia, à media decima more germanico, uſq; ad tertium quadrantem horæ undecimæ, cantus multorum tanquam presbyterorum Catholicorum pſallentium in Choro; unde poſtea cognitum fuit Sanctum Vitum, & alios Sanctos, quorum Reliquiæ in eadem Eccleſia aſſervabantur, illo cantu clamâſſe vindictam, quæ anno revoluto eâdem die de prædictis Directoribus, juſto Dei judicio, ſumpta fuit.*

Campanæ inſueto tempore pulſatæ, negãt conſvetum ſuum ſonum.

Nec minùs iſtud prodigij loco habendum eſt, quod dum Sculteius (an motu proprio, vel mandato alieno, non conſtat) die Sancto Paraſceves, campanas omnes, Catholicis haud dubiè in ludibrium & contemptum, compulſari juſſiſſet, magna cum difficultate illæ loco moveri, nec niſi, poſt varia fruſtra tentata adhibitis viribus penè duplicatis, ad promendum ſonum impelli potuerint: & tum adhuc ita triſti inſonuere bombo, ut audientibus grave faſtidium cauſarent, & quibuſdam ſerenioris mentis, etiam horrorem incuterent: quapropter tan-

to ci-

to citiùs ab odioſo opere ceſſatum fuit. Fidem porrò fecerunt prodigio, tertiâ die eædem campanæ, pro Paſchæ ſolenniјs parvo labore & citra negotium motæ, nihilq; terricum aut triſte, ſicut ante, ſed læta omnia cum incredibili voluptate audientium reſonantes.

Jámq; pedetentim appropinquabat, quam Divina Majeſtas pro imperveſtigabili ſua Sapientia, quâ firmiter diſponit omnia, ad imponendum tandem perduellioni, juxtà ac hæreſi licentiosè nimis graſſantibus modum, ac poſtliminiò reducendam in Regnum Catholicam Religionem, verúmque ſui & Sanctorum ſuorum cultum, reſtituendum denique Metropolitanæ Eccleſiæ priſtinum decus, deſtinaverat, dies: & tunc novis iterum oſtentis templum inclaruit.

Initium factum die 12. Septembris, ſive Sabbato ante Dominicam XIV. poſt Pentec. quo brevi poſt crepuſculum veſpertinum, horam circiter nonam, ſudo & tranquillo Cœlo, ſplendor ingens, lucidiſſimæ nubis inſtar, ab occidente exoriri, paulatimq; aſſurgere, & per horam ferè ſupra Album Montem undiqueverſùm ſcintillans conſiſtere viſus eſt, inde poſtea oblongo ductu ac ſenſim Pragam versùs ferebatur, ſcintillas tenues, & in momento evaneſcentes aſſiduò emittens; ubi verò templo Divi Viti appropinquâſſet, facto ſupernè circa ſummitatem ſeu faſtigium templi ſemel duntaxat circulo, videri deſijt, ex adverſo templum multâ luce illuſtratum ſubitò apparuit, quod ita fulgens ad horam usque duodecimam permanſit. Hæc admirabundi ſpectabant multi, non tantùm qui in turri, verùm etiam, qui ad portam Strahovienſem, & in monte S. Laurentij excubabant vigiles, ipſi quoque circuitores mœnia obeuntes. Inter alios erat Wenceslaus Konarowsky de Libanicz, Equeſtris & antiqui in Bohemia Ordinis Vir, vigilarum, & cohortis ad portam Strahovienſem tunc excubantis præfectus, religionis ſub utraque, ſed poſtea Catholicus, qui hæc vidiſſe ſe, & cùm cæteris commilitonibus ſuis non ſine admiratione & ſtupore ſpectâſſe narrabat non ſemel Kotwæ Canonico,

Novum iterū prodigium.

à compluribus viſum.

nico, jurejurando etiam, ſi opus eſſet, id confirmare paratus. Quod idem alius Nobilis & miles ſtrenuus Burgan Strogezeuky de Strogeticz, tum quoque rei actæ præſens, ſed alibi excubans, interpoſito boni & honeſti viri nomine teſtabatur. Præterea agricolæ non pauci ex villis Albo monti contiguis, vel non procul inde diſſitis, eâdem nocte, eodem tempore, quo nubem illam lucidam & ſcintillantem ſtetiſſe ſupra montem diximus; planitiem ejuſdem montis, ad vicinum uſque Vivarium à regio pallatio, quod à Stellata figura Stellam nuncupamus, probè omnibus notum, in qua paulo poſt de ſumma rei memorabili prælio certatum, Martéque ipſo judice deciſum fuit; totam quàm plurimis, ac penè innumeris ignibus opertam viderunt: ita uti nonnulli, ſicuti nuper, exercitum aliquem ibi caſtra locare arbitrati, rebùſque ſuis, & pecoribus impetum metuentes, in proximos ſylvarum receſſus ea maturè abigenda conſtituerint. Sed ubi demum ignes minui, & in unam conglobari, ſurſumque in aëra attolli, & Pragam verſus inſtar igneæ & in longum protenſæ trabis, ferri conſpexerunt, timere deſierunt; atque hoc ipſum deinde manè Pragam venientes pluribus recenſuerunt.

Solennis in templo triumphus noctu à pijs Manibus agitur,

Cæterùm in Metropolitano templo nocte illâ, præter viſa intus cœleſtia lumina, nihil auditum fuit; ſequenti proximo die, horam circiter mediam & duodecimam noctis, cum denuò refulſiſſet templum ſplendore admirabili, Hymnus SS. Ambroſij & Auguſtini euchariſticus, ſeu gratiarum actorius ſolenniſſimè decantari auditus eſt, pulſatum quoque majus organum, ita ut vicinia tota, præſertim arcis area, cùm pſallentium vocibus, tum fiſtularum organi clangoribus perſonaret; multiq; idcircò è primo ſomno excitati, Palatij etiam ſatellites, & cubicularij aliqui nec dum quieti traditi, hæc ſpectarent planè attoniti. Uno fortaſſe horæ quadrante, duravit hoc portentoſum jubilum; ſummum poſt hoc ſilentium ſequutum.

quaſi prænuncius, ſequuturi paulo poſt melioris pro Religione Cathol. ſtatûs.

Obſervatum deinde eſt, diem hanc fuiſſe ipſiſſimam, qua Maximilianus Bavariæ Dux, Princeps rerum geſtarum gloriâ

cele-

tuendæq; Catholicæ Religionis Zelo, prudentiâ & felicitate inſignis, ac bellatorum eâ tempeſtate nemini ſecundus: qui paulo ante, reductâ ad obſequium ſuperiori Auſtriâ, in inferiorem cum exercitu venerat, habito cùm Buquojo ac cæteris copiarum Cæſarianarum ducibus, de rationibus præſentis belli gerendi, & quantum fieri poſſet, celerrimè finiendi graviſſimo conſilio, dehortante licèt Buquojo ac renitente, Bohemiam quamprimùm petendam decrevit. Æquo, ſpero, animo lector feret, ſi id pluribus, & iiſdem quibus in Marte Moravico *(h)* verbis, à via modicùm digrediens, hic explicuero.

Cùm enim Palatini copiæ, quibus Chriſtianus Princeps Anhaltinius ſuprema cum poteſtate præerat, à Drozdovicio, quod exuſto praurbio, oppugnandum fruſtra ſuſceperant, à Cæſarianis repulſæ, in Moraviam ſeſe recepiſſent, eo haud dubiè conſilio, ut Cæſarianos pugnæ avidos diſtinerent; prævidebant enim, ſi pugnæ copiam negent, ſpectandoq; diverticula rem ad uſq; proximam hyemem extrahant, facilè hoſtem fame, laboribus, frigore, transfugio, morbis debilitatum fractumq; fore. Bavarus vocato in conſilium Buquojo & aliis, Die 13. Septembris, qui erat, ut ſupra innuimus, Dominicus XIV. poſt Pentecoſt. *De modo belli proſequendi, & quid tandem faciendum è Republica foret, ſeriò deliberare cæpit. Tametſi verò Buquojus à Bavari ſententia, qui nulla interjecta mora Bohemiam petendam ſuis innixus rationibus exiſtimabat, planè alienus fuerit, arduum plenúmq; periculi id fore diſſitans; conſultius vero ſibi videri, ſi refugientis hoſtis veſtigia duntaxat premant, & prius, quæ ille à tergo relinquit, loca occupent: in Moravià copioſiorem adhuc eſſe annonam, quæ in Bohemia futura ſit parciſſima; propiora etiam fore Auſtriæ contra Betlenum auxilia, eòq; modo ſecuritati Cæſaris melius proviſum. Interim, uti quidam ſcriptum reliquit, non ſatis æquo animo id ferebat Buquojus, ſuis potius quàm alienis nutibus aſſuetus, quòd Maximiliani imperiis, juſſu Cæſaris, eſſet ſubjectus; ob id fortaſſe, præter alia, quod*

(h) *Mars Morav. lib. 2. cap. 6.*

quòd ſi quam Mars propitius daret fortunam, ea non ipſi, ſed Maximiliano eſſet ceſſura; eoq; videbatur inclinatior, ut [illegible] ipſe contra Moravos, rem gereret, ac demum in [illegible] viciniori, adeóq; tutiori provincia hyberna captaret. Bavarus tamen contrarium firmiter ſentire, & negare Auſtriam [illegible] militum hoſpitijs exhauſtam, in commeatu ſuppeditando, [illegible] tibus poſſe ſufficere; in Moravia verò Bohemis [illegible], cunctáq; præripientibus, parum vel nihil ſperari: proinde ſalubriori conſilio ſibi videri, ſi uti antea conſtituiſſent, Bohemiam [illegible] petant, ac in ea ſede belli fixâ, hoſtem poſt ſe trahant, atq; [illegible] ad confligendum adigant. Qui ſi nullibi pedem figere [illegible], omnémq; pugnæ occaſionem vitare contenderit, Pragam belli [illegible] caput eſſe petendam; non dubitare ſe, eò veluti ad cor arcémq; ſalutis, concurſuras omni ex parte Palatini vires, quibus cum [illegible] bilius futurum ſit certamen, quàm cùm eſurie, morbis, [illegible] uſq; incommodis. Autumnum jam præcipitare; ideoq; [illegible] rendis bello rebus adverſa, ſævis tempeſtatum procellis [illegible] duplici hoſte futuram difficilem dimicationem: tempor[illegible] injuria, & hoſtium occultè & palam carpentium hinc inde, [illegible] pentium impetu. Cæſarem & Auſtriam valere adhuc [illegible] bus, ut ſeſe contra vim Betleni poſſint tueri: ſi eguerint [illegible], mitti poſſe in tempore. Deniq; ex uno conflictu univerſa pendere; qui ſi differatur, non geri bellum; ſed duci. Et revera [illegible] utile conſilium, nec quicquam ab ullo potuiſſe ſuaderi [illegible], eventus, ipſe demum rei ſatis efficax teſtis, monſtravit. Nam ſi in Moraviam moviſſent, facilè ob commeatuum inopiam, [illegible] bus circumcirca devaſtatis, aut in cauſam Bohemorum [illegible] ribus, retrocedendum fuiſſet: Bohemi vero hyeme, [illegible] tempore ad proſequendum bellum minimè idoneo, inſtante, [illegible] habuiſſent reſpirandi, fineſq; ſuos per otium melius [illegible] nec non auxilia ab Hungaris, & alijs contrahendi. Igitur [illegible] ente poſtmodum & ipſo Buqvojo, qui tandem ſalubribus [illegible] bus repugnare deſijt, omnibuſq; ad inſtantem profectionem [illegible] natis, mox ubi de ſequenti inſtatu tubis, & tympanis [illegible]

Maximiliani Bavariæ Ducis & Elect. Principis Glorioſiſſimi, ſalutare conſilium.

vexilliſq́; explicatis ſignum progrediendi datum eſſet, uterq́; exercitus Gmundam verſùs, Uberczicio prius & Rapſio occupatis, ac inde per Novobradium & Swinas Budviczium, agminibus ubiq; militari viâ ductis, ac bipartito, ut commeatui faciliùs provideri poſſet diviſis, proceſſit; Bohemis à dextro latere primum ſequentibus, deinde ubi vidiſſent, ipſum cor Regni Pragam infeſtis ſignis peti, celeriori greſſu præeuntibus.

Jam, unde digreſſi ſumus, revertamur.

Non ceſſabant interim totâ illâ ſeptimanâ in templo Divi Viti prodigia; ſingulis quippe noctibus horam jam ante, jam poſt duodecimam, aliquid extraordinarij & portentoſi, vel videndum vel etiam audiendum ſeſe exhibuit. Ante diem 18 Septembr. circa noctis medium, rurſum cœleſti lumine coruſcare viſum fuit; auditi quoque ſicut antea, canentium quaſi Sacerdotum chori, & organum ſonans; auſcultante & ſuper his non parùm obſtupeſcente etiam Palatino, cujus juſſu, cùm ſatellites, & illi qui ad portas templi excubabant vigiles, ingreſſi fuiſſent templum, ut viderent, quid hoc fieret, omnia protinus evanuerunt. Quod idem Palatino tertiâ nocte, quæ erat ante Dominicam XV. accidit; cùm enim audito iterum pſallentium ad Organa cantu, ipſe ad templum, experiundi gratiâ, quid tandem rei eſſet, cum feſtinatione properaret, duobus tantùm cubicularijs, & paucis quibuſdam alijs comitatus, ubi ad pergulam, quæ in templo eſt ſupra portam meridionalem, regio Oratorio affabrè ſplendidèque extructo inſignis, veniſſet, ſubitò omnia conquieverunt; ſibilus duntaxat quidam tenuis eminùs, & quantum obſervari poterat, circa D. Wenceslai Sacellum, ſtrepitúſque prætera lenis, abſque ullo fremitu, quaſi hominum tacitè & preſſo pede deambulantium auditus fuit: paulo poſt verò exortus undique fragor ingens, non aliter quàm ſi columnæ templi ruerent, tantum Palatino & cæteris pavorem incuſſit, ut exitium aliquod grave præſenti in diſcrimine veriti ſine mora pedem referrent. Auxit porrò recedentibus vel fugientibus potiùs horrorem, ventus à tergo præ-

Alia iterum in Templo prodigia:

quæ dum etiam Palatinus ipſe curioſius ſpectare contendit,

fragore terribili percellitur & abigitur.

præcipiti impetu irruens, qui faces omnes uno afflatu extinxit, ideóque Palatino attonito ſimili ſubſiſtere in tenebris aliquamdiu, donec miniſtri alias accenſas faces attulerant, neceſſe fuit. Interim ſuos, ut rem hanc tacitè haberent, nec ulli revelarent, ſeriò admonuit; prohibere tamen omnibus non potuit, quin primùm à pallatij cuſtode, qui ibi ſingulis noctibus ad inſtitorias mercatorum officinas excubat, deinde etiam ab alijs, caſus hic divulgaretur. Juſſu dein præfecti cubiculi, ſatellites & alij multi facilè quinquaginta numero templum ingreſſi, ambitus omnes & Sacella diligenti ſtudio luſtrarunt, excuſſis etiam ſupernè in pergulis cunctis angulis, Papiſtas, ita dicebant illi, quærentes; ſed quia nulli fuerunt, nullos invenerunt.

Quàm cautè ac circumſpectè hæc ſunt examinata, notata & conſcripta.

Mira hæc mirisſima, & alicui fortaſſe incredibilia videbuntur; ſed quæ teſtimonijs graviſſimorum virorum, Decani imprimis Arſenij, confirmantur, dubiumque ſi quod obrepat, facilè omne tollunt. Eſt mihi præ manibus chirographum præmemorati Decani & Officialis, viri undequaque clariſſimi & fidei integræ: in quo ſcribit, hæc omnia habere ſe à teſtibus oculatis, cùm per ſe, tum per alios, præſentibus Domino Præpoſito, Macario & Kotwa Canonicis, Adolpho item Emericho Juris Utriusque Licentiato, & Conſiſtorij Archiep. Secretario, Notarióque Publico Apoſtolico & Cæſareo, ac Joanne Agricolâ, tum quoque Univerſitatis Pragenſis Notario, qui Notarialis officij ſui causâ ad hoc ſpecialiter vocati fuerant, diligenter examinatis, qui mirabilia iſta vidiſſe ſe & audiviſſe teſtati ſunt, idque etiam jurejurando confirmârunt: quibus derogare fidem, & tot oculatos teſtes averſari, hominis eſſet nimis increduli & alicui μισάνθρωπῳ ſimilis, ſi non pejoris. Unum hic doleo, quod publicæ fidei tabulas, ſive Inſtrumentum à Notarijs Publicis ſuper his confectum, mihi ſat ſtudioſè in Archivo Capituli quærenti, non dum videre licuit: ſpero tamen, quod ubi reliquum, quod adhuc ingentem ſcriptorum farraginem facit, perluſtravero, me illud reperturum, modò non a-

[illegible]

miſſum Saxonicæ Pragam irruptionis tempore, an. 1630. quo in Domo Decani, qui in tutiora cum alijs mature diſceſſerat, Coronam Regni & potiorem Eccleſiæ theſaurum comitatus, occupata à Vigiliarum præfecto, non pauca Scriptorum monumenta, à militibus Lutheranis diſtracta & diſcerpta fuiſſe conſtat; propéque erat, ut etiam Libri Erectionum, grandia XIV. Volumina, primarium fere Archivi noſtri clenodium (unicum licèt amiſſis rebus ſolatium) in pyrobulos, & alia ſimilia pyrei pulveris involucra, pro faciliùs onerandis ſclopis adhiberi ſolita, converterentur, ſic obiter tranſitura in auras, niſi in tempore unus accuratior è miniſtris Eccleſiæ interveniſſet, qui conciliato ſibi ejusdem præfecti famulo; obſervatóque die oportuno, quo ille abeſſet domo, non libros tantùm, ſed ſcripta reliqua omnia inde extulit, & in tutum deportavit. Erat is (dignum commemoratione exiſtimo, vel propter hoc factum nomen ipſius) Joannes Hrdy, Curſor poſtea ArchiEpiſcopalis Conſiſtorij, ante quinquennium defunctus, vir in expediendis ſibi commiſſis rebus dexter, induſtrius & cautus, ſecretique tenax & fidelis; qui primos ætatis ſuæ annos, ut plurimùm apud Prælatos Eccleſiæ Metrop. potiſſimùm Decanos Arſenium & Macarium in ſervitijs traduxit; ideóque multa ex his, quæ jam recenſuimus, memoriâ ipſe tenebat, eáque ſic omnino accidiſſe, mihi non ſemel referendo per conſcientiam teſtabatur.

Habemus autem hic documentum evidens, quàm periculoſum ſit Privilegia, literas & alia hujusmodi monimenta detineri in privatis ædibus, ubi furto, incendio, aut alio quocunque fortuito caſu facilè perire poſſunt. Quapropter nos damno proprio cautiores redditi, haud ita pridem, novâ & ſalutari lege firmiter deinceps obſervanda, pleno in Capitulo ſtatuimus; ne de ſecretiori conclavi, in quo Archivum Capituli ſervari ſolet, ulli quicquam efferre liceat, ſed ibi luſtrent & legant Capitulares, præſente Decano, vel Scholaſtico qui Capituli Cancellarius eſt, ſi quo opus habeant: quod ſi tam grande aliquid ſit, ut pervolvi totum commodè in loco non poſſit, fas

periculoſum ſervare literas publicas in privatis ædibus.

id ne fieret apud nos deinceps, lege latâ prohibetur.

quidem ſit illud deferri domum tanto meliùs perluſtrandum, ita tamen, ut intra triduum ſuo reſtituatur ſcrinio. Feci ego in me ipſo, priusquàm lex hæc condita eſſet (ideòque ut conderetùr, author fui) initium; qui primo mei in domum Decanalem ingreſſus menſe, quidquid de Privilegijs, Indultis, varijs contractibus, Fundationum inſtrumentis & ſimilibus, quæ alicujus momenti habentur, inveni; ſicuti etiam Erectionum Libros, Acta Capituli &c. (codices quàmplurimos manu ſcriptos, etiam quadringentorum annorum ætatem ſuſtinentes) inde omnia levari, atque in debitum, & ab antiquo jam deſtinatum locum reponi curavi.

Palatinus de rebus ſuis anxius,

Ad Palatinum redeo, qui hiſce portentis viſis & auditis, multùm conturbatus, tametſi ad ſpeciem Catholicorum prælilegijs hæc attribuere videretur, tacitè tamen alia apud ſe volvens animo futurorum anxio, haud obſcurè ſibi ipſi metuere, maleq; ominari cæpit: præſertim ubi die ſequenti, qui erat 20. Septembr. de exercituum Cæſariani & Bavarici conjunctione, & paulo poſt, de illorum in Bohemiam rectà profectione cognoviſſet: tum enim revocatâ ad animum, ſerò licèt, impendentium periculorum magnitudine, in varia diſtrahebatur, curarum æſtu fluctuans ingenti; & proceribus Regni jam his, jam alijs, jam omnibus ſimul, ad colloquium vocatis, id potiſſimum quid facto opus foret, ſi hoſtis continuato itinere Pragam versùs contenderet, aut datâ pugnæ copiâ, victoriâ potiretur, ſollicitè perquirebat; ita ſubinde mæſtus ac triſtis, ut tum ſtatim ea res à pluribus pro inauſpicato futuri mali omine acciperetur. Cujus ille quaſi præſcius, rebúsque ſuis jam penitus diffidens, poſthabitâ omni cunctatione, filium ſuum primogenitum, paulo antè Bohemiæ quoque Regem à Statibus deſignatum, majoris ſecuritatis gratiâ, Berlinum ad affinem Brandeburgi Electorem, miſit; quem usque Brunduſium, quod tribus milliaribus Pragâ diſtat, cum Aulæ ſuæ præcipuis fuerat comitatus. Ipſe demum etiam, Uxore cum reſiduis liberis curæ Procerum commiſſâ, die 28. Septembr. Pragâ diſceſſit, ad exercitum, qui per id tem-

Pragâ ad exercitum ſuum abit.

tempus ad Brzeznicium oppidum caſtra tenebat, profectus, ſo haud dubiè conſilio, ut militum animos præſentiâ ſuâ confirmaret, & ad agendum fortiter magis accenderet.

Silentium interea in templo S. Viti fuit, nec quicquam portentoſum viſum auditúmve, per tres hebdomadas & ampliùs; donec iterum poſt diem 21. Octobr. qui Divæ Urſulæ, & Societati ejus XI. millium Virginum MM. & quidem in Eccleſia Pragenſi, ac per univerſam Dioeceſim, ſub ritu duplici, ſacer eſt, templum totum multo ſplendore illuxit; auditi quoq; ſupplicantium, & per ambitus templi ſemel atque iterum tranſeuntium, in eum modum, quo ſupra Canonicos Quadrageſimali tempore ſupplicare ſolitos diximus, cantus. Arſenius, & cum ipſo alij non pauci exiſtimabant, fuiſſe ejusdem Divæ Sociarúmque ejus, propter deſpectas nuper, & unà cum altari SS. Cyrilli & Metudij violatas, disjectas & conculcatas ſuas Reliquias, vindictam debitamque Calviniſtis pœnam à DEO flagitantium preces. Addo ego, aliorum quoque Cælitum, præſertim SS. Regni Patronorum, pro ſalute Maximiliani, Bavariæ Ducis inclyti, utpote oppreſſæ tunc Religionis Catholicæ acerrimi ac præſentiſſimi vindicis, ſuiq; priſtini cultûs Reſtauratoris æternâ laude digniſſimi, qui hâc ipſâ nocte maximo in diſcrimine verſabatur, ſupplicantium fuiſſe voces, id quod authoritate etiam alienâ, Scriptorisq; eximij factâ relatione confirmo: *Rem* (inquit ille [i]) *deſcribam ex Junioris Anhaltini Principis Commentarijs. Ad diem XI. Calend. Novembris, ſub horam noctis ſeptimam, Fridericus cum toto equitatu, & parte peditatûs, movit eo conſilio, ut Bavaricam ſtationem (caſtra tunc Tuſcowicij Maximilianus locaverat) inobſervatus noctis beneficio opprimeret. Primum Friderici agmen ducebat Comes Hollachius, cum ſelectis omnium turmarum equitibus & baliſtarijs, vulgò muſquetarijs, mille trecentis; quos Hungari, deinde Auſtrij, poſt hos Stubenvollius cum ſuis, poſtremò cæteri ſtipatâ ſerie ſequebantur*

Solennis Supplicatio noctu in Templo à pijs Manibus peragi viſa.

pro ſalute, ut reor, Maxim. Bavariæ Ducis

Pppp 2 *An-*

[i] De Teſchenitz in Annal. Bojor. part. 3. lib. 5. S. 47.

Anhaltinus cum ſuis alariis Fridericum proximus anteibat, agmen claudebat Vicarius Mansfeldij Comes Stirumius natu major. Palatinum, præter aulicos, cingebant duæ equitum turmæ, Spaldorfij & Ducis Weinmarij: decies mille feruntur univerſum fuiſſe è toto hoſtium exercitu ſelecti. Bucquojus eâ nocte tanto intervallo à Bavaricis aberat, ut in re ſubitâ, & ob nocturnam caliginem impeditâ, atq; longè difficillimâ, ſi vel maximè voluiſſet, nequiviſſet adeſſe Maximiliano, quem ſervârunt Cœlites diſcriminis prorſus neſcium. Ei nox iſta luctuoſa fuiſſet futura, niſi pro ipſo divinus oculus vigilâſſet: Hungari enim, qui in primo agmine viæ ductoribus aderant, tracti in devia, per ſylvas, itinere per quàm difficili atq; impedito, toties remorati ſunt turmas omnes atq; legiones, ut, cùm deſperarent, ſe ante lucem è ſuis erroribus poſſe ad caſtra Bavarica emergere, re infectâ, benè fatigati omnes pedem retulerint. Acceſſit repentè excitatus ab Hungaris ex panico terrore tumultus, cum eâ perturbatione, ut ſibi ipſi vix à mutua cæde temperârint. Omnium ſententia fuit, ſi iſta expeditio proceſſiſſet, Bavaricas copias internecinâ clade deleri potuiſſe.

graviſſimo in diſcrimine eâ nocte conſtituti.

Sequuta brevi poſt, nempe die 8. Novembr. ſingulari divini Numinis ope, celebris illa ad Pragæ mœnia, in Albo Monte, Victoria, quâ Religionis cauſa tanquam optima triumphavit, & quam in templo Divi Viti hoc oſtentum, veluti prodromus quidam, noctu anteceſſit. Cùm enim poſt undecimam horam noctis templum ingenti rurſus lumine effulſiſſet, ita ut ardere intus omnia crederentur, facilè res hæc impulit milites, qui ad portam meridiei obverſam excubabant, ut per rimam ejuſdem portæ, quam aliquot diebus ante de induſtria latiùs exſciderant, introſpicerent, experturi quid ibi fieret. Et viderunt primò tres viros; unum regio in habitu, & ſupra humanam ſtaturam auguſtiorem, coronam capite auro & lapidibus undique fulgidam, ſceptrum ſiniſtrâ manu geſtantem; alterum ſenem quendam longâ talari veſte, & ſuprà Sacerdotali ſuperpellicio, ut vocant, & ſtolâ indutum, ſiniſtrâ librum tenentem; tertium juvenem facie pulcherrimum, Angelo magis quàm homi-

Nova iterum in Templo noctu mirabilis Viſio.

mini ſimilem, chlamyde purpureâ ornatum, in medio templi è diametro portæ, propè gradus, quà ad Altare ſummum aſcenditur, ſtantes. Et paulo poſt, alios tres: unum quoque regio more veſtitum, & coronâ minori tamen, conſpicuum; alterum in Pontificali apparatu, tertium cataphractum totum, haſtam præaltam & ſupernè inſtar radij Solis fulgidam dextrâ tenentem, primis tribus accedentes, unáque ſtantes, & quaſi de præſenti rerum ſtatu conſilia conferrent, mutuò colloquentes. Quinque erant, tres milites, & quidam nomine Joannes de Blumenſtein cum famulo, caſu illac ſub id tempus noctis tranſiens, qui viſionem hanc ſpectabant; ſubitò deinde tanto horrore correpti, ut finem rei præſtolari nullo modo potuerint, ſed ut nimio metu perterritis accidere ſolet, quò quis poterat, diffugerint.

Creditum eſt Divorum, qui in eadem Eccleſia piè requieſcunt Manes fuiſſe; S. Wenceslai, qui virum cataphractum (ſic enim paſſim pingitur) S. Adalberti, qui Pontificem, S. Viti, qui juvenem purpurâ veſtitum, S. Sigismundi, qui regis, & B. Joannis Nepomuceni, qui Sacerdotis ſuperpellicio & ſtolâ induti, perſonam referebant. Et quia duo apparuerant cultu regio conſpicui, unus ex ijs pro Carolo IV. ibidem glorioſè quoque tumulato, & à Deo non paucis miraculis, ſicut etiam revelationibus, in vita, poſt mortem verò incorruptione ſui corporis diuturnâ clarificato, ejusdemq; Eccleſiæ Amatore quondam ſummo, & Benefactore omnium maximo, habitus eſt.

Hæc itáque ſunt, quæ de recentibus quoque prodigijs (ne quis fortaſſe ſæculis noſtris, & apud nos deeſſe miracula putet) quibus Divina Majeſtas templum D. Viti illuſtrare dignata eſt, plurimis teſtibus probata, & ab Arſenio Decano in diverſis ipſius Manuſcriptis, potiſſimùm verò in Calendarijs annor. 1621. 1621. quibus illum ſuper his diligenti ſtudio inquiſijſſe apparet, fideliter connotata, & à nobis poſt tot primò annos, ſingulari profectò felicitate inventa collectáque, hic legentibus exhibenda duximus.

Sed neque hoc, tametſi ab hominum memoria remotius, præteriri debet, cùm æquè templi Metropol. magna exinde Sanctitas & gloria eluceat, quod Wladislaus Bohemiæ & Hungariæ Rex, in eodem templo videre meruit. Hic anno 1497. Feriâ II. poſt Dom. Oculi, ſive die 27. Februarij Budâ ex Hungaria Pragam venit, maximo & ſplendido Epiſcoporum, Ducum, Comitum & aliorum cùm Hungarici, tum Croatici, Dalmatici Slavonicique nominis Magnatum, nonnullorum etiam exterorum Legatorum comitatu ſtipatus: cúmque pro pia conſuetudine ſua, uti ei ſemper erat ſummum pietatis erga Deum ſtudium, nocte mediâ diem 4. Martij, qui Translationi S. Wenceslai per Bohemiam ſolemnis eſt, præcedente, lectulo ſuo tacitè conſurgens, templúmque D. Viti cum uno duntaxat cubiculario ingreſſus, in Oratorio ſuo, quod ex cubiculis regijs facilè adiri poteſt, ſolitas ſuas funderet preces, vidit SS. Patronos, primò S. Adalbertum, deinde S. Sigismundum, & unà cum illis hinc inde per templum plures, ac tandem etiam S. Vitum, ex ſepulchris ſuis ſurgentes, & in choro ante ſummum altare convenientes; qui poſtea accenſis facibus deſcenderunt ad Sacellum S. Wenceſlai, cantantes Reſponſorium: *Iſti ſunt Sancti &c.* (k) Quâ viſione admirabili motus, non multo poſt Chorales XV. numero, inter quos tres Presbyteri eſſent, pro Officio Divino & nocturno Horarum Canonicarum in eodem templo perpetuis temporibus decantando inſtituit; ac præter alia, ut exſtaret hujus viſionis memoria decrevit, ut ijdem Chorales ſingulis vicibus poſt abſolutas Matutinas preces, deſcendendo ex choro ad idem Sacellum, idem quoque Reſponſorium piè decantarent: quod hodie, *Primâ abſolutâ*, ab ipſis, diebus ſingulis, ne ſemel quidem intermittendo, peragitur, Vicario, cujus officium illo die eſt, eos comitante: qui finito Reſponſorio Orationem communem de Sanctis Patronis Regni, quæ incipit: *Propitiare nobis*

(k) *Pontan. Boh. Pia lib. 2. in VVladislao. II. MS. ex Archivo Capituli*

nobis &c. & alteram pro Auguſtiſſimo Imperarore & Rege noſtro, ibi perſolvit. Eodem anno, refert Lupacius: *Rex Cathedralem D. Viti Baſilicam de regali benignitate ditat, locupletat & ornat, auri, argenti gemmarúmq; donis pretioſis, tapetibus, cortinis, atq; alijs id genus cimmelijs munificentiſſimè.* (l)

Multùm quoque ad gloriam S. Metropol. Eccleſiæ facit id, quod religioſus è Societate JESU Author, in Veſtigio Piæ Bohemiæ memorat hiſce: *Eſt & ſumma in Metropolitano Arcis Prag. templo Ara, Sepulchro D. Martyris Viti adjuncta, inter Sacra Bohemiæ loca reponenda, in qua ſæpiùs, adverſum eſt, eos Sacrificium Miſſæ peragere non potuiſſe, qui cum anima peccato mortali fœda acceſſiſſent; id quod de ſe palam ſæpè teſtatus eſt Reverendiſſimus Dominus Sixtus de Lerchenfels Litomericenſis Præpoſitus, & Canonicus Pragenſis; dicebátq; ſe quâdam vice quaſi in Sacrificio medio excæcatum, ut nullo modo poſſet progredi, donec contritione viribus omnibus, quibus poterat, ſæpiùs elicitâ, tantulum ſibi lumen affulſiſſet, ut quaſi per caliginem intuendo, reliqua Sacrificij vix abſolveret, & mox finito Sacro peccata Confeſſione expiaret. Quin & temporibus Rudolphi II. Cæſaris caſus ejuſmodi Sacerdoti cuipiam ſæculari accidit, quem cùm ad altare cæcitate ita percuſſum præſentes adverterent, ut Miſſam non poſſet abſolvere ullo modo, eorum aliqui ad antiquam uſq; Civitatem ad Collegium Societatis JESU (magna enim tunc erat adhuc Catholicorum & Sacerdotum Pragæ paucitas) decurrerunt, indéq; Patrem Marcum Soldanum Congregationis Italicæ Præſidem advocaverunt, qui per tantum ex Collegio ad Arcem uſq; ſpatium tandem accurrens, Sacerdotem illum ad ipſam Aram Sacramentali abſolutione à peccato illo liberavit, quo facto Sacerdos mox oculorum recepit uſum, Sacrificiúmque nullâ difficultate peregit.* (m)

Quæ

(l) *Lupac. in Ephemer. ad d. 27. Febr. Hogek ad an. 2497. VVeleslav. in Calendar. Hiſtor. ad diem 27. Febr.* (m) *Tanner in Veſtigio Piæ Bohem. P. Alberti Chanowsky Societatis JESU, in Notis ad cap. IX.*

Quæ cum ita ſint, nemo poterit eſſe mirabilium iſtorum tam rudis æſtimator, ut quo in loco, quove in pretio ſit apud DEUM Metropol. D. Viti Eccleſia, & quæ exinde ipſius Majeſtas & Gloria reſultet, videre & obſervare non queat.

RADIUS VII.

Aliam adhuc Gloriam S. Metropol. Prag. Eccleſiæ, ex numeroſa quondam in ea Miniſtrorum multitudine, Sacræ ſupellectilis excellentia, annuorum proventuum copia, Bonorum etiam terreſtrium, arcium, caſtellorum, villarum, agrorum opulentia, divitiarum denique & rerum omnium affluentia, oſtendit: quam etiamnum aliqua, præſertim Officiorum Divinorum ordinatiſſimus curſus, & Miniſtrorum ea peragentigentium diligentia atque pietas, plurimùm commendat.

Dixi à principio hujus perexigui & raptim currentis operis, Salomonis effatum ſequutus: *Gloriam filiorum eſſe Patres eorum:* Non multùm fortaſſe hic deviabo, ſi vice verſâ, *Gloriam Patrum eſſe Filios eorum*, dixero. Sicut enim filij parentum, ita quandoque Parentes filiorum claritate illuſtrantur: utrumque exempla oſtendunt. Reges Lacedæmoniorum ob id potiſſimùm exiſtimabantur famâ celebres, quòd ab Hercule genus ſuum derivarent: ſicut Reges antiqui Francorum, quòd ab Antenore Trojanorum Principe, ex poſteritate Dardani atque Priami originem ſuam ducerent; quam etiamnum Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Principes, & Galliarum Reges inclytos, longo admodùm

Gloria Patrum à filijs.

dùm generationum tractu ducere nonnulli volunt. (*n*) Paulam quóque matronam Romanam D. Hieronymus laudat in Epitaphio à Natalium ſplendore, quòd nata ſit patre Rogato Græco ex Agamemnonis ſtirpe oriundo, matre Bleſilla Romanâ, ex Scipionum Gracchorúmque familia nobiliſſima.

NobilitatisBohemæ excellentia, à Majorum ſuorum ſplendore & antiquitate.

Sed & domi noſtræ Bohema Nobilitas, habet quod Originum ſuarum excellentiâ & antiquitate jure merito glorietur; utpote, quæ Majores ſuos, ante mille & ampliùs annos, mox ſub primis noſtræ gentis conditoribus (conſtat enim Czechum gentis authorem magnâ Nobilitate comitatum (*o*) veniſſe in Bohemiam, circa an. 644. (*p*) vel, ùt volunt aliqui (*q*) an. 450. alij 278. (*r*) appellare; & quod majus eſt, à Principibus, Ducibus & Regibus genus ſuum repræſentare poteſt. Sic *Swibowij* Ryzmbergenſes & *Czerninij*, utraque PræmysloLibuſſæa ſtirps, hæc ab Henrico, illa à Theobaldo Wratislai I. Bohemiæ Regis nepotibus & Wlädislai I. Regis germanis fratribus, legitimis deſcendens natalibus, ab anno 723. juxta alios 558. vel planè 456. ad usque noſtram ætatem, nunquam interruptâ ſerie avos ſuos nominat. Et Czerninij quidem maternum ſuum genus, etiam ab Impp. Henrico IV. Henrico III. Conrado II. per Agnetem, quæ erat præmemoratiHenrici fratrisWladislaiRegis conjunx, & Henrici IV. ex Bertha filia, Marquardi Carinthiæ Ducis & Styriæ Marchionis uxore, neptis, evidentiſſimè deducunt. Sic *Slavatæ* à Slavata ſeu Slawitza vel Slavitago (variè Scriptores Germanici appellant) Wratislaī Ducis Zatecenſis, (*s*) qui erat Wogeni Ducis Bohemiæ filius Wnyslai frater, minore natu filio, adeóque etiam de PræmysloLibuſſæa ſtirpe, id quod vel clypeus illorum, tribus lineis vel fluminibus inſignis, & Ducibus Bohemis Præmislææ gentis, antequàm Aquilam ac poſtea Leo-

(n) *Didac. de Lequile Ord. S. Franc. lib. de Orig. Auſtr. Famil. impreſſo Oeniponti. an. 1660.* (o) *Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 3.* (p) *Hagek.* (q) *MS. Anon.* (r) *M. Petr. Codicill. VVeleslav. in Prolegom. Calend. Hiſtor.* (s) *MS. Nicolai Artemis. Privatis Zatecenſ. apud me manu ipſius propriâ an. 1538. Mart. Morav. lib. 2. cap. 3. Balbin. in Epitom. rer. Boh. lib. 1. cap. 8.*

Leonem accepiſſent, prout etiam Sswihovijs Czerninijsque communis, maniſeſtum facit, originem ducunt. Sic Rozdrazovij, qui à Borego S. Adalberti Germano fratre, Slawnici Comitis, qui erat Henrici I. Imp. à ſorore nepos, & Strzezislavæ aliàs Stieſtislavæ, quæ erat Boleslai I. filia, filio deſcendunt. Sic *Wrſſowecij* Comites à Wrſſo Comite, Familiâ Czecho & Lecho Ducibus cognata; *Leones Rosmitalij* & quondam *Hazmburgici Schelnbergiciq́;* à Biwogo Comite, & Kaſſa ſorore Libuſſæ: *Guttenſteinij* & *Wrtbæi* à Slawiboro Comite de Bſſow & Melnik Divæ Ludmillæ patre; ut alios quàmplurimos prætercam: uti Slawnicios, vel Zlunicios, ſeu ut modó vocamus, luxato nonnihil vocabulo nominis, Schleinicios, Slawnici quoq; poſteros, & vel à Roſis, quas pro gentilio ſuo inſigni, *albam unam in campo rubro, & duas rubras in campo albo geſtant*, (Zlunica námque veteri Slavorum nomine Roſam ſignificat,) vel ab ipſo Slawnico Comite, tanquam ſuo Originario primo, ſic denominatos: *Lobkowicios*, *Martinicios*, *Waldſteinios*, *Sternbergios*, *Kolowratæos*, *Talmbergios*, *Kaunicios*, *Bercas*, *Wrbnas*, *Lippaos*, *Kaplirzios*, *Klenovios*, *Dobalskios*, *Richnovios*, *Wlaſſimaos*, ſive ut quondam appellabantur *Genſteinios*, *Wratislavos*, *Pruskowskios*, *Rziczanæos*, *Miczanios*, *Krzineckios*, *Leskovecios*, *Malovecios*, & alios quosdam non tantùm ortu clariſſimos, ſed etiam maximis Imperij Comitibus, Principibus, Electoribus, quin imò nonnullos ipſis Regibus ac Cæſaribus quondam ſanguine junctos. *(t)*

Viciſſim verò Parentes per ſe quidem claros, ſed Filiorum virtute, ſive pietatem & ſanctimoniam vitæ ipſorum ſpectes, ſive fortitudinem bellicam, dignitates, victorias, aut alias res præclarè geſtas, evaſiſſe longè clariores, certum eſt. Sic Iſai Bethlehemita à filijs, quos octo habebat robore & formâ præſtantes, & natu minimum David Regem: ſic Matathias Sacer-

(t) *Balbin. in Origin. Guttenſt. cap. 1. Id. in Hiſt. S. Mont. Auctuar. II. Id. in Epitom. rer. Bohem. lib. 2. in Not. ad cap. 12. & lib. 3. cap. 16. in fine.*

dos, qui ſolus ſe Antiocho tyranno oppoſuit, à filijs, quos quinque habebat, Joannem, Simonem, Judam cognomento Machabæum, Eleazarum & Jonatham heroas fortiſſimos, inclaruerunt. Sic quoque Baſilius Helenopontanus, à tribus filijs Baſilio Magno Cæſarienſi, Gregorio Nyſſeno & Petro Sebaſte Epiſcopis, in Eccleſia Chriſti athletis invictiſſimis: ſic Ticelinus Burgundus à ſex filijs, omnibus vitæ religioſæ deditis, quos inter erat D. Bernardus, & ſeptima filia Sanctimonialis: ſic Borzivogius Bohemiæ Dux, à Nepote ſuo D. Wenceslao, ut de alijs quàm plurimis taceam, illuſtriores ac celebriores facti ſunt.

Gloria Patrum à fœcunditate, ſeu

Plurimùm autem ad Parentum gloriam famámque nominis facit fœcunditas prolis. Ita Lycaoni Arcadiæ Regi fuêre non modicæ Gloriæ, quinquaginta & ultra liberi; ita Herculi ſexaginta filij; ita Priamo, dum res Trojæ adhuc integræ eſſent, ex Hecuba Conjuge novemdecim liberi, ex alijs 31. (Hinc iſtud Maronis: *Quinquaginta illi thalami ſpes magna nepotum)* ita Antaxerſi Xerſis filio, Perſarum Regi, ex juſto matrimonio centum & undecim: ita Carolo Magno viginti tres; Rudolpho Habſpurg Imp. quatuordecim, ſeptem filij & totidem filiæ; Alberto I. viginti & unus; Ferdinando I. ex Anna Wladislai Bohemiæ Regis filia, quatuor filij & undecim filiæ; Maximiliano II. ex Maria Caroli V. filia, novem filij & filiæ ſex; Barnabo Vicecomiti Mediolanenſi, triginta novem.

multitudine prolis, ac

Sed iſtud imprimìs, quod Aventinus & alij in ſuos Annales retulerunt, de Babone Comite Abenſpergenſi, viſum eſt non incommodè hoc loco deſcribere. Fuit ille Abenſpergæ & Rojæ Dynaſta, Babonis Schirorum Principis filius, frater Othonis I. Schirenſis, Divæ Cunegundis Imperatricis procurator, & Præfectus Urbis Ratisbonenſis; qui ex duabus legitimis uxoribus ſobolem quadraginta liberorum tulerat, formaverátq; ijs moribus atque diſciplinis, ut filij, quos triginta duos fuiſſe ferunt, avita Majorum gloriâ, & quâvis fortunâ non eſſent indigni. Parens cui res domi, quàm pro tanto numero, anguſtior, erat in omnem occaſionem intentus, quâ ſingulos pro Sanguinis

præſertim filiorum.

& in-

&ingenij nobilitate elocaret: nusquam verò meliorem, quàm in S. Henrici II. Imp. benignitate reperit. Accidit autem, ut quâdam vice Imperator Ratisbonæ tum habitans, eum ſecum venatum cum paucis egredi juſſerit. *Babo ſperans ſe tempus opportunum nactum, quo tantam ſobolem Cæſari commendaret, juvenes jam puberes, ſcitos admodum & elegantes, cultu quoq; & arte ornat, unicuiq; comitem adjungit: cum tali prolis globo venatum procedit: at Imp. visâ tanta multitudine Babonem accerſit, ſciſcitatúrq;, cur cum paucis advenire juſſus, tot Equites adduxerit? Babo reſpondet: cum uno quidem duntaxat famulo preſtò ſum. Qui igitur alij ſunt? inquit Cæſar. Excipit Babo: & tui, inquit, famuli, filij mei, quos tuæ majeſtati exhibeo, committo, quod bonum fauſtum felixq; ſiet, talem electorum juvenum & fratrum cohortem, in pace decus, in bello præſidium, dono do, ut ingenuam decet ſobolem, maxima cura tibi educavi. Gratiſſimum munus tale Juvenum fratrum examen Auguſto fuit, dextrâ & oſculo excipit, filios nominat; ſecúmq; in aula conſiſtere juſſos, præfecturis, vicis, prædijs ſtipendiarijs, caſtellisq; locupletavit. Ab his plurimi Comites, nobilesq; Nariſcorum, Vindelicorum, Noricorum, Charionum, Bojorum & Francorum genus trahunt. Ut puta Comites & Liberi Barones de Ror, Rietenburg, Stephaning, Raning, Lengfeld, Calmuntz, Bogen, Roteneck, & alij quidam, (u) Nicolaus hujus familiæ ultimus, à Chriſtophoro Bavariæ Duce, quòd partes fratris foviſſet, interfectus eſt in prælio. (x)*

Domì quoque habemus inſigne hujusmodi exemplum in Henrico, alio nomine Hynkone dicto de Waldſtein, Zdenkonis Magni (hic erat Hermanni Wartembergij de Ralsko, circa an. 1050. per eam Bohemiæ plagam, quæ nunc diſtrictu Boleslavienſi continetur, longè latéque dominantis trinepos, & ab arce Waldſtein, quam in ſylvis Turnovio vicinis recèns extru- Hynko Baro de VValdſtein

Qqqq 3 xe-

(x) *Laurent. Beyerlinck in Theat. Magn. ſub lit. F. pag. 149. Aventin. lib. 5. Annal. Bojor. & Hieron. Zieglerus in hiſt. Illuſt. Virorum Germ. anno 1485.*

xerat, *de Waldſtein* primò omnium dictus, ideóque Familiæ Waldſteinianæ, novæ ex vetuſtiſſima juxta ac nobiliſſima Wartmbergica enatæ ſtirpis, Originarius citra ullum dubium Major.) filio: (y) qui Regem ſuum Ottocarum, contra Prutenos tum adhuc gentiles, vicinos Chriſtiani nominis populos, uti Polonos, Maſovios & Pomeranos aſſiduò infeſtantes, hortatu Pontificis Alexandri IV. cum valido cruce ſignatorum exercitu, magnóque Nobilitatis Bohemicæ, Moravicæ & Auſtriacæ numero, anno 1255. proficiſcentem, ſequutus, unà etiam viginti quatuor ſuos proprios filios, omnes egregiè armis inſtructos, adduxiſſe fertur. (z) Magnum ſanè & rarum fæcunditatis *Decus:* quod ſingulariter deprædicat vel ipſe David, qui inter alia, quæ beatitudinem hominis in hac mortali vita conſequuntur, iſtud quaſi primum ponit: *Potens in terra erit ſemen ejus.* Et alibi: *Filij tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.* Et iterum: *Quorum filij, ſicut novellæ plantationes:* additq; *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.*

parens viginti quatuor filiorum: quos omnes armis inſtructos in bellum educit.

Pſal. 3. Pſal. 127. Pſal. 134.

Gloria S. Metrop. Eccleſiæ,

Sanctam Metrop. D. Viti Eccleſiam dici poſſe omnium in ea piè Deo famulantium Matrem, credo nullus inficiabitur. Ipſa enim aliquos peperit in Sacræ regenerationis lavacro; hodiéque nos omnes, qui ſub ejus auſpicijs militiæ Chriſtianæ, Deique obſequio adſcripti ſumus nutrit, & in pane & in verbo, reficit in Sacramento, ditat in oratorio, confortat Viatico, ungit in Vitæ extremo, oſſa etiam noſtra repoſitura in ſinu ſuo, quæ inde reſumamus in generali judicio. Habet itáque unde, habet & aliunde, quòd Mater noſtra optimo jure dici mereatur.

à Miniſtris pietate, doctrinâ ſanctimoniâ Vitæ, & Natalium ſplendore clariſſimis, &

Habuiſſe autem hanc Sanctam Eccleſiam quondam Pontifices, Prælatos, Canonicos cæteróſque miniſtros, viros undequa-

(y.) Cruger. in Sacror. Pulver. Regni Bohem. ad d. 26. January. (z) Matthæus Philomates VVolgenberg. apud Paproc. in Spec. Morav. lib. 1. part. 2. de Origin. Baron. in Morav. cap. 4. fol. 48. P. Joan. Tanner in Amphitheat. Gloria Leon. VValdſtein. in Leone I. Cruger. cit. ad d. 21. Junij Hynkonis loco Joannem nominat.

quaque clariſſimos, & tam ſplendore Natalium, quàm ſanctimoniâ Vitæ illuſtres, doctrinâ quoque, ingenio, magnitudine animi, religionis famâ, & rerum pro DEO, Eccleſia, Sede Apoſtolica, legitimis Principibus, ac denique Patria præclarè geſtarum gloriâ inſignes, alijsque Præſulum virtutibus verè magnos: quod utique ad ampliorem nominis ipſius gloriam & dignitatem ceſſit, ita ut dici poſſit, *Gloriam Matris fuiſſe filios ejus*; ſupra Radio V. oſtendimus. Unicum ſupereſt, ut fœcunditatem quoque ipſius, ex numeroſiſſima propagine, ſeu Miniſtrorum multitudine, quos aliquando habuit, fovit & aluit, ex quo non minora accedant laudum ejus præconia, obſervemus. Nullâ autem meliori, rectiori, ac compendioſiori viâ obſervare poterimus, quàm ſi horum omnium ſeriem ab Anteceſſoribus noſtris anno 1622. ſingulari diligentiâ conſcriptam, & Ferdinando II. Imp. oblatam expenderimus.

à copia ac multitudine illorum.

Habebat in animo hic glorioſiſſimus idémque religioſiſſimus, ac bello feliciſſimus Imperatôr, Metropolitanam Divi Viti Eccleſiam in priſtinum reſtituere decus; potiſſimùm verò ad majorem Divini Nominis gloriam, Magnæque Dei Matris, & Sanctorum Patronorum honorem, augere Canonicorum ac cæterorum miniſtrorum numerum; ijsq; de annuis proventibus, alijsq; omnibus humanæ vitæ præſidijs & adminiculis, ita largiter, pro regia ſua magnificentià providere, ut decentiſſimè omnes ſuſtentari poſſent. Qua de cauſa, datis ad Joannem III. ArchiEp. & ad Capitulum Metropolitanum anno 1622. litteris, benigniſſimam hanc ſuam intentionem ipſis aperuit; ſimúlq; de veteri, & de moderno ejusdem Eccleſiæ ſtatu plenè edoceri voluit, id cumprimìs ſcire deſiderans, quot & quales perſonæ olim, rebus adhuc integris ante hæreſim, in ea fuerint, & quot in præſens numerarentur, ut inde ad proſequendum ulterius ſuum propoſitum, conſilium caperet & exemplar. Quo cognito Capitulares, ſine mora Archivum Capituli perluſtrandum ſuſceperunt, ac pervolutis diligenti ſtudio veteribus chartis, ſtatuta, privilegia, aliáque antiquiſſima documenta continentibus,

Ferd. II. Imp. circa augendum, & in priſtinum decus reſtituendum Miniſtrorum numerum, in Eccl. Prag: piè Cogitata.

bus, omnium Perſonarum penes Eccleſiam Metrop. quondam exiſtentium numerum accuratiſſimè conſignârunt, & Cæſari cum hoc ſupplici libello, & quodam adhuc alio ſcripto, quo proventus antiqui & præſentis temporis, ſicut etiam Canonicorum ac cæterorum miniſtrorum tunc exiſtentium ſeries comprehendebatur, præſentârunt.

Inviƈtiſſime Imperator, Rex & Domine Dom. noſter Clementiſſime.

Quàm Sanƈtum, quàm etiam pium eſt, res & poſſeſſiones, vel alia quævis Bona, ſi Eccleſijs & Miniſtris earum in DEI laudem ſemel fuerint oblata conſecratáq; ne in prophanum uſum diſſipentur, aut ea vel Principis indulgentia, vel quâvis aliâ conceſſionis ſpecie alienari permittantur, Sac: Cæſ: Majeſtatem Veſtram, probè ſcire non dubitamus. Enim vero Jus Divinum & Canonicum, ne hoc fiat, Anathematis pænâ, etiam ſub ſatisfaƈtionis diſtriƈtione planè prohibet, Scriptura inſuper docente: Omne quod Domino conſecratum eſt, ſive ſit ager, ſive homo, ſive animal, ſive domus, ſive poſſeſſio, Sanƈtum erit Domino: & quod ad Jus pertinet Sacerdotum, non Juri prophano ampliùs ſubjacere dignoſcitur. Sacrilegium enim eſt, quod per ſatisfaƈtionem & excommunicationis vindiƈtam reduci debet. Ideóq; non ſine cauſa pientiſſimi Reges Bohemiæ Majeſtatis Veſtræ Prædeceſſores, Regijs id ſuis Litteris jubebant & ſtatuebant, ut Bona Eccleſiæ Pragenſis, perpetuis futuris temporibus, intaƈta manerent, neq; ullo modò poſſent ac deberent alienari; & ſi quid quocunq; colore alienaretur, totum id irritum & caſſum fieri volebant. Quapropter cùm Sac. Cæſ. Majeſtas Veſtra, poſt tot Viƈtorias & tot Bona obtenta, DEO gratam ſe exhibendo Almæ Eccleſiæ Metropolitanæ, non tantùm aliquid præſtare, ſed etiam illam priſtino ſplendori reſtituere, & in ea cultum Divinum augere capiat; quo faciliùs Maj. Veſtræ Cæſareæ res Eccleſiæ noſtræ, innoteſcant, exhibemus hîc juſtam & debitam informationem de numero, Officio & Proventibus perſonarum, tam olim, quàm modò penes eandem Eccleſiam exiſtentium; ſimul & conſignationem quorundam Bonorum, quæ ab antiquo ad eandem Eccleſiam & Capitulum noſtrum jure ipſo & uſu pertinebant, per injuriam autem tempo-

rum

[illegible] alienata, & in propriós suos usus distracta fuerunt, Nil dubitantes, quod Sac: Cæs: Maj. Veſtra visis & diligenter his omnibus ponderatis, benigne Eccleſiam ſuam, in qua Diadema Regium, & Regni Bohemiæ ſceptrum DEO favente ſuſcepit, reſpicere, & pro innata ſua pietate ac Regia liberalitate, ita membris ejus ſuccurrere dignabitur, ut illud quod à Sac: Maj: Veſtra Cæſ: Potentiſſimis Antecessoribus Regibus Bohemiæ præfatæ Eccleſiæ Pragenſi laudabiliter datum & conceſſum erat, eidem poſtliminio reſtituatur, & per hoc in ea cultus DEI conſervetur & augeatur.

Conſignatio demum Prælatorum & Canonicorum, & aliorum Miniſtrorum fuit illa:

Penes Metrop. Pragen: Eccleſiam erant olim iſtæ Perſonæ:

Reverendiſſimus Dominus ArchiEp.

Præpoſitus,
Decanus,
Archidiaconus,
Scholaſticus ſimul & Cancellarius Capituli. } Quatuor Prælati.

Suffraganeus & Capellani San[illegible] [illegible] miniſtri [illegible]rum.

Canonici erant [illegible] ſex è quibus præbendati & reſidentes viginti [illegible] inter illos Præpoſiti Collegiatarum [illegible] ſex; Litomericenſis, S. Apollinaris (in Saczka [illegible] te VVetrovv, [illegible] Pragæ Melnicenſis, [illegible] S. Egidij, & Omnium [illegible] præbendati ſeu ho[illegible]. Medij præbendati erant [illegible], qui per vi[illegible] Presbyteris abſentias Ca[illegible] ſupplebant; inter præbendatos & non præbendatos, medioſque præbendatos, erant quoque novem Archidiaconi: Litomericenſis, Zatecenſis, Kaurzimenſis, Boleslavienſis, Bechinenſis, TynHorſſovienſis, Plſnenſis, Regino Hradecenſis & Billnenſis; quos ArchiEpiſcopi nominabant. His omnibus accedebant adhuc duo, ſcilicet Regius Canonicus & Reginæ, qui per præſentationem habebant ſuum beneficium, voce tamen in Capitulo, non gaudebant, ſicuti nec medij præbendati.

Numerus quondam Prælatorum, Canonic: ac cæterorum Miniſtrorum in Eccleſ: Prag.

Præterea, Cuſtos unus. Tumbarius S. VVenceslai: Subtumbarius eiusdem. Tumbarius S. Adalberti, qui Plebanus dicebatur; Subtumbarius ejusd.

Sachriſtianus unus.

Vicarij inſtallati, duodecim.

Vicarij Prælatorum & Canonicorum, triginta quatuor: quilibet Canonicus Vicarium ſuum præſentabat Decano.

Altariſtæ quinquaginta duo,
Magiſter ſeu Director Fabricæ.
Diriſtores duo.
Inſpector Bonorum Capitularium.
Concionatores duo.
Pænitentiarii quatuor.
Præcentor unus.
Manſionarij viginti quatuor, quorum duodecim erant Presbyteri, ſex Diaconi, & ſex Subdiaconi.
Pſalteriſtæ viginti quatuor.
Hebdomadarij quatuor.
Ultra numerarij & extra ordinarij Presbyteri, qui vices negligentium ſupplebant, ſemper viginti quatuor.
Choraliſtæ triginta, omnes Clerici. VVladislaus anno 1497. inſtituit quindecim, tres Sacerdotes & duodecim Scholares.
Bonifantes, qui certis diebus Horas Beatiſſimæ Virginis in Eccleſia cantabant, & in proceſſionibus vexilla portabant, duodecim: inſtituti ab Eberhardo Canonico Pragenſi, qui obijt anno 1259.
Præfectus ſeu Magiſter Bonifantiſ.
Bequinæ ſeu Matronæ honeſtæ & ætatis provectæ, quæ pallas & albas diſſolutas conſuebant & lavabant, [illegible]

[illegible]
Quatuor [illegible]
Inſpector [illegible]
Capellani duo [illegible]
S. A[illegible]
[illegible]
Miniſtri [illegible]
Organiſtæ [illegible]
Thuri[illegible]
Cereferarij [illegible]
[illegible]
Campanatores [illegible]
Magiſter in [illegible]
Magiſter [illegible]
[illegible]
[illegible]
Scholares [illegible]
quos C[illegible]
Sindici [illegible]
bl[illegible]
cleſiaſtico [illegible]
Curſores [illegible]

Huc usque Prælatorum Canonicorum ac cæterorum Miniſtrorum penes Eccleſiam Metropol. Pragenſem [illegible] ries, quam ego libero & alto gemitu concludo.

Laus perennis in Eccleſia Prag.

Exinde patet, quanta tum fuerit dignitas [illegible] Eccleſiæ, quanta Majeſtas & gloria, quantum [illegible] tot ingrederentur ad facienda Sacra, aut decantandas [illegible] vicibus diu noctúque Deo Laudes, jam Prælati & Canonici, jam Vicarij, jam Altariſtæ, jam Manſionarij, jam Pſalteriſtæ,

Di-

Choraliſ, Cantores & alij. Eramus utique aliquando [illegible] dum ſuo Regno conſtaret religio & Majeſtas, nunc magni illius quondam nominis vix umbra, ita ut id ſolum triſtes quod identidem repetimus, & quod etiam tota afflicta Patria toties ingeminat: *fuimus, fuiſtis, fuerunt*: nobis relictum ſit. *Heu pietas! heu priſca fides!* Iidem Capitulares dum alio rurſum ſcripto præſentem Eccleſiæ & Capituli ſtatum Cæſari repræſentarent, hoc ipſum inter alia adducere in medium non prætermiſerunt, *Cæterùm* inquientes: *quod attinet ad modernum ſtatum Sanctæ Metrop. Pragen. Eccleſiæ, quæ olim centenis decorata erat Miniſtris, hodie vix ſeptem gaudet Prælatis & Canonicis, tribus Vicarijs, quatuor Choralibus & alijs duobus inferioribus miniſtris &c. O rerum vices! o fata!* Quod ipſum etiam Carolus Carafa tunc apud Ferd. II. Apoſtolicus Nuncius in ſuis Commentarijs memorat hiſce: *Tandem tertiâ Feriâ Hebdomadæ Sanctæ an. 1613. Pragam adveni, & Urbem expectatione majorem inveni, frequenti ſedium Cive deſtitutam, quem in Sacris Paſchatis feſtis tam in Cathedrali, quam in Collegijs animadverti (ſi Monaſteria excipiam) vix duodecimum numerum implentem.* (a) Appoſuerunt quoque Capitulares Conſignationem ſuorum annuorum proventuum, qui in univerſum omnes, trecentarum duntaxat ſupra duo millia ſexagenarum Miſnenſium ſummam tunc conſtituebant. Nec prætermiſerunt conſignare & oſtendere veteres, qu[illegible]ti refert Arſenius Decanus & alibi quoque non uno in loco id notatum invenio, 60. millia ſexagenarum groſſorum Pragenſium, quæ faciunt Miſnenſes ſexagenas 120 numerum adæquabant: præter ArchiEpiſcopales, qui 80. millia ſexagenarum eorundem groſſorum Pragenſium ſummam ſuperabant. Magna ſanè proventa, præſertim illis temporibus in quibus unâ ſexagenâ plus de eſculentis & poculentis, alijsque humanæ vitæ ſuſtentandæ neceſſarijs comparari poterat, quam noſtro hoc ſeculo pro Imperialibus decem.

Antiqui quondam proventus Capitularium, & ArchiEpiſcopi.

(a) *Carafa in Commentar. de Germania Sacra reſtaurat. pag. 183.*

Bona verò, ſeu Villæ & ditiones Capituli [illegible] erant, nominantur:

Bona quondã Capituli ampliſſima.

Bi[illegible]ce oppidum cum ſuis appertinentiis. B[illegible]oſs, Blah[illegible], [illegible]tronice, Bukole, Butovv[illegible]ce data ab Ottocaro Rege an. 1156. pro villa Zbraſlav. Bierſkovvice, Bez[illegible]varek minus, Biskupi[illegible]e, [illegible]ce, B[illegible], Ba[illegible]chovvice, Bor[illegible] Banic, Bieln[illegible], B[illegible]kovva, Bohuslavvice, Bezeany, Brezobo[illegible], Brandeis prope Slanam, Bozi[illegible]nevvice, B[illegible] prope [illegible].

[illegible]ovice, Celn[illegible] pars, Cachrov, Ca[illegible], C[illegible]evves, Czernilov, Ch[illegible], Charvatice, C[illegible]nka, Chliſſovvice, Ch[illegible]vogenec minus, Chleby, Chrvaſtina, Chudeczin, Chraſtovv, Chliſſovice, Chotomericz[illegible].

Di[illegible]reny in diſtr. L[illegible]omer. Draskovvice, D[illegible]ice, D[illegible]cran[illegible], Dechkov, Dubl[illegible]ad [illegible], Dam[illegible].

G[illegible]ſtrnicze, G[illegible]cze, Gi[illegible]etin, G[illegible]berg cum [illegible] Sol[illegible]hle[illegible], Ma[illegible]ſovv & H[illegible]. G[illegible]no, Grzenec[illegible].

H[illegible]ce, Hoſtivv[illegible]ce, Hodkovvice, Holeſſovice pars, H[illegible]ce, Hlavatcov, H[illegible], Hrenkovice, Hovorzovice, Hra[illegible], Hodovv, Hr[illegible]vice, H[illegible]levv, H[illegible] majus, Hraſſetice, Horka, Hradek prope Brundeſ.

Ie[illegible]cze c[illegible] molend.

[illegible], Kovice prope Slanam, K[illegible] prope Plſn. K[illegible]en[illegible] A[illegible]gard prope [illegible], Kamenna V[illegible]da, Kov[illegible]vice, K[illegible]vvany, Korycz[illegible]y, Kucharek minus, Koſtelecz prope Plſn, Kbel prope Proſek, Krz[illegible]rz prope Colinam, Krab[illegible]cica, [illegible], Kom[illegible]cze prope [illegible], Kniſſice, [illegible], Kaſlin, [illegible], Kriz [illegible].

L[illegible] prope [illegible], Libin, Lippen, [illegible], Ledczice, La[illegible], [illegible], Libecſkova prope [illegible], [illegible], [illegible], Lipovice, [illegible] prope [illegible] Zebrak.

M[illegible]e, M[illegible], M[illegible], Milicz, M[illegible] prope [illegible], [illegible], M[illegible], Mokropſk, M[illegible].

N[illegible], [illegible], N[illegible] prope [illegible], N[illegible], N[illegible], Nezetice.

O[illegible], O[illegible]chovv, [illegible], O[illegible].

Pole[illegible], P[illegible], Pſs[illegible], P[illegible] prope [illegible], P[illegible]vice, P[illegible] prope [illegible], Parzi[illegible], [illegible], Pretice, [illegible], [illegible], [illegible]bilſner, [illegible], [illegible]ſovice, Poporze, [illegible].

Ra[illegible]e, R[illegible], Roſtok, Roho-
[illegible], R[illegible]pice, [illegible]un Tevtonica, R[illegible], Rovvna, Ranna, Rvve-
ni[illegible], [illegible]ſſice, Rzivrice, Rochanovv prope [illegible]ovv.

[illegible] ditio ampliſſ. Slavvoſſovv, [illegible], Se[illegible], Sedczice, Sczit-[illegible], Sob[illegible]n, [illegible]arz, Strahlavvy, [illegible], [illegible]ce, [illegible]ce, St[illegible], S[illegible]kovvice, Slatina, Suk[illegible], S[illegible], [illegible]vv, Sobinecz, State-[illegible], [illegible]dor, Se[illegible]ce, S[illegible]padla.

[illegible]ovv, T[illegible], Tyma-[illegible], [illegible], [illegible]ebe[illegible]e, [illegible]uſſecz, [illegible], Turkovvice, Taban, [illegible].

[illegible], Ugezdec prope Bi-[illegible].

VVla[illegible] pars, VVelika VV[illegible], VV[illegible]dice, [illegible]Velka, VV[illegible], VVtelno, VVr[illegible]e, VVel[illegible]e, VValetic, VV[illegible]elis, VV[illegible]artice, VVſezhlomy, VVodolice, VVrbka, VVifskovv.

Zvvolinievves ditio ampl. Zlo[illegible]e ditio ampl. Z[illegible], Zerpi[illegible], Ze-me[illegible], [illegible]ice, Zalez[illegible], Ze[illegible]ro-vvice, Z[illegible]ny, [illegible]nice, Zaha[illegible], Zah-rzivvec, Zirczice, [illegible]rzice, Z[illegible] op-pidum, Zy[illegible]ec, Z[illegible] prope [illegible]u-n[illegible]m, Zatv[illegible]or, Zabuklity, Zahor[illegible]a-n[illegible] & quædam alia, quæ me [illegible]e-nus latent: præter ea, quæ [illegible] in hodiernam diem poſſidet in pace; præter etiam Bona P[illegible], quæ erant ampliſſima.

[illegible] Cæſarea Majeſtas his omnibus accuratè penſavit, [illegible] pro quàm laudabili perſiſtens propoſito, pro au-gendo Canonicarum & aliorum miniſtrorum in Eccleſia Me-trop. numero, tantum de Bonis, ut vocamus, terreſtribus, nem-pe agris, villis, pagis, & his ſimilibus, Capitulo aſſignari con-[illegible], ut ad minus Octodecim millia Sexagenarum annui red-[illegible]. Nihilominus tunc ſtatim reperti ſunt non-[illegible] talium hominum, qui fortunis Eccleſiaſticorum invideant, eſt omne ſeculum ferax, qui hoc laude digniſſimum Cæſaris inſtitutum probare minimè voluerunt, id potiſſimùm contrà obtendentes: non eſſe conveniens, ut Sacerdotes œco-nomicis curis & ſolicitudinibus occupentur, qui in ſacris plus quàm ſatis habeant, quod agant; expedire potiùs, id quod vel ipſa eorum profeſſio requirat, à prophanis hujuſcemodi nego-tiis quàm maximè eſſe remotos. Ideoque Bona Immobilia ſeu terreſtria, cum jure Dominij & uſumfructu iis nequaquam eſſe danda; ſed eorum loco aſſignandos ex certis Bonis annuos cen-ſus, quos in ſuſtentationem ſuam percipiant; atque ita [illegible]

Prima Ferd. II. [illegible] augendo Canonicorum [illegible] Prag. numero,

à q[illegible] Status [illegible] [illegible]ſoribus a[illegible] ſuaden[illegible] [illegible].

 cius

ciis in procurando re familiari occupationibus [illegible], & proventibus annuis, qui neceſſarijs ipſorum [illegible] proviſi, eo meliùs ſpiritualibus ſuis functionibus [illegible] ſint. Haud abs re me facturum ſpero, ſi aliud [illegible] ſupplex Scriptum ea de cauſa ad Cæſarem datum [illegible] propoſuero, quod ſic habet.

Sacratiſſime ac Potentiſſime Imperator, [illegible] Clementiſſime.

Capituli ad Ferd. II. ſupplex libellus, quo,

pro augendo Canonicorum numero,

Bona immobilia potiùs, quàm cenſus, aſſignari ſtudeat,

*Paternam curam, quam Sac: Cæſ. Majeſtas Veſtra de noſtra Metrop. Pragenſi Eccleſia, ad propagandum [illegible] habeat, quemq; pietatis amorem ad E[illegible] in eadem conſervationem declaret, ex Literis [illegible] ſuo pridem ad Illuſtriſſimum Principem de Lichtenſtein [illegible] defunctum ArchiEp. noſtrum datis intelleximus [illegible] ſanctè Sac: Cæſ. Majeſtas Veſtra cupiat [illegible] Pragenſi, quam Capitulo noſtro, pro augendo [illegible] & Miniſtrorum Metrop. Eccleſiæ, Bona [illegible] quibus annui redditus, in perpetuum Prælatis, Canonicis [illegible] Miniſtris, pro eorum honeſta ſuſtentatione & Religionis [illegible] promotione deputentur. Hanc paternam [illegible] omnes gratiſſimo animo amplectentes, [illegible] & imprimis Deo Opt. Max: qui Majeſtati Veſtræ [illegible] ſubmiſſiſſimè agimus; atq; utinam hæc [illegible] tentio, executioni quàm citiſſimè mandaretur [illegible] rum quia præter hanc piiſſimam mentem ac [illegible] tatem S. C. Maj. à Camera Bohemica, non Bona [illegible] li nudi Camerarici cenſus [illegible] aliquanto altiùs proſpicientes, & experientia [illegible] metuentes, ne [illegible] [illegible] in Bona immobilibus annui reddit[illegible] & [illegible] [illegible] pia Inſtitutio [illegible] [illegible] proq; Religione Catholica [illegible]

ſtituantur. Nam cenſus Cameratici facilè intercidere & diminui ſolent, piæ Fundationis tolli, Miniſtros à Sacris avocari ſæpiusq; neglectis Divinis Officijs, diſcurrendi, poſtulandi ac exigendi cenſus ſuos ab alienis, occaſionem petere neceſſe eſt. Exempla nos edocuerunt, & magiſtra rerum experientia loquitur, aliquot Altaria Eccleſiæ noſtræ, quæ habebant Cenſum Cameraticum, pijs Fundationibus eſſe privata. In alijs, ſi eſt cenſus exigendus, oportet eum ſæpenumero, domos ſæcularium pulſando quærere, nonnunquam Jure repetere, & judicia fori ſequendo multa negligere; ab exemplis producendis, quia ſunt odioſa, abſtinemus. id quod etiam pluribus rationibus oſtendunt.

